This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

HUGONIS GROTII

ANNOTATIONES

IN

NOVUM TESTAMENTUM.

DENUO EMENDATIUS EDITAE.

VOLUMEN I.

CONTINENS ANNOTATIONES

AD

MATTH. I—XIII.

15.

GRONINGAE,

Ex officina W. ZUIDEMA, Bibliopolae.

MDCCCXXVI.

101. c. 145.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

L. S.

EDITOR.

Quum Hugo Grotius in N. T. explicando ad hunc diem usque prae omnibus interpretibus principatum tenuerit diuque in posterum retenturus sit: quod quo quis est doctior, eo facilius intelligit: nemo dubitabit, quin dignum sit hoc opus, quod post tot editiones denuo edatur. Igitur de pretio Annotationum ipsarum non dicturo incumbit praefanti, ut de hac editione pauca moneat.

Multae quidem sunt operis praestantissimi editiones, sed earum exempla rarius obvia, quam postulant vota eruditorum et doctrinae sanctioris incrementa. Tamen reliquis parabilior est editio Halensis, II voll. 4° *ann.* 1755, 1756*: verum illa tot scatet vitiis gravioribus, ut usui vix inservire possit. Numeri enim, quibus loca S. S. citantur, quavis pagina multi perverse sunt impressi: quod collatio istius editionis cum reliquis facile docet. Deinde, praeter alia minora, insunt vitia, quae sensum plane nullum fundunt: v. c. ad Matth.* 1: 21 *p.* 30 *pro* SCHEARIASUB *legitur* SCHEARIA sub*; initio notae ad Matth.* 2: 23 *p.* 44 *novem vocabula exciderunt, ita ut nullus supersit sensus; ad Matth.* 5: 40 *p.* 138 *pro* quicum *legitur* qui quum. *Multa talia invenias, inprimis in vocibus Hebraeis: verum diutius his vitiis immorari fortasse cupidius actum videatur. Illud praeterea dolendum, locis saepe intellectu difficilioribus vel S. S. vel aliorum auctorum Graecorum Orientaliumque non additam esse versionem Latinam; quae*

in

in editione omnium prima desiderata deinde adiecta est. Sed haec hactenus.

Nova haec editio presse sequitur Amstelodamensem anni 1679, *quae reliquis melior censetur: idque merito: nam admodum pauca vitia typographica in illa inveniuntur. Diversa autem haec est ab illa, inprimis his rerum capitibus. Primo vitia ista, quae in Amstelodamensi inesse apparebant, hîc sunt emendata: raro aderant graviora, neque ea plerumque, nisi quae ipsius Grotii calami vitia videntur quia in omnibus edd. inveniuntur: ad quae pertinent quod p.* 14 *hîc* vox enim *legatur, ubi vulgo* vocem enim *absque sensu, p.* 64 Iohannes *pro vulgato* Christus, *p.* 272 quarti, *ubi in reliquis legitur* quinti. *Inprimis emendati sunt saepe numeri locorum e S. S. citatorum: in quibus tamen verendum ne interdum vitia manserint: ut revera factum est saltem p.* 276, *ubi pro* 5: 19 *lege* I Ep. 5: 19. — *Deinde in ponendis signis interpungendi, literis maiusculis, parenthesibus, cet., curatum est, easdem semper sequendas regulas, quo et nitidior fieret haec editio et lectu facilior. — Denique in versione locorum sive S. S. sive aliorum auctorum Latina haud pauca immutata sunt. Quando enim in eadem oratione decies legeretur vocabuli eiusdem peregrini decies repetiti versio Latina, hîc novies ea plerumque est omissa: quando in versione illa quaedam excidissent, hîc sunt addita; quando prave versa essent nonnulla loca, hîc emendata. Quod ultimum explicatione indiget. Editor Amstelodamensis in praefatione haec monet: „Ubi sua in Sacras „Literas annotata in lucem edidisset Auctor, nonnihil „videbat obstare, quo minus haec ab omnibus aequali cum „fructu volverentur, cum enim multa illis loca Hebraica, multa Graeca inseruisset, quae undique e Rabbinis „et Graecis Auctoribus collegerat, nec omnes idem cum „ipso eruditionis fastigium attigissent, paucique admodum in linguis Orientalibus essent versati, statuit ipse „peregrina loca Latinitate donare totique praeterea operi „ultimam manum adhibere. Id cum in Vetus Testamen-*

„*tum*

„tum et quatuor Euangelia peregisset, mors finem vitae „imposuit et labori. Exinde parens noster p. m. tum „ipse, tum impulsu amplissimi viri Petri Grotii dignis-„simi tanto patre filii, in animum induxit opera prae-„dicta denuo praelo subiicere. Itaque cum primum re-„scivit, in Germania latere Annotationum in Vetus Tes-„tamentum et quatuor Euangelistas exemplum Auctoris „ipsius manu emendatum, qui et peregrina loca Latine „verterat, non destitit, priusquam exemplo hoc potire-„tur, et voti compos factus illico excudendum curavit. „Iamque ad primum Euangelii Iohannis caput pervene-„rat, cum ecce flamma typographiam et bonam impressi „operis partem absumpsit. Deus autem, qui Grotium in „vivis non semel ab interitu vindicaverat, non sivit id „opus hoc incendio totum perire. Cum enim impressorum „exemplar unum, quod formando indici inserviret, penes „alium esset depositum, nihil ex iis periit, quae Auctor „verterat et emendaverat, praeter duo aut tria Lucae „capita, quae tum forte sub praelo desudabant. Ea nos „ex priori editione suppleri et Latinam versionem sub-„iungi curavimus. Eandem operam adhibuimus circa lo-„ca peregrini idiomatis quae in Actis et Epistolis Apo-„stolorum se offerebant, impense annixi, ut in omnibus „Auctoris scopus tangeretur, quinimo in multis versio-„nem ipsius Auctoris sumus secuti, undecunque ea ex „aliis eius scriptis hauriri posset. Carminum Graecorum „Grotianam versionem ex Stobaeo et excerptis ex Tra-„goediis et Comoediis Graecis collectam Cl. Viro Petro „Wassenario debemus, qui Ultraiecti ad Rhenum summa „cum laude Medicinam exercet. In vertendis S. Scrip-„turae locis Vulgatae editioni, quod et Auctor fecerat, „nisi cum ab ea ipse dissensit, adhaesimus. Caeterorum „locorum translationes ex aliis interpretibus conquisitae, „et sicubi opus visum, emendatae, quae reperiri non „potuere, quanta potuit fide, adornatae; quotquot porro „huic editioni, prae caeteris, accessere his notis [ ] dis-„tinctae."

Cui

Cui narrationi fides habenda videtur: nam si in reliquis locis vertendis ad errores quosdam paucissimos commissos non advertis, omnia rectissime sunt reddita praeter S. S. loca. In his ob triplicem rationem multa erant emendanda; primam, quando lectionem diversam a lectione a Grotio citata sequeretur versio Latina (v. c. p. 2); alteram, quando versio ipsa nimis prava esset (v. c. Matth. 1: 23); tertiam quando a Grotii interpretatione plane dissentiret (v. c. Matth. 12: 20). Duae posteriores rationes ubique emendandi ansam praebebant: nam saepe Editor Amstelod. adhaeret versioni Vulgatae, ubi vel graviter errat vel a Grotio dissentit.

Haec nova habet editio nova. Neque tamen libera est vitiis typographicis aliisque, sed, si pauca excipias, talibus libera est quae legentem impediant: pertinent enim ad solam fere literae u *et* n, c *et* e, *similium confusionem, quae uti interdum correctoris aciem evasit, sic etiam lectorum oculos plerumque fugiet.*

Editio haec octo voluminibus quale hoc est, constabit, indicibus exceptis. Hos aut plane novos conficere aut saltem emendare in animo est.

His tu fruere, L.! et vale.

Groningae mense Iunio 1826.

L E-

LECTORI

CHRISTIANO

H. GROTIUS.

Si quis dicat me quae ad Euangelia scripsi debere aliis qui in eodem se argumento exercuerunt, is neque penitus mentietur, neque penitus verum dicet. Ego per omnes eos qui scripsere antehac profecisse me non diffiteor, quin gaudeo etiam gloriorque. Itaque omnibus me eis gratiam habere puta, quasi nominassem singulos. Peperci autem plerumque recitandis nominibus quod ea videam factioso hoc saeculo magis ad oblimandum quam ad defoecandum iudicium valere. Mihi autem, cum ista annotarem captivus, cum perficerem privatus, cum ederem in aliquo iam honore constitutus, propositum semper fuit, non alicui earum servire partium, in quas ingenti

saeculi nostri malo divisi sumus Christiani, sed Christianis plane omnibus, meaque dirigere ad notitiam Euangelicae veritatis et incrementum pietatis eius, ad quam omni studio debemus contendere, si ex tanto nomine censeri volumus. Caeterum videbit qui et priorum et haec nostra scripta cum cura leget, etiam tunc cum aliorum sequor sententias, nova a me adiungi argumenta quibus eas sustentem: et cum ab aliis abeo, rationes cur id faciam diligenter a me adscribi. Testor autem, si quid usquam a me scriptum est pugnans cum iis Sacrae Scripturae sensibus, quos Ecclesiae Christianae a prima aetate acceptos perseverante consensu tenuere, quod repertum non iri satis confido, me id pro non scripto habere ac mutare paratissimum.

N A A M L IJ S T

D E R

I N T E E K E N A R E N.

A.

Abresch, (P.) Theol. Stud. te Groningen.
Aldershoff, (J.) Theol. Stud. te Groningen.
Amshoff, (M. A.) Predikant te Hall.
Andreae, (Mr. D. H. Beucker) Griffier bij de Regtbank van eersten aanleg te Leeuwarden.
Anspach, (I. A.) S. S. Theol. Stud. te Amsterdam.
Arens, (G. H.) Boekhandelaar te Amsterdam
Arntzen, (G. H.) Predikant te Woudrichem.
Auwen, (I. P.) Predikant te Visvliet.

B.

Bakker, (H. L. C. E.) Theol. Stud. te Groningen.
Beek Frederikszoon, (Jacob van) te Amsterdam.
Binneweg, (I.) Theol. Stud. te Utrecht.
Bitter, Predikant te Rip.
Blankstein, (H.) Student te Groningen.
Bloemen, (I. D.) te Amsterdam.
Bloemers, Predikant te Doesburg Keppel.
Blonk, (G.) Student te Utrecht.
Boekeren, (W. van) Boekhandelaar te Groningen, *twee exempl.*
Boekhoudt, (W. W.) S. S. Theol. Cand. te Groningen.
Boelman, (B.) Theol. Stud. te Groningen.
Boezer, (P. B. A.) Predikant te Op- en Neder-Andel.
Borgesius, (E. J.) Theol. Cand. te Groningen.

Bork,

Holtzapffel, (C. I.) S. S. Theol. Stud. te Amsterdam.
Holwerda, (I. H.) in 's Gravenhage.
Holwerda, (W.) Predikant te Haren.
Homkes, (I. I.) Boekhandelaar te Groningen, *vier exempl.*
Hoorn, (D. van) Theol. Cand. te Groningen.
Hooijer, (C.) Theol. Cand. te Utrecht.
Hooijkaas, (J.) Theol. Stud. te Utrecht.
Hundlingius, (H.) Theol. Stud. te Groningen.

J.

Jentinck, (M. A.) Predikant te Oudewater.
Jentink, (I. E.) Theol. Stud. te Utrecht.
Jongeneel, (M.) Predikant te Nijmegen.
Junius, (I. H.) Evang. Luth. Pred. te Leyden.

K.

Kamerling, (W.) Boekhandelaar te Groningen.
Karsten, (I. A.) Theol. Doct. en Predikant te Sas van Gend.
Keizer, (J.) S. M. Cand. te Groningen.
Kemink en Zoon, Boekhandelaars te Utrecht.
Kempen, (D. I. van) Theol. Stud. te Utrecht.
Kiers, (A. L.) Litt. Hum. Stud. te Utrecht.
Kinderman, (I. C.) S. S. Theol. Stud. te Amsterdam.
Klippink, (T.) Predikant te Broek en Waterland.
Klomp, (P.) V. D. M. te Groningen.
Kramers, (A. van Diepen) Theol. Stud. te Groningen.
Krom, (Herm.) Predikant te Gouda.
Kruijff, (J. de) Boekhandelaar te Utrecht, *vijf exempl.*
Kuijper, (I. F.) Theol. Stud. te Amsterdam.

L.

Laatsman, (W.) S. S. Theol. Stud. te Amsterdam.
Lambrechts B. W. z., (A.) Predikant te Lienden.
Lammerée, (W.) Predikant te Geldermalsen.
Lamping, (W. A.) S. S. Theol. Stud. te Utrecht.
Leemhuis, (G.) Theol. Stud. te Groningen.
Leeuw, (H. van der) S. S. Theol. Stud. te Leyden.
Leu, (W. F. de) V. D. M. te Werkhoven.
Lubbers, (C. T.) S. S. Theol. Stud. te Groningen.

Lucht-

Luchtmans, (S. en J.) Boekhandelaars te Leyden, *dertien exempl.*
Luiwens, (H. A.) Predikant te Grouw.

M.

Manger, (H.) Predikant te Haarlem.
Mensinga, (R. Perizonius) Predikant te Koeverden.
Meppen, (K. N.) S. S. Theol. Stud. te Amsterdam.
Meukeren, (A. van) Oud Burgemeester en Raad der Stad Terveere, te Breda.
Meurs, (W. L. van) Predikant te Nijmegen.
Meurs, (W. A. van) Theol. Stud. te Utrecht.
Meijer, (A. A. de) Theol. Stud. te Utrecht.
Meijer, (J.) Litt. Hum. Stud. te Groningen.
Montijn, (C. G.) Theol. Cand. te Utrecht.
Mulder, Theol. Stud. te Amsterdam.
Muller en Comp., (J.) Boekhandelaars te Amsterdam.
Muller, (J. G. P.) S. S. Theol. Stud. te Leyden.
Muurling, (W.) Theol. Stud. te Utrecht.

N.

Nanninga, (J.) Theol. Cand. te Groningen.
Nauta, (B. A.) Phil. Theor. et Lit. Hum. Doct. te Leyden.
Nonhebel, (I. A. C.) S. S. Theol. Stud. te Utrecht.

O.

Oomkens, (G.) Predikant te Roswinkel.
Oomkens, (J.) Boekdrukker en Boekhandelaar te Groningen.
Oomkens, (O. J.) Predikant te Oude Schans.
Oordt, (G. van) Theol. Prof. te Utrecht.
Oosterbeek, (J. G.) Predikant bij de Hervormden in de Wildervank.
Ormeling, (G.) S. S. Theol. Stud. te Utrecht.

P.

Paddenburg, (O. J. van) Boekhandelaar te Utrecht, *twee exempl.*
Pan, (Mr. J.) Advokaat te Hoorn.
Pareau, (L. G.) Theol. Cand. te Utrecht.

Pierrot, (O. D.) Theol. Stud. te Utrecht.
Pollius, (J. G. Rocama) Predikant te Valkoog en St. Maarten.
Portielje, (G.) Boekhandelaar te Amsterdam.
Post, (R. ten) Theol. Stud. te Groningen.
Preuyt, (J.) S. S. Theol. Stud. te Utrecht.

R.

Raven Hz., (J.) Litt. Hum. Stud. te Groningen.
Reijerkerk, (M. L.) Theol. Stud. te Utrecht.
Ribbeck, (P. C.) S. S. Theol. Stud. te Utrecht.
Ribbins, (G.) Predikant te Wervershoof.
Riet, (Van) Theol. Stud. te Amsterdam.
Ring (De) van Slooten.
Rintelen, (C. van) Predikant te Giessen en Rijswijk.
Rister, (J. J.) te Utrecht.
Roggen, (P. van) Theol. Cand. te Leyden.
Roorda, (T.) Lit. et Theol. Doct. en Predikant te Lutkegast.
Rooij, (A. A. de) Theol. Stud. te Utrecht.
Rijgersma, (S. G. van) Theol. Stud. te Utrecht.
Rijswijk, (J. W. van) Litt. Hum. Stud. te Utrecht.

S.

Sandbrink, (I. G. H.) Predikant te Driebergen.
Sande, (Wedw. I. I. van de) Boekhandelaresse te Middelburg.
Sanders, (L.) Litt. Hum. Stud. te Utrecht.
Sandick, (J. C. F. van) Stud. Hum. Litt. te Groningen.
Sannes, (I.) Predikant te Veendam.
Schierbeek, (R. J.) Boekhandelaar te Groningen, *twee exempl.*
Schilling, (A. van) Stud. Litt. Hum. te Groningen.
Schoonhoven, (I. van) Boekhandelaar te Utrecht.
Schreuder, (A. J.) S. S. Theol. Stud. te Amsterdam.
Schröder, (M. I.) S. S. Theol. Stud. te Amsterdam.
Schutte, (H.) Litt. Hum. Stud. te Amsterdam.
Schutters, (C. E.) Boekhandelaar te Middelburg, *twee exempl.*
Schuuring, (J. D.) Predikant te Delft.
Seebens, (S. J.) Theol. Stud. te Groningen.
Senden, (G. H. van) Predikant te Middelbert.

Scr-

Serrurier, (D.) Litt. Hum. et Philos. Theor. Cand. et Theol. Stud. te Leyden.
Sevensma, (R.) Predikant te Lekkum en Miedum.
Siblesz, (Jerms.) Theol. Stud. te Amsterdam.
Sikkema, Predikant te Bellingewolde.
Simons, (H. A.) Litt. Hum. Stud. te Amsterdam.
Slotemaker C. z., (A.) S. S. Min. Cand. te Utrecht.
Slothouwer, (G. C. Duval) Phil. Theor. et Litt. Hum. Cand. et S. S. Theol. Stud. te Groningen.
Sluis Joh. z., (I. I. van der), Predikant te Schagen.
Smit, (M.) Boekhandelaars bediende te Groningen.
Snouck Hurgronje, (A. I.) S. S. Theol. Doct te Middelburg.
Sonstral, (I. H.) S. M. C. te Amsterdam.
Spoor, (I. M.) Litt. Hum. Stud. te Utrecht.
Steenbergen, (H. van) S. S. Theol. Stud. te Utrecht.
Stemler, (G. W.) Theol. Stud. te Utrecht.
Stiffry Jr., (C. de Groot) Predikant te Pijnakker.
Stork, (H. W.) Theol. Stud. te Groningen.
Straaten, (C. J.) Theol. Stud. te Utrecht.
Strating, (I.) Stud. te Groningen.
Strup, (J. W. Bakker) Theol. Stud. te Amsterdam.
Stuart, (A. A.) Theol. Stud. te Amsterdam.
Swaagman, (I.) S. S. Theol. Stud. te Groningen.
Swiers, (J. J.) Theol. Stud. te Groningen.
Sybrandi, (K. S.) L. H. S. te Amsterdam.
Sypkens, (S. H.) S. S. Theol. Stud. te Groningen.
Sytsema, (P.) Predikant te Oostrum.

T.

Tenkinck, (J. W. C.) Predikant te Zaandam.
Terpstra, (W.) Phil. Theör. Mag. I. U. et Litt. Hum. Doct. Rector der Erasmiaansche school te Rotterdam.
Terwogt, (B.) te Weesp.
Thomsen, (I. A.) Theol. Stud. te Utrecht.
Tiddens, (Lambs.) Litt. Hum. Stud. te Groningen.
Tiddens, (T. L.) Litt. Hum. Stud. te Groningen.
Toorenburg, (C. P. Lammers van) Godsdienstl. te Katzand.
Traus, (H. L.) te Nijmegen.
Troijen, (G. van) Theol. Stud. te Groningen.
Troost, (G. B.) Theol. Stud. te Utrecht.

V.

Verburg, (Mr. J. Smits) Advokaat te Amsterdam.
Verloren, (R.) Theol. Stud. te Utrecht.
Vermande, (L. C.) Boekhandelaar te Medenblik.
Vermey, (A. W.) S. S. Theol. Stud. te Leyden.
Vetten, (N. E. Ernst) Theol Cand. te Utrecht.
Vinke, (H. E.) Theol. Doct. en Predikant te Alkmaar.
Vleuten, (C. J. van) Litt. Hum. Stud. te Amsterdam.
Volkom, (W. van) Predikant te Breda.
Voorst, (J. J. van) te Zutphen.
Vroom, (L.) Theol. Stud. te Leyden.

W.

Wanrooy, (J. G.) Litt. Hum. Stud. te Leyden.
Weddik, (T. Lublink) S. S. Theol. Stud. te Amsterdam.
Wermeskerken, (D. R. van) Boekhandelaar te Tiel.
Wessels, (W. L.) Litt. Hum. Stud. te Utrecht.
Willes, (B. van) Predikant te Lekkerkerk.
Windgetten, (W.) Predikant te Koog aan de Zaan.
Witt, (Johs. de) Predikant te Kuinre.
Wynaendts, (C. I.) Predikant te Warnsveld.
Wijs I. C. zoon, (I.) Predikant bij de Nederduitsche Gemeente te 's Gravenhage.
Wijs, (I. E. C. de) Predikant te Alblasserdam.

Y.

Ysseldijk, (E. van) S. S. Theol. Stud. te Amsterdam.

Z.

Zee, (P. E. van der) V. D. M. te Jisp in Noordholland.
Zieppracht, (J. G.) Litt. Hum. Stud. te Utrecht.
Zuidema, (E. L.) Iur. Utr. Cand. te Groningen.

HUGONIS GROTII

ANNOTATIONES

IN INSCRIPTIONEM

NOVI TESTAMENTI.

Η ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ, NOVUM TESTAMENTUM] Tribus modis homines hominibus obligantur, Lege, Sponsione, Testamento; quae ita inter se distincta sunt, ut tamen communitate iuris cohaereant: unde et Legem συνθήκης nomine definivit Aristoteles ex Sophista Lycophrone, et post eum Demosthenes, quod Papinianus *sponsionem* transtulit: et pacta contractuum *leges* vocantur, et testatoris voluntas *lex* dicitur, natumque hinc verbum testamentis proprium *legare*. Nam (ut erat in Tabulis duodecim) *uti quisque rei suae legassit, ita ius esto.* Apud Graecos verbum est, quod tria ista complectitur, διατίθεσθαι, quod de legibus usurpat Plato, de sponsione Aristophanes, de testamento Isocrates aliique. Cui consequens est nomen διαθήκη aeque late patens; nam et *testamentum* frequentissime designat, et pro *sponsione* ponitur apud eum quem dixi Aristophanem, et pro *legibus* usurpatum est ab Orphicis et Pythagoristis: nam hi praescriptas suo gregi vivendi normas διαθήκας vocabant. Communis quoque est legibus et sponsionibus sanctio. Nam pacta, praesertim publica, quae *federa* dicuntur, antiquitus sanciri solebant pecude caesa, ipsaque vox *sanciendi*, ut recte a Servio est observatum, a *sanguine* deducitur: quae caussa Hebraeos magistros movit, ut crederent ברית [*pactum*] deductum a ברא, quod pro *succidere* usurpatur, et Latinos, ut *fedus* a *feriendo* derivarent. Atque hinc *fedus percutere*, loquendi modus Hebraeis, Graecis Latinisque pariter usitatus: qua de re iterum agendi ad Matth. cap. 26

 da-

dabitur occasio. In legibus autem sanctio dicitur ea pars, quae sanguinem delinquentis legi consecrat. Hinc Hebraei voces ברית et חק [*statutum*] saepe alteram per alteram exponunt. Rursum lex cum testamento hoc habet commune, quod neutrum conventione indiget. Nam et heres, eo ipso quod heres est, praestare debet factum defuncti, et subiectus alterius imperio, eo ipso quod subiectus est, eiusdem legibus parere debet. Conventio autem in hoc cum testamento congruit, quod et contrahendi et hereditatis adeundae initium solet esse liberum; at subiectionis non item, ut quae multis in locis ex origine sola descendat.

Haec cum ita sint, quaeri potest cur Septuaginta interpretes, quos secuti sunt omnes Hellenistae, atque inter eos viri sancti, qui Euangelia atque Epistolas scripserunt, vocem Hebraeam ברית interpretari maluerint *διαθήκην*, quam aut *συνθήκην*, ut fecit Aquila, aut aliter etiam; quippe cum multas eius significationis voces suppeditet Graecae linguae ubertas. Videntur igitur mihi eo respexisse, quod latius pateret vox Hebraea ברית, quam Graeca *συνθήκη*, aut alia, quae vim similem obtinet. Nam *συνθῆκαι* ex consentienti duarum voluntatum testimonio vinculi potestatem accipiunt. At quod Moses aliique ברית vocant, plerumque est eiusmodi, ut nullum partis alterius consensum requirat, cum obligandi vis ei adsit ex solo superioris, puta Dei, iussu atque imperio, qui tamen interdum sponte sua se quoque promittendo obliget: ut solent legum auctores quoties praemia addunt legibus. Quia vero vocem Hebraeam unam una quoque Graeca exprimere studebant Senes eruditissimi, ideo etiam ubi ברית ad conventiones mutuas pertinebat, ut 1 Reg. 5: 12, atque alibi, generali vocabulo *διαθήκης* uti maluerunt: credo quod ipsam quoque vocem ברית ab alia notione vocis ברא natam arbitrarentur. Nam ברא ut proprie *creare*, ita similitudinis iure *ordinare* atque *διατίθεσθαι* significat: quo factum est, ut Iudaei Hellenistae etiam *τὸ κτίζειν*, quod Hebraeo ברא respondet, ad eum significatum produxerint. Neque enim aliter potest accipi illud apud Iesum Sirachidem, Eccles. 11: 16, *πλάνη καὶ σκότος ἁμαρτωλοῖς συνέκτισαι* [*error et tenebrae peccatoribus concreata sunt*], et 39: 29, *πῦρ καὶ θάλασσα καὶ λιμὸς καὶ θάνατος, πάντα ταῦτα εἰς ἐκδίκησιν ἔκτισαι* [*ignis, mare, fames, mors, omnia haec ad vindictam creata sunt*], et 40: 1, *ἀσχολία μεγάλη ἔκτισαι παντὶ ἀνθρώπῳ* [*occupatio magna creata est omnibus hominibus*], et ibid. 9, *θάνατος καὶ ἔρις καὶ ῥομφαία καὶ αἷμα, ἐπαγωγὴ λιμοῦ καὶ συντρίμματος καὶ μάστιγος ἐπὶ τοὺς ἀνόμους ἐκτίσθη* [*mors et contentio et romphaea e*

san.

sanguis, oppressiones famis et contritio et flagella, super iniquos creata sunt]. Hinc et Petrus τὴν ἐξουσίαν [*potestatem*] ab hominibus institutam, aut ad res humanas, vocat ἀνθρωπίνην κτίσιν [*humanam creationem*]. Voces autem διατίθεσθαι et διαθήκης latiore sensu ab Hellenistis usurpatas, quam quo vox συνθήκης posset extendi, indicio nobis est locus Luc. 22: 29, multoque magis Eccles. 38: 33, ubi διαθήκη κρίματος nihil aliud est quam *ius iudiciarium*. — Viso cur ברית Hellenistae interpretati sint διαθήκην, sequitur videamus, cur Christiani veteres hunc librum maluerint καινὴν διαθήκην [*novum testamentum*] appellare, quam καινὸν νόμον [*novam legem*], praesertim cum Hebraei et Pentateuchum peculiariter et communiter omnes libros ad sacrum codicem pertinentes תורה [*legem*] sive νόμον appellaverint, et Christiana doctrina suo iure *legis* nomen sibi vindicet, ut Gal. 6: 2, Iac. 2: 8. Existimo igitur Christianos veteres praecipue respexisse ad ipsa Christi verba, qui consummatissimam doctrinam morte sua sanciturus eam *novi* ברית nomine appellavit. Nam ea voce haud dubie est usus, pro quo Graeci scriptores more Septuaginta virûm posuerunt διαθήκης vocabulum. Proprie autem federis notationem a Christo spectatam ostendit addita sanguinis mentio Matth. 26: 28, Marc. 14: 24, Luc. 22: 20. Quod accurate explicat scriptor epistolae ad Hebraeos. Cuius dicti memores Apostoli διακόνους καινῆς διαθήκης [*ministros novi pacti*] dici haberique se voluerunt, 2 Cor. 3: 6. Accedebat, quod vox *federis* aliquanto dilucidius exponebat summam bonitatem et συγκατάβασιν [*demissionem*] Dei, ut qui misso ad nos Iesu Christo non summo nobiscum iure egisset, ut solent legislatores, neque imperiose et minaciter, quae solet vox esse legum, sed blande admodum et cum magna comitate, planeque ut solent, qui bona fide inter se contrahunt. Quo factum est, ut sancti scriptores saepissime doctrinam Christi νόμῳ opponant, et *gratiae* appellent vocabulo, aut sicubi eam *legis* voce indigitant, addant condimenta, quae nominis eius rigorem temperent, ut cum dicitur *lex fidei*, non operum, Rom. 3: 27, et *lex libertatis*, Iac. 1: 25. Merito igitur Christiani, ut ipso nominis sono doctrinam salutarem commendarent, διαθήκης quam νόμον titulum praefigere ei maluerunt. Quanquam autem διαθήκη, ut diximus, ubi de doctrina Christiana agitur, *federis* potissimum habet significationem, cum tamen Graeca vox usitate admodum *testamentum* denotet, non mirum est ad hunc quoque vocis usum alludi a scriptore epistolae ad Hebraeos 9: 17, praesertim cum testamentum, imprimis ubi heres sub conditione instituitur, aut fi-

fidei eius aliquid committitur, ad federum aut pactionum naturam quam proxime accedat. Latini autem Christiani non eo tantum loco, sed ubicunque διαθήκη invenitur in Novo codice, quin et in Vetere, etiam ubi διαθήκη Θεοῦ [*pactum Dei*] nominatur, Ambrosius etiam ubi de federe a Iosua facto agitur, vocem adhibuerunt *testamenti*; non tam iuris forique usum secuti, quam naturam originemque vocis, quae apta est omne id complecti, quo quis voluntatem suam testatam facit: praesertim vero eam, qua bonorum quaedam universitas alicui confertur: quo sensu et vox *heredis*, citra mortis indicationem, sumi solet, ut cum *heredes Dei* dicimur. Cum autem plures olim fuerint διαθῆκαι Θεοῦ, ut apparet Rom. 9: 4, Eph. 2: 12, ipsaque circumcisio κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] ut ברית in Mosis et Prophetarum libris receptissimaque Iudaeorum consuetudine, ita Graece διαθήκη appelletur Act. 7: 8, promissiones quoque de Christo olim factae hoc nomine veniant Luc. 1: 72, Act. 3: 25, Gal. 3: 15, 17, *nova* tamen διαθήκη proprie ac peculiariter illi federi publico maximeque solenni, quod in exitu Aegypti inchoatum et in monte Sinai peractum adhibitoque pecudum sanguine sancitum est, opponitur; ut apparet Ier. 31: 32. Atque hae sunt δύο διαθῆκαι [*duae pactiones*], quas ἀντιδιῃρημένας [*ex adverso distinctas*] nobis ob oculos ponit Paulus, Gal. 4: 24, atque ut illam παλαιὰν διαθήκην [*vetus pactum*] 2 Cor. 3: 14, ita hanc eius respectu καινὴν [*novum*] vocat vers. 6: eodemque modo scriptor nobilissimae ad Hebraeos epistolae illam vocat πρώτην [*prius*], hanc modo καινὴν, modo νέαν [*recens*], quin et κρείττονα [*melius*], itemque αἰώνιον [*aeternum*]. Apparet hinc Latine hunc librum Novum Testamentum dici non posse, nisi laxiore illa atque recentiore vocis acceptione: non quod non proprie testamentum sit quod eo continetur (est enim voluntas Christi, morte ipsius confirmata), sed quod eo sensu vetus ei opponi non possit: quare aut *Fedus* dicendum, aut *Testamenti* vox extra usus veteris atque communis terminos producenda est.

A N-

ANNOTATIONES

IN EUANGELIUM

ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ

[SECUNDUM MATTHAEUM].

ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ, EUANGELIUM] Sicuti vocem *Novi Federis*, ita et hanc Christiani a summo Magistro accepere, ipse a Prophetis acceperat. Vox Hebraea est בשר εὐαγγελίζεσθαι [*bonum nuntiare*], Syri per μετάθεσιν [*transpositionem literarum*] satis receptam סבר fecere: nam ס et ש constat esse ἰσοδύναμα [*tantundem valentia*]. Vocem Hebraeam late satis patentem, ita ut quamvis ἀγγελίαν [*nuntiationem*] significet, de doctrina Christi usurpaverat Esaias 52: 7, quem in hunc sensum citat Paulus Rom. 10: 15. Describitur autem ea doctrina apud Prophetam duplici nomine, *pacis* et *regni Dei*. Atque hinc est, quod haec doctrina tum ab ipso Christo, tum ab eius Apostolis crebro vocetur εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας [*euangelium regni*], addita etiam interdum voce τοῦ Θεοῦ [*Dei*], Matth. 4: 23, 9: 35, 24: 14, Marc. 1: 14, neque minus frequenter εὐαγγέλιον εἰρήνης [*euangelium pacis*], Eph. 2: 17, 6: 15, Act. 10: 36. E quibus locis inter se collatis apparet, proprie ac primario Euangelium dici κήρυγμα [*praedicationem*] illud a Iohanne Baptista inchoatum (nam et illi tribuitur τὸ εὐαγγελίζεσθαι Luc. 3: 18), a Christo vero tum per se, tum per Apo-

stolós (nam per hos ipse Christus dicitur εὐαγγελίσασθαι etiam Gentibus, Eph. 2: 17) consummatum, de regno spirituali Dei in nobis deque parta remissione peccatorum. Hoc enim κήρυγμα, sicut Legi ac Prophetis, ut maius ac perfectius quiddam, opponitur, ita manifeste ostenditur a Baptista sumsisse exordium ipsius Christi pronunciato, quod est Lucae 16: 16, ipsumque tam Baptistae quam Christi κήρυγμα ad id quod diximus Esaiae vaticinium quasi digitum intendit. Iohannis enim quasi prima vox fuit: *Adventavit regnum coeleste*, Matth. 3: 2 et Luc. 3: 3. Christus deinde suam annunciationem inchoans ab eadem illa voce incipit, *Adventavit*, inquiens, *regnum coeleste*, Matth. 4: 17, Marc. 1: 15, ubi hoc ipsum explicatur addita εὐαγγελίου voce: idque ipsum esse, quod εὐαγγελίου voce indicetur apertissime declarat Luc. 4: 18. Atque hinc est, quod doctrina quaevis a Christi doctrina discrepans ἕτερον εὐαγγέλιον [*alterum euangelium*] a Paulo vocatur 2 Cor. 11: 4, Gal. 1: 6, id est aliud κήρυγμα. Quia vero ad explicandam, illustrandam et confirmandam doctrinam a Christo annunciatam pertinent omnes eius κηρύγματος circumstantiae, ideo ipsa quoque historia *Euangelii* nomen accepit, cuius ambitus proprie describitur eo tempore, quod ab annuntiatione Baptistae ad Christi adscensum intercessit, ut clare indicant Petri verba Act. 1: 22 et 10: 37. Hinc est quod Marcus narrationem incipiens ab annuntiatione Baptistae, titulum ei praefigit, *Initium Εὐαγγελίου Iesu Christi Filii Dei:* ita ut quae Matthaeus et Lucas, ille de Christi ortu, hic vero etiam de Baptistae natalibus edisserunt, itemque comparatio illa Baptistae et Christi a Iohanne Apostolo libri sui primordio instituta, anteloquii cuiusdam et εἰσαγωγῆς [*introitus*] habenda sint loco: quod ipse etiam Lucas non obscure videtur profiteri Act. 1: 1. In hoc sensu secundario, qui, ut dixi, cum doctrina simul historiae ipsius cohaerentiam complectitur, ipse Christus vocem Hebraeam בשר aut Syriacam סברת videtur usurpasse, quam Marcus εὐαγγέλιον transtulit 14: 9. Iustissimis igitur de causis veteres Christiani hos libros de rebus Christi εὐαγγέλιον inscripsere: ut ipso quoque nomine ad-

admoneretur lector, quanto dulciora hic liber contineat, quam Prophetarum vaticinia, quorum pleraque triste illud nomen משא [*onus*] sibi praescribunt. Esse autem antiquissimum et ab ipsis Apostolicis deductum temporibus *Euangelii* titulum, docet nos Iustinus in Apologia pro Christianis, quae non dubie ipsius est, ubi ita inquit: *Οἱ γὰρ ἀπόςολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ᾽ αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρεδέδωκαν* [*Apostoli enim in commentariis a se factis, quae Euangelia dicuntur, ita tradidere*]. Accedit quod non Latini tantum, sed et Syrus et Arabs interpretes, omnesque omnium linguarum Ecclesiae hac ipsa voce hos libros et inscripserunt et appellarunt. Admodum autem significanter Iustinus in isto et aliis in locis *ἀπομνημονεύματα* hos libros vocavit, qua voce Xenophon eos libros inscripserat, quibus praecipua dicta factaque Socratis annotarat, Laërtio teste: quo exemplo Latine hosce libros *commentarios de rebus Christi* recte appellaveris.

Κατὰ Ματθαῖον, secundum Matthaeum] Vetus inscriptio non habuit nude *Εὐαγγέλιον* [*Euangelium*], sed *Εὐαγγέλιον Ἰησοῦ Χριςοῦ* [*Euangelium Iesu Christi*], ut est initio Marci; quia nimirum argumentum libri erat, ut iam diximus, *κήρυγμα* [*praedicatio*] Christi: ideo non potuit scriptoris nomen poni patrio casu: sicuti non dicimus *Vita Caesaris Plutarchi*, sed *scripta a Plutarcho*. Hanc causam esse arbitror cur non *Ματθαίου* et *Μάρκου*, atque ita deinceps, sed *κατὰ Ματθαῖον* [*secundum Matthaeum*], *κατὰ Μάρκον* [*secundum Marcum*] hi libri inscripti fuerint, cum alioquin non minus recte id quod scriptum est a Matthaeo *Euangelium Matthaei* possit dici, quam Paulus de doctrina Christi a se praedicata agens dixit, *Εὐαγγέλιόν μου* [*Euangelium meum*], Rom. 16: 25, collato loco 1: 9. Est ergo *Εὐαγγέλιον Ἰησοῦ Χριςοῦ κατὰ Ματθαῖον* [*Euangelium Iesu Christi secundum Matthaeum*] nihil aliud, quam doctrinam a Iesu Christo tradita, prout ea a Matthaeo perscripta est: id enim significat Graecum *κατά*: quod cum Latina voce haud aeque possit exprimi, minus mirandum est, si Latini quidam in citandis his libris Graecam dictionem servaverunt.

Matthaeum in Palaestina regione mansisse annos aliquammultos post Christi ἔνσαρκον ἐνδημίαν [*conversationem in carne*] (octo minimum, ut Graeci aliique exscriptores fine libri annotarunt), magno antiquorum consensu traditur. Quare par credi est, scriptam ab eo Euangelicam historiam eo sermone, qui ea in regione frequentabatur. Nam quod quidam magno conatu probatum eunt, Graecum id quod habemus esse ipsius Matthaei primitivum, in eo nullis iustis de causis maximam piae antiquitatis consensionem repudiant. Nam Papias, Irenaeus, Origenes atque alii, quibus eius rei veritatem quam nobis exquirere promtius fuit, pro comperto tradiderunt scripsisse Matthaeum Hebraice. Addit ex Pantaeno Eusebius, id ipsum Euangelium Hebraicis literis scriptum apud Indos servatum fuisse, quibus tradiderat Bartholomaeus. Neque unquam ea de re dubitasse videtur Hieronymus, quanquam an illud Hebraeum Matthaei esset illud ipsum, quo suo tempore utebantur Nazaraei, quodque tum in bibliotheca Caesareensi, tum Beroeae atque alibi, exstitisse sua aetate memorat, in dubio relinquit. Addit Hieronymus tertio contra Pelagium, scriptum fuisse Chaldaico Syroque sermone, sed Hebraicis literis, ubi *Chaldaicum Syrumque sermonem* intelligo idioma Hierosolymitanum, linguam eius tempóris. Quod autem illi adferunt argumentum ex verbis Hebraicis, quae in Graeco contextu videmus expressa additis interpretationibus, pondus apud me non habet. Solenne enim est omnibus scriptoribus, etiam interpretibus, vocabula peregrina notabiliora servare integra, sed addito interpretamento, quod aliquoties etiam factum vidomus a senibus Septuaginta. Illud quidem Hebraicum Euangelium, quod a Tilio, et alterum, quod a Munstero est editum, non esse Matthaei adeo certum est, ut nullis indigeat argumentis. Sed vetus illud Nazaraeorum Beroeae habitantium, quod a se consultum translatumque in linguas alias narrat Hieronymus, omnino arbitror ex ipso Matthaei codice fluxisse: quod ab illis quidem constantissime asseveratum fuisse, tradit idem Hieronymus. Addit Epiphanius, sed quem non inspexisse apparet, fuisse penes ipsos Euangelium Matthaei plenissimum. Certe Nazaraei illi Beroeenses genuina erant pro-

ge-

genies eorum, qui primi in Palaestina Christi fidem erant amplexi. Nam id illis nomen primitus fuisse inditum ex Domini nostri nomine, qui vulgo *Nazaraenus* vocabatur, apparet Act. 24: 5, plane sicut illi, qui lingua Graeca Christum sunt amplexi, dicti sunt *Χριστιανοὶ* [*Christiani*], Act. 11: 26. Adde quod et Epiphanius testatur, hos ipsos Nazaraeos fuisse propaginem eorum, qui Divinitus admoniti Hierosolymis Pellam discesserant obsidii tempore. Attamen narrationes quaedam non perscriptae a Matthaeo, sed auditu perceptae, videntur paulatim a Nazaraeis assutae iis, quae penes ipsos erant exemplaribus, unde nata diversitas inter ipsorum Hebraicum et quod nos habemus Graecum. Nam historia de adultera, quam nos a Iohanne proditam habemus, in illorum Euangelio legebatur. Tale est illud cap. 12, illum nempe cum arida manu fuisse caementarium, qui miserabilibus verbis imminentem mendicitatem deprecaretur, quod refert Hieronymus. Et hic locus post resurrectionis historiam: *Dominus autem cum dedisset sindonem servo Sacerdotis, ivit ad Iacobum et apparuit ei: iuraverat enim Iacobus se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a mortuis.* Mox: *Afferte, ait Dominus, panem et mensam. Tulit panem et benedixit ac fregit et dedit Iacobo Iusto et dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis a dormientibus.* Sed et id quod apud Ignatium in epistola ad Smyrnaeos legimus, Christum Petro dixisse post resurrectionem: *Ecce palpate me et videte, quia non sum daemonium corporale*, et statim tetigisse eum et credidisse, exstabat in eodem illo secundum Hebraeos Euangelio. Et locus ille de divite capite 19 aliter habebat, ut dicemus, cum eo ventum erit. Narrabatur in eodem Euangelio fractum atque divisum fuisse limen superum Templi, cum Christus mortem obiret. Est et alius ex eodem Hebraeo Euangelio locus in dialogo Hieronymi tertio adversus Pelagianos: *Ecce mater Domini et fratres eius dicebant ei: Iohannes Baptista baptizat in remissionem peccatorum. Eamus, et baptizemur ab eo. Dixit autem eis: Quid peccavi, ut vadam et baptizer ab eo?* Adde his locum, qui est infra 18: 22. Sed et

dabitur occasio. In legibus autem sanctio dicitur ea pars, quae sanguinem delinquentis legi consecrat. Hinc Hebraei voces ברית et חוק [*statutum*] saepe alteram per alteram exponunt. Rursum lex cum testamento hoc habet commune, quod neutrum conventione indiget. Nam et heres, eo ipso quod heres est, praestare debet factum defuncti, et subiectus alterius imperio, eo ipso quod subiectus est, eiusdem legibus parere debet. Conventio autem in hoc cum testamento congruit, quod et contrahendi et hereditatis adeundae initium solet esse liberum; at subiectionis non item, ut quae multis in locis ex origine sola descendat.

Haec cum ita sint, quaeri potest cur Septuaginta interpretes, quos secuti sunt omnes Hellenistae, atque inter eos viri sancti, qui Euangelia atque Epistolas scripserunt, vocem Hebraeam ברית interpretari maluerint διαθήκην, quam aut συνθήκην, ut fecit Aquila, aut aliter etiam; quippe cum multas eius significationis voces suppeditet Graecae linguae ubertas. Videntur igitur mihi eo respexisse, quod latius pateret vox Hebraea ברית, quam Graeca συνθήκη, aut alia, quae vim similem obtinet. Nam συνθῆκαι ex consentienti duarum voluntatum testimonio vinculi potestatem accipiunt. At quod Moses aliique ברית vocant, plerumque est eiusmodi, ut nullum partis alterius consensum requirat, cum obligandi vis ei adsit ex solo superioris, puta Dei, iussu atque imperio, qui tamen interdum sponte sua se quoque promittendo obliget: ut solent legum auctores quoties praemia addunt legibus. Quia vero vocem Hebraeam unam una quoque Graeca exprimere studebant Senes eruditissimi, ideo etiam ubi ברית ad conventiones mutuas pertinebat, ut 1 Reg. 5: 12, atque alibi, generali vocabulo διαθήκης uti maluerunt: credo quod ipsam quoque vocem ברית ab alia notione vocis ברא natam arbitrarentur. Nam ברא ut proprie *creare*, ita similitudinis iure *ordinare* atque διατίθεσθαι significat: quo factum est, ut Iudaei Hellenistae etiam τὸ κτίζειν, quod Hebraeo ברא respondet, ad eum significatum produxerint. Neque enim aliter potest accipi illud apud Iesum Sirachidem, Eccles. 11: 16, *πλάνη καὶ σκότος ἁμαρτωλοῖς συνέκτισαι* [*error et tenebrae peccatoribus concreata sunt*], et 39: 29, *πῦρ καὶ θάλασσα καὶ λιμὸς καὶ θάνατος, πάντα ταῦτα εἰς ἐκδίκησιν ἔκτισαι* [*ignis, mare, fames, mors, omnia haec ad vindictam creata sunt*], et 40: 1, *ἀσχολία μεγάλη ἔκτισαι παντὶ ἀνθρώπῳ* [*occupatio magna creata est omnibus hominibus*], et ibid. 9, *θάνατος καὶ ἔρις καὶ ῥομφαία καὶ αἷμα, ἐπαγωγὴ λιμοῦ καὶ συντρίμματος καὶ μάστιγος ἐπὶ τοὺς ἀνόμους ἐκτίσθη* [*mors et contentio et romphaea et san-*

sanguis, oppressiones famis et contritio et flagella, super iniquos creata sunt]. Hinc et Petrus *τὴν ἐξουσίαν* [*potestatem*] ab hominibus institutam, aut ad res humanas, vocat *ἀνθρωπίνην κτίσιν* [*humanam creationem*]. Voces autem *διατίθεσθαι* et *διαθήκη* latiore sensu ab Hellenistis usurpatas, quam quo vox *συνθήκης* posset extendi, indicio nobis est locus Luc. 22: 29, multoque magis Eccles. 38: 33, ubi *διαθήκη κρίματος* nihil aliud est quam *ius iudiciarium*. — Viso cur ברית Hellenistae interpretati sint *διαθήκην*, sequitur videamus, cur Christiani veteres hunc librum maluerint *καινὴν διαθήκην* [*novum testamentum*] appellare, quam *καινὸν νόμον* [*novam legem*], praesertim cum Hebraei et Pentateuchum peculiariter et communiter omnes libros ad sacrum codicem pertinentes תורה [*legem*] sive *νόμον* appellaverint, et Christiana doctrina suo iure *legis* nomen sibi vindicet, ut Gal. 6: 2, Iac. 2: 8. Existimo igitur Christianos veteres praecipue respexisse ad ipsa Christi verba, qui consummatissimam doctrinam morte sua sanciturus eam *novi* ברית nomine appellavit. Nam ea voce haud dubie est usus, pro quo Graeci scriptores more Septuaginta virûm posuerunt *διαθήκης* vocabulum. Proprie autem federis notationem a Christo spectatam ostendit addita sanguinis mentio Matth. 26: 28, Marc. 14: 24, Luc. 22: 20. Quod accurate explicat scriptor epistolae ad Hebraeos. Cuius dicti memores Apostoli *διακόνους καινῆς διαθήκης* [*ministros novi pacti*] dici haberique se voluerunt, 2 Cor. 3: 6. Accedebat, quod vox *federis* aliquanto dilucidius exponebat summam bonitatem et *συγκατάβασιν* [*demissionem*] Dei, ut qui misso ad nos Iesu Christo non summo nobiscum iure egisset, ut solent legislatores, neque imperiose et minaciter, quae solet vox esse legum, sed blande admodum et cum magna comitate, planeque ut solent, qui bona fide inter se contrahunt. Quo factum est, ut sancti scriptores saepissime doctrinam Christi *νόμῳ* opponant, et *gratiae* appellent vocabulo, aut sicubi eam *legis* voce indigitant, addant condimenta, quae nominis eius rigorem temperent, ut cum dicitur *lex fidei*, non operum, Rom. 3: 27, et *lex libertatis*, Iac. 1: 25. Merito igitur Christiani, ut ipso nominis sono doctrinam salutarem commendarent, *διαθήκης* quam *νόμου* titulum praefigere ei maluerunt. Quanquam autem *διαθήκη*, ut diximus, ubi de doctrina Christiana agitur, *federis* potissimum habet significationem, cum tamen Graeca vox usitate admodum *testamentum* denotet, non mirum est ad hunc quoque vocis usum alludi a scriptore epistolae ad Hebraeos 9: 17, praesertim cum testamentum, imprimis ubi heres sub conditione instituitur, aut fi-

fidei eius aliquid committitur, ad federum aut pactionum naturam quam proxime accedat. Latini autem Christiani non eo tantum loco, sed ubicunque διαθήκη invenitur in Novo codice, quin et in Vetere, etiam ubi διαθήκη Θεοῦ [*pactum Dei*] nominatur, Ambrosius etiam ubi de federe a Iosua facto agitur, vocem adhibuerunt *testamenti;* non tam iuris forique usum secuti, quam naturam originemque vocis, quae apta est omne id complecti, quo quis voluntatem suam testatam facit: praesertim vero eam, qua bonorum quaedam universitas alicui confertur: quo sensu et vox *heredis*, citra mortis indicationem, sumi solet, ut cum *heredes Dei* dicimur. Cum autem plures olim fuerint διαθῆκαι Θεοῦ, ut apparet Rom. 9: 4, Eph. 2: 12, ipsaque circumcisio κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] ut ברית in Mosis et Prophetarum libris receptissimaque Iudaeorum consuetudine, ita Graece διαθήκη appelletur Act. 7: 8, promissiones quoque de Christo olim factae hoc nomine veniant Luc. 1: 72, Act. 3: 25, Gal. 3: 15, 17, *nova* tamen διαθήκη proprie ac peculiariter illi federi publico maximeque solenni, quod in exitu Aegypti inchoatum et in monte Sinai peractum adhibitoque pecudum sanguine sancitum est, opponitur; ut apparet Ier. 31: 32. Atque hae sunt δύο διαθῆκαι [*duae pactiones*], quas ἀντιδιῃρημένας [*ex adverso distinctas*] nobis ob oculos ponit Paulus, Gal. 4: 24, atque ut illam παλαιὰν διαθήκην [*vetus pactum*] 2 Cor. 3: 14, ita hanc eius respectu καινὴν [*novum*] vocat vers. 6: eodemque modo scriptor nobilissimae ad Hebraeos epistolae illam vocat πρώτην [*prius*], hanc modo καινὴν, modo νέαν [*recens*], quin et κρείττονα [*melius*], itemque αἰώνιον [*aeternum*]. Apparet hinc Latine hunc librum Novum Testamentum dici non posse, nisi laxiore illa atque recentiore vocis acceptione: non quod non proprie testamentum sit quod eo continetur (est enim voluntas Christi, morte ipsius confirmata), sed quod eo sensu vetus ei opponi non possit: quare aut *Fedus* dicendum, aut *Testamenti* vox extra usus veteris atque communis terminos producenda est.

A N-

ANNOTATIONES

IN EUANGELIUM

ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ

[SECUNDUM MATTHAEUM].

ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ, EUANGELIUM] Sicuti vocem *Novi Federis*, ita et hanc Christiani a summo Magistro accepere, ipse a Prophetis acceperat. Vox Hebraea est בשר *εὐαγγελίζεσθαι* [*bonum nuntiare*], Syri per *μετάθεσιν* [*transpositionem literarum*] satis receptam סבר fecere: nam ס et ש constat esse *ἰσοδύναμα* [*tantundem valentia*]. Vocem Hebraeam late satis patentem, ita ut quamvis *ἀγγελίαν* [*nuntiationem*] significet, de doctrina Christi usurpaverat Esaias 52: 7, quem in hunc sensum citat Paulus Rom. 10: 15. Describitur autem ea doctrina apud Prophetam duplici nomine, *pacis* et *regni Dei*. Atque hinc est, quod haec doctrina tum ab ipso Christo, tum ab eius Apostolis crebro vocetur *εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας* [*euangelium regni*], addita etiam interdum voce *τοῦ Θεοῦ* [*Dei*], Matth. 4: 23, 9: 35, 24: 14, Marc. 1: 14, neque minus frequenter *εὐαγγέλιον εἰρήνης* [*euangelium pacis*], Eph. 2: 17, 6: 15, Act. 10: 36. E quibus locis inter se collatis apparet, proprie ac primario Euangelium dici *κήρυγμα* [*praedicationem*] illud a Iohanne Baptista inchoatum (nam et illi tribuitur *τὸ εὐαγγελίζεσθαι* Luc. 3: 18), a Christo vero tum per se, tum per Apo-

sto-

stolós (nam per hos ipse Christus dicitur εὐαγγελίσασθαι etiam Gentibus, Eph. 2: 17) consummatum, de regno spirituali Dei in nobis deque parta remissione peccatorum. Hoc enim κήρυγμα, sicut Legi ac Prophetis, ut maius ac perfectius quiddam, opponitur, ita manifeste ostenditur a Baptista sumsisse exordium ipsius Christi pronunciato, quod est Lucae 16: 16, ipsumque tam Baptistae quam Christi κήρυγμα ad id quod diximus Esaiae vaticinium quasi digitum intendit. Iohannis enim quasi prima vox fuit: *Adventavit regnum coeleste*, Matth. 3: 2 et Luc. 3: 3. Christus deinde suam annunciationem inchoans ab eadem illa voce incipit, *Adventavit*, inquiens, *regnum coeleste*, Matth. 4: 17, Marc. 1: 15, ubi hoc ipsum explicatur addita εὐαγγελίου voce: idque ipsum esse, quod εὐαγγελίου voce indicetur apertissime declarat Luc. 4: 18. Atque hinc est, quod doctrina quaevis a Christi doctrina discrepans ἕτερον εὐαγγέλιον [*alterum euangelium*] a Paulo vocatur 2 Cor. 11: 4, Gal. 1: 6, id est aliud κήρυγμα. Quia vero ad explicandam, illustrandam et confirmandam doctrinam a Christo annunciatam pertinent omnes eius κηρύγματος circumstantiae, ideo ipsa quoque historia *Euangelii* nomen accepit, cuius ambitus proprie describitur eo tempore, quod ab annuntiatione Baptistae ad Christi adscensum intercessit, ut clare indicant Petri verba Act. 1: 22 et 10: 37. Hinc est quod Marcus narrationem incipiens ab annuntiatione Baptistae, titulum ei praefigit, *Initium Εὐαγγελίου Iesu Christi Filii Dei:* ita ut quae Matthaeus et Lucas, ille de Christi ortu, hic vero etiam de Baptistae natalibus edisserunt, itemque comparatio illa Baptistae et Christi a Iohanne Apostolo libri sui primordio instituta, anteloquii cuiusdam et εἰσαγωγῆς [*introitus*] habenda sint loco: quod ipse etiam Lucas non obscure videtur profiteri Act. 1: 1. In hoc sensu secundario, qui, ut dixi, cum doctrina simul historiae ipsius cohaerentiam complectitur, ipse Christus vocem Hebraeam בשר aut Syriacam סברת videtur usurpasse, quam Marcus εὐαγγέλιον transtulit 14: 9. Iustissimis igitur de causis veteres Christiani hos libros de rebus Christi εὐαγγέλιον inscripsere: ut ipso quoque nomine ad-

admoneretur lector, quanto dulciora hic liber contineat, quam Prophetarum vaticinia, quorum pleraque triste illud nomen משא [*onus*] sibi praescribunt. Esse autem antiquissimum et ab ipsis Apostolicis deductum temporibus *Euangelii* titulum, docet nos Iustinus in Apologia pro Christianis, quae non dubie ipsius est, ubi ita inquit: *Οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδεδωκαν* [*Apostoli enim in commentariis a se factis, quae Euangelia dicuntur, ita tradidere*]. Accedit quod non Latini tantum, sed et Syrus et Arabs interpretes, omnesque omnium linguarum Ecclesiae hac ipsa voce hos libros et inscripserunt et appellarunt. Admodum autem significanter Iustinus in isto et aliis in locis *ἀπομνημονεύματα* hos libros vocavit, qua voce Xenophon eos libros inscripserat, quibus praecipua dicta factaque Socratis annotarat, Laërtio teste: quo exemplo Latine hosce libros *commentarios de rebus Christi* recte appellaveris.

Κατὰ Ματθαῖον, secundum Matthaeum] Vetus inscriptio non habuit nude *Εὐαγγέλιον* [*Euangelium*], sed *Εὐαγγέλιον Ἰησοῦ Χριστοῦ* [*Euangelium Iesu Christi*], ut est initio Marci; quia nimirum argumentum libri erat, ut iam diximus, *κήρυγμα* [*praedicatio*] Christi: ideo non potuit scriptoris nomen poni patrio casu: sicuti non dicimus *Vita Caesaris Plutarchi*, sed *scripta a Plutarcho*. Hanc causam esse arbitror cur non *Ματθαίου* et *Μάρκου*, atque ita deinceps, sed *κατὰ Ματθαῖον* [*secundum Matthaeum*], *κατὰ Μάρκον* [*secundum Marcum*] hi libri inscripti fuerint, cum alioquin non minus recte id quod scriptum est a Matthaeo *Euangelium Matthaei* possit dici, quam Paulus de doctrina Christi a se praedicata agens dixit, *Εὐαγγέλιόν μου* [*Euangelium meum*], Rom. 16: 25, collato loco 1: 9. Est ergo *Εὐαγγέλιον Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ Ματθαῖον* [*Euangelium Iesu Christi secundum Matthaeum*] nihil aliud, quam doctrinam a Iesu Christo tradita, prout ea a Matthaeo perscripta est: id enim significat Graecum *κατά*: quod cum Latina voce haud aeque possit exprimi, minus mirandum est, si Latini quidam in citandis his libris Graecam dictionem servaverunt.

Matthaeum in Palaestina regione mansisse annos aliquammultos post Christi ἔνσαρκον ἐνδημίαν [*conversationem in carne*] (octo minimum, ut Graeci aliique exscriptores fine libri annotarunt), magno antiquorum consensu traditur. Quare par credi est, scriptam ab eo Euangelicam historiam eo sermone, qui ea in regione frequentabatur. Nam quod quidam magno conatu probatum eunt, Graecum id quod habemus esse ipsius Matthaei primitivum, in eo nullis iustis de causis maximam piae antiquitatis consensionem repudiant. Nam Papias, Irenaeus, Origenes atque alii, quibus eius rei veritatem quam nobis exquirere promtius fuit, pro comperto tradiderunt scripsisse Matthaeum Hebraice. Addit ex Pantaeno Eusebius, id ipsum Euangelium Hebraicis literis scriptum apud Indos servatum fuisse, quibus tradiderat Bartholomaeus. Neque unquam ea de re dubitasse videtur Hieronymus, quanquam an illud Hebraeum Matthaei esset illud ipsum, quo suo tempore utebantur Nazaraei, quodque tum in bibliotheca Caesareensi, tum Beroeae atque alibi, exstitisse sua aetate memorat, in dubio relinquit. Addit Hieronymus tertio contra Pelagium, scriptum fuisse Chaldaico Syroque sermone, sed Hebraicis literis, ubi *Chaldaicum Syrumque sermonem* intelligo idioma Hierosolymitanum, linguam eius temporis. Quod autem illi adferunt argumentum ex verbis Hebraicis, quae in Graeco contextu videmus expressa additis interpretationibus, pondus apud me non habet. Solenne enim est omnibus scriptoribus, etiam interpretibus, vocabula peregrina notabiliora servare integra, sed addito interpretamento, quod aliquoties etiam factum vidomus a senibus Septuaginta. Illud quidem Hebraicum Euangelium, quod a Tilio, et alterum, quod a Munstero est editum, non esse Matthaei adeo certum est, ut nullis indigeat argumentis. Sed vetus illud Nazaraeorum Beroeae habitantium, quod a se consultum translatumque in linguas alias narrat Hieronymus, omnino arbitror ex ipso Matthaei codice fluxisse: quod ab illis quidem constantissime asseveratum fuisse, tradit idem Hieronymus. Addit Epiphanius, sed quem non inspexisse apparet, fuisse penes ipsos Euangelium Matthaei plenissimum. Certe Nazaraei illi Beroeenses genuina erant proge-

ge-

genies eorum, qui primi in Palaestina Christi fidem erant amplexi. Nam id illis nomen primitus fuisse inditum ex Domini nostri nomine, qui vulgo *Nazaraenus* vocabatur, apparet Act. 24: 5, plane sicut illi, qui lingua Graeca Christum sunt amplexi, dicti sunt Χριςιανοί [*Christiani*], Act. 11: 26. Adde quod et Epiphanius testatur, hos ipsos Nazaraeos fuisse propaginem eorum, qui Divinitus admoniti Hierosolymis Pellam discesserant obsidii tempore. Attamen narrationes quaedam non perscriptae a Matthaeo, sed auditu perceptae, videntur paulatim a Nazaraeis assutae iis, quae penes ipsos erant exemplaribus, unde nata diversitas inter ipsorum Hebraicum et quod nos habemus Graecum. Nam historia de adultera, quam nos a Iohanne proditam habemus, in illorum Euangelio legebatur. Tale est illud cap. 12, illum nempe cum arida manu fuisse caementarium, qui miserabilibus verbis imminentem mendicitatem deprecaretur, quod refert Hieronymus. Et hic locus post resurrectionis historiam: *Dominus autem cum dedisset sindonem servo Sacerdotis, ivit ad Iacobum et apparuit ei: iuraverat enim Iacobus se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a mortuis.* Mox: *Afferte, ait Dominus, panem et mensam. Tulit panem et benedixit ac fregit et dedit Iacobo Iusto et dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis a dormientibus.* Sed et id quod apud Ignatium in epistola ad Smyrnaeos legimus, Christum Petro dixisse post resurrectionem: *Ecce palpate me et videte, quia non sum daemonium corporale*, et statim tetigisse eum et credidisse, exstabat in eodem illo secundum Hebraeos Euangelio. Et locus ille de divite capite 19 aliter habebat, ut dicemus, cum eo ventum erit. Narrabatur in eodem Euangelio fractum atque divisum fuisse limen superum Templi, cum Christus mortem obiret. Est et alius ex eodem Hebraeo Euangelio locus in dialogo Hieronymi tertio adversus Pelagianos: *Ecce mater Domini et fratres eius dicebant ei: Iohannes Baptista baptizat in remissionem peccatorum. Eamus, et baptizemur ab eo. Dixit autem eis: Quid peccavi, ut vadam et baptizer ab eo?* Adde his locum, qui est infra 18: 22. Sed et sen-

sententiae quaedam Christi, quae in nostris libris perscriptae non sunt, ex fama in eum librum sunt relatae: ut illa, quam laudat Clemens Alexandrinus: *Ὁ θαυμάσας βασιλεύσει, καὶ ὁ βασιλεύσας ἀναπαύσεται* [*Qui contemplabitur regnabit, et regnans requiescet*], et apud Hieronymum altera: *Nunquam laeti sitis, nisi cum fratrem vestrum videritis in caritate*, et illud quod est apud Origenem et alios: *Γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται, τὰ μὲν ἀποδοκιμάζοντες, τὸ δὲ καλὸν κατέχοντες* [*Este probi nummularii, alia reiicientes, bona retinentes*]: cuius generis plures quoque fuisse sententias per manum traditas, sed cum perscriptis sensu congruentes, credibile est. Nam et in Actis ut Christi dictum citatur, quod illis verbis perscriptum non exstat, *Μακάριόν ἐςι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν* [*Melius est dare, quam accipere*], 20: 35. Puto autem Tatianum, cum ex quatuor Euangeliis unum concinnaret, secutum in Matthaei verbis non Graecos tantum sed et Hebraeos codices, unde Euangelium illud Tatiani, quod vulgo vocabatur *διὰ τεσσάρων* [*ex quatuor*], ab aliis dictum *κατὰ Ἑβραίους* [*secundum Hebraeos*] narrat Epiphanius. Atque hinc etiam factum arbitror, ut istud Euangelium alii vocent non *διὰ τεσσάρων*, sed *διὰ πέντε* [*ex quinque*], ut Victor Capuanus. Neque id mirum nobis videri debet, cum Ignatius tanto antiquior illam historiam de verbis post resurrectionem, Iustinus alteram de baptismo Christi recitet, ita ut legebatur in Euangelio Nazaraeorum. Video esse qui putent, non auctum tantum ex traditionibus, sed et mutilatum fuisse Euangelium Nazaraeorum, cuius rei nusquam idoneum reperio testem. Nam Epiphanius contrarium dicit: *Ἔχουσι δὲ τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον πληρέςατον Ἑβραϊςί* [*Habent Matthaei Euangelium plenissimum Hebraice*]. Nec assentiri possum iis, qui Epiphanii verbis negationem interserunt: quanquam scio ab eodem Epiphanio de Ebionaeis dici, usos eos Matthaei Euangelio *οὐχ ὅλῳ δὲ πληρεςάτῳ ἀλλὰ νενοθευμένῳ καὶ ἠκρωτηριασμένῳ* [*non pleno, sed partim corrupto partim mutilato*]: neque ignoro Hieronymum ita Hebraeum Matthaei exemplar citare, ut id commune videatur facere Nazaraeis et Ebionitis. Sed commune illis arbitror fuisse Euangelium Matthaei,

thaei, sicut olim Catholicis commune fuit cum Marcione Euangelium Lucae, paucis scilicet mutatis, quae Marcioni displicebant. Ita et Ebionitae deleverunt totam γενεαλογίαν [*generis recensionem*] et quae sequuntur ad eum locum, ubi Christus a Iohanne baptizatur, plane sicut Marcio prima Lucae capita induxit. Fecerunt autem hoc Ebionitae pro suo instituto, ut qui Dominum Iesum credi vellent natum ex Iosephi concubitu, et virtutum merito consecutum unctionis gratiam, ut alibi dicemus. Hoc autem cur Nazaraei facerent, nihil erat causae, qui non probantur in fidei negotio a caeteris Christianis discrepasse; quanquam ritus Iudaicos tradita a Maioribus consuetudine observabant, Apostolis non prohibentibus. Bene enim notat Sulpicius, in Palaestina Christianos pene omnes ad Adriani usque tempora Christum Deum sub Legis observatione credidisse. Et cum dubitet Epiphanius, an hi quoque ψιλὸν ἄνθρωπον [*nudum hominem*] Christum dicerent, an vero nobiscum faterentur ipsum διὰ Πνεύματος ἁγίου γεγενῆσθαι ἐκ Μαρίας [*per Spiritum sanctum natum ex Maria*], sed et nescire se dicat, an abscindant τὰς γενεαλογίας τὰς ἀπὸ τοῦ Ἀβραὰμ ἄχρι Χριστοῦ [*generis recensiones ab Abrahamo ad Christum*]; alii vero, qui de iis scribunt, nihil plane illis tribuant proprium praeter Hebraeorum rituum observationem; Irenaeus vero nullam eorum mentionem faciat in recensu haereseon: in partem meliorem de illis iudicandum est, eoque magis quod Augustinus, qui vetustiores scriptores consuluit, diserte affirmet, confiteri Nazaraeos Christum esse Dei filium; et Origenes cum duplices facit Ebionaeos in disputatione contra Celsum, ἤτοι ἐκ παρθένου ὁμολογοῦντας ὁμοίως ἡμῖν τὸν Ἰησοῦν, ἢ οὐχ οὕτω γεγενῆσθαι ἀλλ' ὡς τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους [*aut ex virgine nobiscum fatentes Iesum esse natum, aut sic prout alios homines*], *Ebionaeorum* nomine laxius abutens, sub priori illa nota Nazaraeos, ut credibile est, describat. Quare Hebraeum illud Nazaraeorum Euangelium, quod saepe laudat Hieronymus, est quidem idem ac Ebionis Euangelium, sed, ut recte iudicavit Gelasius, ab Ebione maculatum. — Sicut autem Marcus usus est Matthaei Hebraeo, ni fallor, codice: ita Marci libro Graeco usus mihi videtur quis-

quis

quis fuit Matthaei Graecus interpres. Nam quae Marcus ex Matthaeo desumserat, idem hic iisdem prope verbis posuit, nisi quod quaedam a Marco Hebraico aut Chaldaico loquendi genere expressa propius ad Graeci sermonis normam emollivit. De cuius versionis ab ipso Christianismi initio per Ecclesias receptae auctoritate ac fide dubitare nefas arbitror.

CAPUT I.

Βίβλος γενέσεως, liber generationis] Non est haec inscriptio totius libri, ut quidam putarunt, sed particulae primae, quae velut extra corpus historiae prominet. Quales *ἐπιγραφαὶ μερικαὶ* [*inscriptiones speciales*] multae sunt in Mose et Prophetis. Quod Graeci uno verbo dicerent *γενεαλογίαν* [*genealogiam*], id Hebraei non possunt nisi duabus vocibus exprimere. Solent autem Graeci Hebraeorum codicum interpretes verbum verbo reddere: ideo raro compositis vocibus utuntur. *Βίβλος* ex Hebraeo usu vocis ספר scriptum quamvis breve significat; quod recte animadvertit Syrus, qui eius loco posuit כתבא [*scriptura*]. *Γένεσις* Latine est *origo*. Ita enim ex Platone Cicero transtulit in libro de universitate. Est ergo *βίβλος γενέσεως*, quomodo et LXX verterunt ספר תולדות Gen. 5: 1, Latine, *descriptio originis*. Nec quicquam opus suppleri, non magis quam in rubricis, quas partes librorum praeferunt, aut quoties in orationibus ponitur *ΝΟΜΟΣ* [LEX], *ΜΑΡΤΥΡΙΑ* [TESTIMONIUM], aut *ΨΗΦΙΣΜΑ* [SUFFRAGIUM, SCITUM].

Υἱοῦ Δαβὶδ, υἱοῦ Ἀβραὰμ, filii Davidis, filii Abrahami] Hoc est, qui est e posteris Davidis atque Abrahami; nam בן in Hebraismo (quem sequuntur *οἱ Ἑλληνισταὶ* [*Iudaei Graece loquentes*]) tam late patet quam apud Graecos *τέκνων*, apud Latinos *liberûm* appellatio: cum alioquin Graecis *υἱὸς*, et *filius* Latinis primum duntaxat gradum notet. Facit autem Matthaeus Abrahami et Davidis specialiter mentionem ob promissa illis facta, Abrahamo de populosa progenie, Davidi autem de regni stabilitate, quorum utrumque in Christo eminenter impletum est. Quare et qui de Iesu maius aliquid quam caeteri conceperant, *filium*

lium eum *Davidis* vocant, ut multis Euangeliorum locis apparet. Quisquis autem fuit Matthaei interpres, vir haud dubie Apostolicae gravitatis, nomina Hebraea Graece eo sono extulit, cui Hellenistae per Septuaginta aliorumque versiones iampridem assueverant, ne qua scilicet novitate non necessaria turbarentur legentium animi.

2. *Τὸν Ἰούδαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, Iudam et fratres eius*] Obitèr Matthaeus Christum ut cognatum omnibus Israelitis commendat.

3. *Καὶ τὸν Ζαρὰ, Zaram*] Hoc nomen addidit, ad memoriam innovandam illustris rei, quae in horum partu evenit: gradus futurus ad credendum partum e virgine.

5. *Ἐκ τῆς Ῥαχάβ, de Raab*] Hoc ex traditione Iudaeorum.

6. *Δαβὶδ τὸν βασιλέα, Davidem Regem*] Solebant Hebraei honoris causa Davidem ferme addito hoc titulo nominare דוד המלך, vide 1 Reg. 1. Id secutus videtur Matthaeus. *B* litera hic locum obtinet τοῦ δίγαμμα [*duplicati gamma*], quod iam scribi desierat: itaque Graeci ipsi literam sextam, quae nunc in numeris ordinem suum servat, at olim in Alphabeto quoque eodem quo apud Hebraeo loco conspiciebatur, nominabant hoc modo *βαῦ*, ut ex Varrone et Didymo tradiderunt Cornutus, Marius Victorinus, Priscianus et Donatus.

Ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου, ex illa Uriae] Similis locutio apud Virgilium:

Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?

Nam et *uxor*, et *quondam* deest ut plenus fiat sermo. Mulieres in hoc censu obiter paucae nominantur, extraneo ortu aut criminibus nobiles, quarum historia ad vocationem idololatrarum et criminosorum per Christi Euangelium proludit.

11. *Καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, et fratres eius*] Omnes calamitate sua nobiles: neque id ab hoc loco alienum, ne quis miretur, regiam stirpem ad humilem fortunam detrudi.

Ἐπὶ τῆς μετοικεσίας, in transmigratione] Temporis laxior designatio. Vide Luc. 3: 23.

16. *Ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσὴφ, Iacobus autem genuit Iosephum*] Quod quidam existimant, a Matthaeo recenseri genus Iosephi, a Luca autem Mariae, nequaquam probabile mihi videtur. Nam cum Lucas eodem contextu dicat,

ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ [*ut putabatur filius Iosephi, qui fuit Heli*], atque ita caetera deinceps, filios patribus continua serie connectens, aut Iosepho omisso velle Christum Heli nepotem dici, aut Iosephum ipsius Heli non filium sed generum, a recto sermone usuque alienum est. Fatendum igitur est eiusdem Iosephi genus ab altero prorsum, ab altero retrorsum censeri. Neque vero aliena a Christo existimanda est origo Iosephi, cum natus sit Christus ex ea, quam Iosephus in matrimonio retinuerit. Nam si ea vis est legis, ut partus viduae ex agnato defuncti viri conceptus in omne ius defuncti succedat, non aliter quam si ex ipsius genitura ortum traxisset, quidni id quod sine humana opera ex legitima illius coniuge natum est, quasi ipsius solo Divinitus insitum, ipsius proprium censeatur? Atque hinc est nimirum, quod non tantum ab Euangelii scriptoribus Iosephus *pater Christi*, nuptiis videlicet patrem demonstrantibus, nominatur, sed et Christus omnia obsequia atque operas illi praestitit, quae exspectari possunt a filio in sacris paternis constituto. Quod si ubique gentium adoptivi liberi ex eius gentis, cui velut insiti sunt, nobilitate censentur, quanto iustius omnia iura gentilitia Iosephi ac promissiones Divinae ipsius Maioribus factae ad Dominum Iesum pertinebant? Quod vero receptum est, etiam Mariae stemma posse ex Iosephi stemmate colligi, non arbitror satis recte superstrui iis, quae vulgo ponuntur fundamentis. Nam quod aiunt tribules tribulibus nubere debuisse, neque perpetuum est, neque, si sit, eo usque valere potest, ut etiam ex Davidis familia Mariam fuisse natam, inde appareat. Quare statuendum, non modo extra tribum, sed ne extra familiam quidem nubere Mariam potuisse: quod verissimum est, quando fratres consanguineos nullos habuit. Nam puellae Israëlitides, quae fratres non haberent, Lege Mosis iubentur nubere agnatis proximis: idque definitum exstat Numerorum capite ultimo, ex specie facti, quae se Mosi obtulerat. Vox enim מטה, quae aliquoties ibi reperitur, non *tribum*, si modo *tribus* nomine δωδεκατημόριον [*pars duodecima*] Israëlitici populi intelligatur, sed laxiore significatu *stirpem* notat, praesertim hoc loco, ubi additur vox altera משפחה, quae idem

idem valet quod *familia* Latinis, ita ut משפחת מטה אבותם proprie sit *familia stirpis paternae.* Neque aliter acceperunt LXX, qui hoc loco modo δῆμον modo φυλὴν nominant. Δῆμον apud illos partem esse integrae Tribus, id est, τοῦ δωδεκατημορίου, ex Iosuae libro aliquot locis apparet. Sed et φυλὴν pro *familia* usurpat Iosephus, ut cum φυλὰς ἀρχιερατικὰς [*familias pontificales*] nominat Belli Iudaici libro IV. Eodemque modo tum ipse tum LXX verterunt משפחה 1 Sam. 20: 6, ubi de familiari non tribuli convivio agi videtur. Et vicissim πατριὰ [*familia*] dicitur interdum, quae proprie est φυλὴ [*tribus*], unde οἱ δώδεκα πατριάρχαι [*duodecim Tribuum principes*] in oratione Stephani, id est, φύλαρχοι aut ἀρχίφυλοι, ut loquuntur alii. Quare manifestum, voces illas non semper idem significare, sed pro materiae diversitate varie interpretandas. Ut autem hoc loco familia designata intelligatur, exigit ratio legi addita, quae haec est, ne bona avita mancipii iure ad extraneos deveniant, quod non Tribuum tantum, sed et gentium familiarumque conservandarum causa constitutum esse ex simili lege, quae est de Redemturis, intelligi potest. Hinc est, quod is, qui Tobiae historiam scripsit, moris Iudaici non indiligens observator, Saram virginem conquerentem introducit, quod pater ipsius filios heredes non haberet, neque vero esset frater ei, cuius filio se uxorem ex lege servaret, cap. 3: 18. Nec secus is, qui Iudithae historiam scripsit, maritum eius ait fuisse non modo τῆς φυλῆς αὐτῆς [*eiusdem tribus*] sed τῆς πατριᾶς αὐτῆς [*familiae eiusdem*]. Chrysostomus quoque et Epiphanius, quibus mores Iudaeorum ignoti esse vix poterant, iis in locis viventibus, ubi maxima Iudaeorum erat multitudo, ita legem quam dixi Mosis interpretantur. Legibus sane Atticis, quarum antiquissimas ex Mosis legibus desumtas ac tantum non descriptas esse, facillimum probatu est, idem quod diximus invenitur constitutum. Vocabatur autem puella talis sive sola ex asse heres esset patri, sive sorores non etiam fratres haberet, vulgo ἐπίκληρος [*hereditatis compos*], ab ipso Solone περικληρῖτις, ab aliis etiam πατροῦχος. Ad quem eius nuptiae lege pertinebant, agnatus nimirum proximus, is dicebatur ἐπιδικαζόμενος [*vindicans*], He-

Hebraice יורש [*hereditario iure ducens*], id est, ὁ κληρονομῶν αὐτὴν, ut est in ea quam dixi Tobiae historia 3: 25. Ex hac lege argumentum comoediae sumsit Apollodorus, cui nomen fecit Ἐπιδικαζόμενος, aut, ut Donatus vult, Ἐπιδικαζομένη, ex puellae persona, quae lege maritum petit. Eam Terentius Latine vertit inscripsitque *Phormionem:* in qua fabula hi sunt versus ad eam legem pertinentes:

Lex est, ut orbae, qui sint genere proximi,
Iis nubant, et illos ducere eadem haec lex iubet.

Ibidem Donatus: *Orba proximo nubat; Orbam proximus ducat, lex Attica est.* Graeca legis verba apud Sopatrum exstant: Τῇ ἐπικλήρῳ ἐπιδικαζέσθω ὁ ἀγχιστεύς [*Filiam heredem ex asse ducat proximus*]. Sed et apud Diodorum Siculum lib. XII indidem sumtum illud Adelphis:

Hic meus amicus illi genere est proximus:
Huic leges cogunt nubere hanc.

Est et apud Demosthenem, Isaeum aliosque oratores Graecos frequens eius legis mentio, ut et apud Aristophanem et Pollucem. Ipsam ἐπιδικασίας vocem Atticam posuit Philo in historia Thamaris, libro de Nobilitate. Apparet ergo, quod dixi, non ad omnes puellas hoc ius pertinuisse. Nam quae fratres habebant, cum nullam rerum soli hereditatem cernerent, ea lege non tenebantur. Quippe, ut Aristophanes ludens ait, non potest ulla esse ἐπίκληρος ὄντων ἀδελφῶν γνησίων [*filia heres, quae fratres habeat legitimos*]: quem sensum Isaeus sic extulit in oratione de hereditate Philemonis: Οὐ γὰρ δήπου γνησίου ὄντος υἱέος Εὐκτήμονι ἐπίκληρος ἂν εἴη ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ [*Neque enim, cum Euctemoni legitimus esset filius, filia heres esse potuit*]. Atque id ipsum evincit historia, quae est in libro Iudicum 21: 18, ubi Tribus caeterae, quo minus filias suas nuptum darent Beniaminitis, ostendunt, se non lege Divina, sed iurisiurandi religione prohiberi. Et David Iuda prosatus ex Beniaminis progenie Micholem ducit uxorem, nunquam eo nomine reprehensus: et de Hillele Pharisaeo scriptum reperimus apud Hebraeos, patrem ei fuisse ex Tribu Beniamin, matrem ex Tribu Iuda. Quod et aliis exemplis confirmabitur ad Luc. 1.

Ad-

Adiicit Iosephus; potuisse quasvis virgines cuivis Hebraeo nubere, si hereditatem sibi delatam repudiarent. Quare nec Leviticae gentis virgines eo vinculo obstringebantur, ut quae ex lege rerum soli capaces non essent, ideoque rite cuivis de populo nuberent. Errant igitur, qui non putant salva lege fieri potuisse, ut Elizabeth, quae Aaronicae esset familiae, Mariam cognatione attingeret. Nam nihil obstabat, quo minus pater, avus, aliusve quis maiorum Mariae Davide prosatus Leviticam virginem in matrimonium duceret: neque enim eo facto iura hereditatum laedebantur. Quanquam vero Maria in re tenui fuit, quod et hospitium Bethlehemiticum et paupertina turturum oblatio satis ostendit, nihilominus valere in ipsa ius τῶν ἐπικλήρων [*filiarum heredum*] debuit, ob Divinas promissiones factas Davidis posteritati, quae tanto in pretio erant apud Iudaeos, ut etiam post excisa Hierosolyma in exsilii sui sedibus Patriarchas sibi non aliunde quam ex Davidis stirpe praefecerint, quibus ferme ut regibus parebant, quemadmodum Origenes, Epiphanius, Theodoretus, Chrysostomus nos docent, et ea quae in Codice Theodosiano est coronarii auri mentio. Ita cum in Babylonico exsilio Iudaei agerent, rerumque soli praeter spem nihil retinerent, virgines tamen μονοκληρόνομοι [*ex asse heredes*] agnato proximo nubebant, ut ex Tobiae historia apparet. Non ignoro in Thalmudicis scriptis et post secutis interpretibus tradi, praeceptum illud Mosis de ducendis virginibus proximis tantum in illis divisionis primae temporibus valuisse. Sed ut in aliis rebus non paucis, ita in hac quoque videntur Thalmudis collectores ex variis Iurisconsultorum sententiis eas tantum retulisse, quae tempore collectionis factae moribus invaluerant, omissis aliis a quibus discessum erat. Nam si perpetuo is fuisset piorum atque eruditorum consensus, quomodo aut Iosephus historiae conditor id ignorasset institutus in patrio iure, aut qui in mentem venisset scriptori Tobiae mentionem facere moris incogniti? Philo quoque hanc legem ut perpetuam refert. Caetera quae ad conciliandam cum Lucae Matthaei γενεαλογίαν [*recensionem generis*] pertinent, ad Lucam tractabimus.

Τὸν ἄνδρα, virum] Quod notatum est a viris doctis *maritum* atque *uxorem* etiam ex sponsalibus dici, non Hebraeorum tantum sed et aliarum gentium institutis convenit. Nam et Servius Iurisconsultus (citante Pomponio) recte dicebat *soceri* et *socrus*, et *generi* et *nurus* appellationem etiam ex sponsalibus acquiri. Ita in epistolis Heroidum Hermione pacta Oresti:

Vir precor uxori, frater succurre sorori.

Servius ad Eclogam octavam: *Coniugis*, inquit, *non quae erat, sed quae fore sperabatur.* Vide Deut. 22: 23.

Μαρίας] Hebraeum nomen est מִרְיָם, quo modo appellata fuit soror Mosis. Sed posteriores Hebraei more Syro מַרְיָם extulere, id est, *Μαριάμ*, quomodo id nomen saepius reperias apud Matthaeum et Lucam: nec aliter apud Ezechielem Poetam, qui Iudaicas tragoedias Graece scripsit. Nam ut Iod consonans in vocalem mutaretur extorsit Graeca literatura eam consonantem ignorans. Cum vero nulla Graeca vox in μ terminetur, eoque omnia in μ sint ἄκλιτα [*indeclinabilia*], formam Graeci nominis ac declinationis accipere possunt aut detractione aut additamento. Additamento usus est Iosephus, qui hoc nomen ita effert *Μαριάμμη*, detractione Lucas et Matthaei interpres, qui ubi variare suis casibus hoc nomen volunt scribunt *Μαρία*, *Μαρίας*. Ita cum similiter λ terminationem Graeca lingua nesciret, Punica nomina a *Baal* derivata Graeci aut auxere, ut Ἱερόμβαλον, Ἀβίλβαλον dixit Philo Byblius, aut imminuerunt apposita litera Graecae terminationis, ut Ἀσδρούβας, Ἀννίβας. Tale et *Amilcar* Ἀμίλκας, *Bogud* Βόγος. Et apud Iosephum *Cain* Καίς. Et in Maccabaicis *Ionathan* Ἰωνάθας. Ita pro Ἀβραάμ alii dixere Ἀβραάμος, ut Artapanus in Iudaicis, alii Ἀβραάς, manentibus utriusque nominis vestigiis etiam in usu Latino. Idem Nicolao Damasceno est Ἀβραάμης. Simile est pro Ἰωσήφ, Ἰωσῆς Matth. 27: 56, Marc. 6: 3, 15: 47, Act. 4: 36, Luc. 3: 29, et Ἰώσηπος. Sic etiam ex שבת factum est σάββα, σάββατος et σάββατον, σαββάτον.

Ὁ λεγόμενος Χριστὸς, qui vocatur Christus] Referendum est participium ad tempus scriptionis: indicat enim de il-

illo Iesu se agere, qui iam omnibus *Christi* cognomento innotuisset. Sic et Iosephus de Iacobo scribens ἀδελφὸν [*fratrem*] eum vocat Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ [*Iesu eius qui Christus dicebatur*]. Vocantur autem Hebraice משיחים [*uncti*] qui singulari Divinae providentiae beneficio ad eximias dignitates erant provecti, ut Abraam et Isaac Ps. 105: 15. Ita ἱερεὺς ὁ χριστὸς [*unctus Sacerdos*] in Veteri Testamento est ὁ ἀρχιερεὺς [*Sacerdos summus*]; βασιλεὺς ὁ χριστὸς [*Rex unctus*] *Rex eximius*, ut Cyrus Esaiae 45: 1, Rex Tyri Ezech. 28: 14; καθηγητὴς ὁ χριστὸς [*magister unctus*] *doctor eximius* infra 23: 8. Κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] vero Iudaei, Prophetarum ac praesertim Danielis vaticiniis excitati, eo nomine illum appellabant quem a Deo exspectabant Regem Doctoremque summum, Ioh. 4: 25. Illum autem Christum eximium se esse Iesus professus est, caussamque nominis reddit tum ipse tum discipuli ipsius, quod ad proferendam confirmandamque doctrinam coelestem vi plane incomparabili esset instructus, ut videre est Luc. 4: 18, Act. 4: 27; 10: 36, 38, Hebr. 1: 9, Ioh. 3: 34. Quo sensu etiam vitam adhuc agens terrenam, Regem se agnoscit, quia nimirum per veritatem a se testatam iam regnum in suorum animis obtineret, Ioh. 18: 37. Cum alioqui sensu alio post resurrectionem demum dicatur esse *constitutus Dominus et Christus*, Act. 2: 36. Adeo autem invaluit haec *Christi* appellatio, ut apud τοὺς ἔξω [*eos qui extranei sunt Ecclesiae*] vix cognito *Iesu* nomine, agnomen illud in nominis usum transiret. Ita enim eum appellant Tacitus, Suetonius, Plinius; quo factum est ut Iudaei Graeco utentes sermone, qui Iesum esse Christum agnoscere nolebant, suum illum quem frustra exspectabant miseri, non ut ante Χριστὸν, sed discriminis caussa ἠλειμμένον [*delibutum*] vocare inceperint.

17. *Γενεαὶ, generationes*] Varias significationes haec vox habet, de quibus alias erit agendi locus. Quod hic significatur, videtur mihi non satis commode una Latina voce exprimi posse; itaque interpretor *generatae personae*. Ita enim loquuntur Iurisconsulti: *Semper generata persona gradum adiicit*. Atque hoc ipso sensu Graecam hanc vocem reperio apud Isocratem Busiride, cum ait Her-

Herculem fuisse Perseo τέτρασι γενεαῖς νεώτερον [quatuor generationibus posteriorem]. Quod autem personas quasdam omiserit Matthaeus, factum id est rotundandi numeri causa. Ut enim memoriae consuleret, primum stemma omne in tria tempora digessit, quibus dilucidas ἐποχὰς [epochas, classes, gradus] attribuit, ante Regnum, Regni florentis, et Regni cessantis: rursumque ternis his ordinibus personas pari numero adscripsit, ut solent qui memoriae causa imagines locis disponunt. Quod ut consequeretur, parvi duxit personas quasdam minus nobiles transilire, quod et alios historicos ubi rem in summam conferunt facere videmus, ut Solinum in Macedoniae Regibus; et apud Hebraeos Esdram 1 Par. 4: 1, et scriptorem quarti qui dicitur Esdrae, initio, ubi sex nomina omitti collatio Paralipomenon docet. Etiam 1 Par. 6 in censu posterorum Aaronis omissos quosdam facile ex Iosepho deprehendere est. Praesertim cum genuisse non tantum pater filium, sed et avus nepotem et pronepotem proavus salva recti sermonis ratione dicatur. Non constabit autem numero suo summa, nisi Iechonias ponamus duos, alterum Ioacim (quod nomen, ut recte Hieronymus notat, facile cum vicino *Iechoniae* nomine confundi potuit; nam et in Apocrypho Esdrae priore in Latinis exemplaribus hic Ioacim dicitur Iechonias), alterum eius filium Iechoniam (quem tamen et ipsum Hebraei temporum digestores יויכין *Ioacin* vocant, quos sequitur Alexandrinus Clemens Strom. I, et Ἰωάχιμον Iosephus), qui tamen quasi cognomines distinguuntur ipso tam longi exsilii intervallo: ac nisi Christum ipsum annumeremus ut personam ultimam tertiae classis. Quanquam autem de binario et septenario numero, quorum inter se πολλαπλασιασμὸς [multiplicatio] efficit quatuordecim, aut etiam de senario et septenario, qui itidem πολλαπλασιασθέντες [multiplicati] totum stemma conficiunt, multa possint subtiliter dici, etiam ex Hebraeorum disciplina, qui et in aureo candelabro membra notant fuisse XLII, et totidem columnas in tribus porticibus quae templi Basilicam ambiebant, abstinere tamen ταύτης τῆς περιεργείας [*ab hac supervacua operositate*] satius censeo, cum mihi persuadeam, non affectatum hunc numerum Matthaeo, sed

quem

quem obtulerat classis prima eaque notissima; eundem in classibus sequentibus expressum.

18. *Ἡ γέννησις, generatio*] Olim plerique codices habuerunt *γένεσις* [*ortus*]. Nam quisquis est scriptor Dialogi adversus Macedonianos non tantum citat eum in modum, sed diserte adiicit, *ἡ γένεσις εἶπεν οὐχ ἡ γέννησις* [*ortus legitur, non nativitas*], eoque argumento utitur ut probet *ὅτι τὸν ναὸν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔκτισε* [*a Spiritu sancto conditum templum corporis Christi*], et mox iterum, *πρῶτον γένεσιν ἄκουε τοῦ ναοῦ καὶ τότε γέννησιν* [*primum ortum intellige templi, deinde natales*]. Mihi non multum interesse videtur, utro legamus modo.

Μνηστευθείσης γὰρ, cum enim esset desponsata] Illud *γὰρ* [*enim*] hic abundat, ut Luc. 12: 58 et alibi. Donatus ad prologum Andriae: nam *incipiendi vim habet modo:* ubi illud Virgilii adfert:

Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras
Iussit adire domos?

Πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, antequam convenirent] Non videtur perpetuum fuisse, ut a sponsalium die sponsa in sponsi domum transiret; quanquam Chrysostomus id affirmat: credo quia Antiochiae sua aetate id fieri videbat. Cum Iudaei ipsi dissentiant, credibilius est liberi iuris id fuisse, aliterque atque aliter usurpatum pro utriusque commodo. Nam Rebecca deducta est ad Isaacum ante nuptiarum sollemnia, quia Isaaco incommodum erat in Mesopotamiam proficisci. Contra Samsonis sponsa mansit in domo paterna. Et id fuisse usitatius, satis probabiliter colligitur ex loco Deut. 20: 7; quod et Romanis moribus proditum est a Modestino, eam quae desponsa est ante contractas nuptias domicilium non mutare. Caeterum illud constat, sponsas intactas fuisse donec convocato coetu matrimonium solemni prece initiaretur: quod non tam lege praeceptum, quam ab antiquissimis, ut arbitror, patribus traditum, Iudaei ut olim ita nunc quoque observant; a quibus ad Christianos id institutum honestatis plenissimum manavit: qua de re agemus infra ad cap. 25. Itaque etiam si virginalis pudicitiae custodiam in se sponsus recepisset, manebat tamen sponsa ad nuptiarum diem *ἐν τῇ γυναικωνίτιδι* [*in mulierum conclavi*]

a sponso sequestrata, perinde quasi in alia domo ageret. Id enim significare videntur Mosis verba Gen. 24: 67, ubi Isaacus narratur Rebeccam ad se deductam in tentorium quod matris fuerat introduxisse, ac deinde eam sibi accepisse in uxorem. Atque eidem mori, ut iam recepto, superstructa est lex illa de captiva muliere, quae exstat Deut. 21: 13. Quae cum ita se habeant, ex duabus significationibus, quas vox τοῦ συνελθεῖν [*conveniendi*] recipit, ut nempe aut *domicilii* significet aut *tori coniunctionem*, priorem praeferam, propter id quod sequitur, μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν Μαριὰμ [*noli timere accipere Mariam*], et deinde, παρέλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ [*accepit coniugem suam*]. Ea enim vox, nisi ubi ad animum refertur, φοράν τινα [*motum quendam a loco in locum*] significare solet apud Scriptores Novi Federis, atque hoc quidem loco nihil mihi videtur differre ab eo quod Ioh. dixit 19: 27, λαμβάνειν εἰς τὰ ἴδια [*accipere in sua*]. Est ergo παράληψις [*assumtio*], ubi de sponso sponsaque sermo est id ipsum quod Romani *domum ductionem* vocant. Tobiae scriptor eius loco dixit κομίζεσθαι [*deducere*] 7: 15, quo modo eam vocem et Andocides usurpavit, sed addito εἰς τὴν οἰκίαν [*in domum*]. Huic huius loci interpretationi favet traditio vetus Nazarethanorum, memorata Hieronymo locis Hebraicis.

19. *Δίκαιος, iustus*] Non videtur hic mihi significari iustitia illa generalis, cuius nomine Zacharias et Elizabeth commendantur, et quae versu isto Graeco describitur:

> Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.
> [*Iustitia in sese virtutes continet omnes*];

sed potius specialis aliqua, neque vero διανεμητικὴ [*distributiva*] aut συναλλακτικὴ [*commutativa*]; sed illa quam peculiariter *bonitatem* vocare solemus; sicut apud Danielem et alibi saepe צדקה χρηστότητα sive *misericordiam* significat: quo factum est ut etiam benignitas erga pauperes eo nomine Hebraeis significetur. Neque male huc referas quod est 1 Ioh. 1: 9, ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, πιστός ἐστι καὶ δίκαιος ἵνα ἀφῇ ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας [*si confiteamur peccata nostra, fidelis est et benignus, ut remittat nobis peccata*]. Tobiae quoque scriptor coniunxit ut af-

affinia ἐλεημοσύνην καὶ δικαιοσύνην [*misericordiam et iustitiam*] 14: 10. Propius autem huc pertinet quod Aristoteles ait, τὸ ἐπιεικὲς [*aequum*] esse δίκαιον δικαίου τινος βέλτιον [*iustum aliquod melius iusto altero*], et τὸν ἐπιεικῆ [*virum aequum*] describit τὸν μὴ ἀκριβοδίκαιον, ἀλλ' ἐλαττωτικὸν [*non summo iure utentem, sed cedentem de suo*]. Donatus ad illud Terentii Andriā, *iusta fuerit servitus*, *Iusta*, inquit, *moderata*. Praecipue autem bonitas haec se ostendit quoties poenas legibus praescriptas non rigide exigimus: nam ut ait Sopater Philosophus, τὸ ἐπὶ τοῖς ἐγκλήμασι κείμενον τῆς δίκης οὐκ ἀναίνεται τὸ πρᾷον καὶ φιλάνθρωπον τῶν χαρίτων πρόσωπον [*pars iuris quae circa delicta versatur non repudiat mitem et humanum vultum Gratiarum*]. Chrysostomus bene hoc loco, δίκαιος ὢν τοῦτ' ἐςὶ χρηςὸς καὶ ἐπιεικὴς [*iustus cum esset, id est, bonus ac facilis*].

Παραδειγματίσαι] Latine interpretari licet, *cum curare nollet, ut ea exemplum esset*, hoc est, ut explicat Hilarius, *cum nollet in eam lege decerni*; κολάζεσθαι Theophylactus, *puniri* Augustinus. Quod de lapidationis poena, Lege Mosis statuta in sponsas stupri compertas, par est intelligi. Nam ad id tempus iudicia Legis in Iudaea per Herodem, qui Legis studiosus videri volebat, exercebantur. Et vox παραδειγματίζειν Polybio de mortis supplicio usurpatur: ideoque et Demosthenes διακριτικῶς [*distincte*] dixit ζῶντα παράδειγμα ποιῆσαι [*vivum facere ut exemplum sit*]. Apud Hellenistas autem de mortis poena usurpatum τὸ παραδειγματίζειν apparet tum ex LXX interpretatione Num. 25: 4, tum ex additamentis ad Esth. 14: 9. Quod autem obiiciunt viri eruditi, potuisse Iosepho in animum venire ante sponsalia vitiatam esse virginem, mihi verisimilius videtur uteri signa respondisse tempori conceptionis, quod sponsalibus posterius fuit, Luc. 1: 26. Neque dissentit hic a nobis Iustinus in Colloquio cum Tryphone, cum dicit putasse Iosephum τὴν μνηςὴν αὐτῷ Μαριὰμ ἐγκυμονεῖν ἀπὸ συνουσίας ἀνδρὸς, τοῦτ' ἔςιν ἀπὸ πορνείας [*Mariam sponsam gravidam esse ex viri complexu, id est, ex stupro*]. Nam vox πορνείας [*stupri*] extra controversiam suo ambitu τὴν μοιχείαν [*adulterium*] comprehendit, ut apparet Matth.

5: 32. Ideoque non veritus est Augustinus dicere, *cum nihil aliud quam adulteram credidisset.* Neque vero, id si ita esset, indignum fuit viro bono puellae de vita famaque simul periclitanti parcere. Nam ut omittam, quod de vitio in urbe oblato Lex decernit Deut. 22: 24 eius esse generis cuius sint pleraque legum, quae ita respiciunt id quod ἐπὶ τὸ πλεῖστον [*plerumque*] accidit, ut tamen evenire possint facti species in quibus deficiat Lex διὰ τὸ καθόλου [*ob universalitatem*], eoque egeat ἐπανορθώματος [*correctione*]; etiam praeter vim multa alia possunt accidere quae culpam non tollant quidem sed minuant, in quam partem semper credula est bonitas. Adde quod Iosepho omnia benignius interpretandi causam praebuerunt perspecti virginis mores. Deinde accusatae et convictae lex poenam irrogat, accusationem autem nemini imperat. Quin si Ambrosio credimus non solum ab ultionis atrocitate, sed etiam ab accusationis severitate aliena iusti persona est.

Λάθρα, occulte] Non quidem conscio nemine (id enim fieri non poterat, cum mos esset Iudaeis non minus quam Romanis, ut nec contraherentur nec dirimerentur sponsalia nisi adhibitis testibus), sed privatim, id est, sine iudicio publico et non reddita causa. Id enim hic valet vox ista, opposita τῷ παραδειγματίζειν.

Ἀπολῦσαι αὐτήν] *Repudium ei mittere.* Id enim de sponsa non minus quam de uxore dicitur.

20. *Ἐνθυμηθέντος*] *Cum haec animo agitaret:* ut plerumque haec vox sumitur apud Graecos scriptores et Act. 10: 19. Videtur enim inclinasse quidem ad repudium Iosephi animus, ita tamen ut nihil dum certi constituisset, sed variis super hac re cogitationibus distraheretur.

Ἄγγελος] Hebraei spiritus istos, qui inter Deum rerum opificem hominesque sunt interpositi, modo אלהים [*deos*], modo מלאכים [*nuntios*] vocant, quorum illud Graece θεούς, istud ἀγγέλους significat. Atque inde eas appellationes sumsit Pythagoras, quem multa hausisse ab Hebraeis Numenius aliique Pythagorici profitebantur, cuiusque adeo instituta eadem esse cum Essenorum institutis Iosephus prodidit. Sed et eas voces usurpavit adhibito discrimi-

mi-

mine. Nam θεοὺς vocabat mentes sublimiores et ad Divinam naturam propius accedentes, quas statuebat ἀτρέπτους [*immutabiles*]: ἀγγέλους autem eos spiritus qui proximum primis illis locum essent sortiti, ὡς ἐκφαίνοντας καὶ διαγγέλλοντας ἡμῖν τοὺς πρὸς εὐζωΐαν κανόνας [*ut qui aperiant nuntientque nobis bene vivendi regulas*], ut loquitur Hierocles: qui itidem nos docet illos, communiter dictos ἀγγέλους, iterum distinctos in classes tres, in ἀγγέλους proprie ac peculiariter ita dictos, in δαίμονας ἀγαθοὺς, καὶ ἥρωας [*daemonas bonos, et heroas*]. Quae omnia ex Pythagorae schola in Platonicam sunt derivata. Scriptor eorum carminum quae olim ab ipsis etiam paganis pro Orphicis sunt habita, quem alii Cecropem, alii Onomacritum Pythagorae discipulum aiunt fuisse, Angelorum meminit istis versibus:

Σῷ δὲ θρόνῳ πυρόεντι παρεστᾶσιν πολύμοχθοι
Ἄγγελοι, οἷσι μέμηλε βροτοῖς ὡς πάντα τελεῖται.
[*Coelicolûm rutilam circumstant agmina sedem;*
Queis labor inspicere est quid agant mortalia secla.]

Quod ex Hostane mago sumtum videri potest, si eum recte versum habuit Cyprianus cum de Idolorum vanitate scriberet. Usurpat vocem ἀγγέλων hoc sensu et Aristides hymno in Minervam. Usurpaverat et Labeo Romanus, ut ex Augustino discimus de Civitate Dei IX. 19. Usurpant et Porphyrius et Iamblichus passim, et Chalcidius in Timaeum, et Iulianus in Laude Atheniensium. At Hebraei Hellenistae de iisdem spiritibus agentes θεοὺς non libenter eos vocarunt, quia id nomen iam passim apud omnes gentes in unius summi atque opificis Dei iniuriam usurpabatur. Sed et ἡρώων [*heroum*] vocabulo repudiato, et δαιμόνων [*daemonum*] ad maleficos spiritus relegato, in usu apud eos mansit nomen ἀγγέλων, quo et Septuaginta utuntur saepissime, et eorum exemplo Novi Federis scriptores; imo et Veteris Testamenti Chaldaei Paraphrastae. Quidam Hellenistae Angelos vocabant ἐγρηγόρους [*vigiles*], quod nomen et apud Clementem Alexandrinum aliosque Christianos legitur ex Dan. 4: 10, ubi עיר legitur, quod Aquila et Symmachus verterunt ἐγρηγόρους.

Κατ' ὄναρ] Optime Vetus interpres, *in somnis*: ita enim Io-

loquuntur Accius, Ennius, Virgilius, cum de visis nocturnis agunt. Cicero *secundum quietem* dixit. Ferme autem quatuor modis, ut Hebraei recte notant, solet Deus hominibus voluntatem suam aut res futuras patefacere, visis diurnis, visis secundum quietem, voce, afflatu. Graece ita dixeris *δι' ὀπτασίας, δι' ἐνυπνίων, διὰ φωνῆς, δι' ἐπιπνοίας*. Chalcidius *ὀπτασίαν* dividit in visum, quod a Deo, et spectaculum, quod per Angelos. Reliqua vocat somnium, admonitionem, revelationem.

21. *'Ιησοῦν*] Nomen illud quod Mosis temporibus יהושע scribebatur, post exsilium Babylonicum coepit scribi ישוע, in locum ה et ו, quae usus detriverat, producta sub Iod vocali. Atque ita scriptum reperimus apud Esdram et Nehemiam, quamquam Aggaeus et Zacharias antiquam scripturam retinuerunt. Nimirum venerat hoc ex Syrorum commercio, quibus receptum literas eius generis praemittere. Quare et Syrus interpres eodem modo scribit hanc vocem. Sic ex *Βαριωαννᾶ* factum est *Βαριωνᾶ*. Sic urbs צען Chaldaeo est טאנס, Graecis *Τάνις*, et משיח, *Μεσσίας*. Babyloniis בל qui aliis בעל. Sic שיחא *fovea* pro שוחא, multaque alia similia apud Hebraeos posteriorum temporum, et apud Chaldaeos interpretes. Sed et ultima vocis litera primum leviter pronunciata, ut apparet ex Latina voce *Iosue* et Graeca *'Αβίσουε*, id est, אבישוע 1 Par. 8: 3, qui simile est *'Ωσηὲ* ex הושע, et in simili litera נוח *Νῶε*, paulatim et ipsa evanuit: quam soni facilitatem secuti Hellenistae Iudaei *Ἰησοῦ* scripserunt circumflexa ultima, quia nomina Hebraea ferme omnia apud Graecos scribuntur cum accentu in syllaba ultima, ut passim videre est; qui quidem accentus ob syllabam natura longam factus hîc est productior, ut et in *Μανασσῆ*. Cum autem tales exitus ignoti essent Graeco sermoni, ideoque casuum variationem non paterentur, facilioris tamen constructionis gratia duo casus sunt effigiati in Graecum morem, rectus addito σ, et quartus casus addito ν. Itaque dicitur ὁ *Μανασσῆς*, τὸν *Μανασσῆν* (quanquam et τὸν *Μανασσῆ* legimus supra commate 10) et ὁ *Ἰησοῦς*, τὸν *Ἰησοῦν*. Sic *'Ησαῦν* quarto casu apud Iosephum. Sic *'Ελιοῦς* ab *'Ελιοὺ* apud Graecos interpretes. Caeteroqui manent hae voces ἄκλιτοι [*indeclinabiles*]. Dicimus enim τοῦ *Μανασ-*

νασ-

νασσῆ, τῷ Μανασσῇ, ὦ Μανασσῆ, et τοῦ Ἰησοῦ, τῷ Ἰησοῦ, ὦ Ἰησοῦ. Atque hoc modo nomen istud et scribitur et declinatur, tum apud LXX, tum apud Sirachiden; de quo nihil immutarunt scriptores Novi Foederis, nulla scripturae differentia distinguentes hoc Christi proprium nomen ab eius nomine, qui Mosi succedens populumque ducens in terras promissas, Christum, aeternae quietis datorem, non tantum nominis sono sed et rebus gestis adumbravit: ut videre est Act. 7: 45 et Hebr. 4: 8. Neque alia significatio huius vocis comminiscenda est ab ea quam nos Angelus docet ἀπὸ τοῦ σώζειν [*a sospitando*], quae cum Hebraea origine manifeste consentit. Est ergo *Iesus* Graece σωτήρ, qua voce tantum ait significari Cicero, *ut id Latine uno verbo exprimi non possit.* Mihi non videtur deesse vox Latina eiusdem originis atque efficaciae, sed antiquior et in sacris magis quam in usu populari recepta, *Sospitatoris.* Caeterum quod Christiani quidam scriptores et quidem Hebraei sermonis non imperiti nomen hoc ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι [*a medendo*] deducunt, in eo mihi non videntur ad aliam vocem Hebraeam respexisse, sed quaesivisse vocem Graecam, quae Hebraeae ישע non sola significatione sed sono insuper cohaereret; Philonis more, qui ita ad Graecas voces amat alludere, ut ab Hebraea notatione quam minimum recedat. Certum autem est Hebraeum ישע modo idem valere quod Graecum ἰᾶσθαι, modo per receptissimam translationem *salutis dandae* significationem ea voce exprimi, sicut et Latine *mederi alterius malis* dicitur qui alterum ab incommodo liberat. Unde et ἰᾶσθαι pro σώζειν Matth. 13: 15, Luc. 4: 18, et vicissim σώζειν pro ἰᾶσθαι ponitur, ut Matth. 9: 21, Marc. 6: 56, Act. 4: 9. Quin et David Kimchi apud Ier. 3: 22 *sanare* explicat *peccata condonare.* Et hinc factum arbitror, ut Iudaei quidam inter Graecos versantes et Graecanica literatura imbuti, cum hoc ipso nomine Hebraeo vocarentur, Graece sibi nomen Iasonis fecerint, quod id nomen Graecae consuetudinis ad Hebraeum illud et soni vicinitate et originis significatu proxime accederet. Quos inter fuit Cyrenaeus ille Maccabaicae historiae scriptor, paris fati cum Trogo Pompeio. Quod vero apud Theodoretum est, Ἰαὼ ἡ σωτηρία παρὰ τοῖς Ἑ-

῾Εβραίοις λέγεται [*Iao Hebraeis salus dicitur*], mendosum mihi videtur, scribendumque Ἰασὼ, ut sit ישע: nam ut ע Graece per ω exprimatur, non est insolens.

Σώσει τὸν λαὸν ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν, salvum faciet populum a peccatis suis] Cum triplici modo dici nos possit Christus a peccatis liberare, primum quia remissionem peccatorum nobis peperit, deinde quia in hac vita efficit ne peccatum in nobis regnet, postremo quia per vitam alteram delebit funditus et peccatum et mortem peccati stipendium, mihi tamen ad remissionem peccatorum praecipue videtur respexisse Angelus, quia et Apostoli eius rei maxime meminerunt ubi vocis istius σωτῆρος [*sospitatoris*] vim explicant, Act. 5: 31 et 13: 23, iuncto commate 32 et 38. Quanquam autem voce λαοῦ omnes credentes non incommode possint intelligi, cum tamen plerumque etiam in Novo Federe ea vox Israeliticum populum significet, ad quem peculiariter missus est Christus, ut de eo haec verba primo saltem maximeque obvio intellectu sumenda arbitrer, facit is quem dixi locus Act. 5: 31 et qui infra est 15: 21. Adde quod vocationem Gentium serius didicere etiam Angeli, Eph. 3: 8 et seq.

22. *῞Ινα πληρωθῇ, ut adimpleretur*] Quae vis sit huius vocis multum refert recte intelligatur. Nam hunc similesque locos olim Celsus et Iulianus, Iudaei veteres olim et nunc quoque soliti sunt Christianis obiicere, tanquam minus fideliter ab Apostolis eorumque sectatoribus adducta esset Prophetarum auctoritas. Sed notandum est non pugnare Apostolos adversus Iudaeos his quasi testimoniis, ut probent Iesum esse promissum Messiam: pauca enim sunt oracula quae in hunc finem usurpant, contenti caeterum Christi miraculis et resurrectione. Nam (ut ille olim dicebat) aut haec satis erant, aut nihil erat satis. At quibus id iam persuasum erat, Iesum esse illum Messiam, his simul ostensum voluerunt quomodo tota Divina οἰκονομία [*dispensatio*] priorum temporum hunc ipsum Christum eiusque res gestas, ut pulcherrimam ac perfectissimam speciem, perpetuo velut ante oculos habens, caetera omnia ad illud instar effinxerit. Huc spectat, praeter alia multa quae suis locis explicabuntur, quod Christus dicitur προεγνωσμένος πρὸ καταβολῆς κόσμου [*prae-*

[*praecognitus ante mundi constitutionem*] 1 Petri 1: 20. Et haec sapientia Divina quae in Christo mittendo elucet προωρισμένη πρὸ τῶν αἰώνων [*quam praedestinavit Deus ante secula*] 1 Cor. 2: 7. Sed maxime perspicuum illud 1 Cor. 10: 11: *Haec omnia illis* (qui scilicet sub Veteri Federe fuerunt) *evenerunt* τυπικῶς [*in figura*], *scripta autem sunt ad nostri admonitionem* εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησεν [*in quos fines seculorum devenerunt*]. Sic alibi tempus Christi vocatur πλήρωμα [*plenitudo*] *temporum*, Gal. 4: 4, Eph. 1: 10. Non igitur instituta tantum Legis, umbra Christi fuerunt, quod ostenditur Heb. 8: 5, 10: 1 et Col. 2: 17, sed et res gestae praesertim nobiliores. Quod recte monet Iustinus adversus Tryphonem: Ἔσθ' ὅτε γὰρ τὸ ἅγιον Πνεῦμα καὶ ἐνεργῶς πράττεσθαί τι, ὃ τύπος τοῦ μέλλοντος γίνεσθαι ἦν, ἐποίει [*interdum sanctus Spiritus effecit, ut etiam re ipsa fieret aliquid quod figura esset rei futurae*]. Et postea res gestas ait esse προκηρύγματα τῶν κατὰ Χριςοῦ ἁπάντων [*praenuntiationes omnium quae ad Christum pertinent*]. Tertullianus de Resurrectione carnis: *Talia interim divinarum virium lineamenta, non minus parabolis operato Deo, quam locuto.* Item: *Scimus ut vocibus ita et rebus prophetatum.* Chrysostomus ad Romanos: Οὐ γὰρ ἔλεγον οἱ προφῆται μόνον, ἀλλὰ καὶ ἔγραφον ἅπερ ἔλεγον, οὐκ ἔγραφον δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ πραγμάτων ἐτύπουν [*non locuti sunt tantum Prophetae, sed et scripsere quae locuti sunt; nec scripsere tantum, sed et rebus figurarunt*]. Et in priorem ad Corinthios: Τὰ μὲν διὰ ῥημάτων, τὰ δὲ διὰ τύπων ἐςὶν αὐτοῖς κείμενα [*quaedam apud illos verbis, quaedam rebus ponuntur*]. Et secundo sermone de Ieiunio ait aliam esse προφητείαν διὰ τύπον sive πραγμάτων [*Prophetiam per figuram* sive *res*], aliam διὰ λόγον sive ῥημάτων [*per sermonem* sive *verba*]. Illud autem quod Paulus dicit τυπικῶς [*in figura*], sumtum est a pictoribus ac statuariis, aut etiam ab aedificiorum structoribus, qui egregium aliquod opus molientes primum crassius id ipsum delineant, deinde paulatim id efficiunt quod animo conceperant. Nam prima illa lineamenta τύποι dicuntur: unde illud Aristotelicum ὡς ἐν τύπῳ [*ut in typo*] oppositum τῷ ἀκριβεῖ [*exactae formae*]. Illud autem ἀκριβὲς

βὲς [exactum] ab Apostolis vocatur τὸ πλήρωμα [plenitudo] more Hebraeorum, qui מלאת vocant cuiusque rei τελειότητα [perfectionem], ut Cant. 5: 12 explicat Abenezra, quo loco LXX habent ἐπὶ πληρώματι [in plenitudine]. Quod si res ipsae Divino consilio Christum spectant, sane et signa rerum Divinitus instituta eodem referenda sunt. Sunt autem signa duûm generum, ὁρατὰ καὶ ἀκουστὰ [quae spectantur et quae audiuntur]. Et quae signantur sunt praeterita, instantia, futura. Omnium autem horum generum exempla nobis Christus, Apostoli aliique Novi Federis scriptores suppeditant. Contenti simus paucis, neque aliis quam in quibus haec eadem vox τοῦ πληροῦσθαι [complendi] reperitur. Ὁρατὸν [visibile] signum rei praeteritae, liberationis scilicet ex Aegyptia servitute, fuit agnus Paschalis. Liberatio autem illa τύπος [typus sive praefiguratio] liberationis nostrae a peccatis. Hac de causa Christus ostenditur in Paschali agno fuisse adumbratus 1 Cor. 5: 7. Impietatem veterum Iudaeorum Deus provide permisit summae impietati quae in Christum exercita est quasi praeludere. Illa autem vetus impietas praesente signo nummorum haud magni pretii, quo se Deus aestimatum querebatur, Dei ipsius iussu ac Zachariae ministerio contestata est Zach. 11: 13. In eo igitur signo ostenditur delineatio fuisse sceleratae pactionis inter Sacerdotes et Iudam Iscarioten, Matth. 27: 9. Ad ἀκουστὰ [ea quae audiuntur] ut veniamus, ea nimirum quae voce sunt pronunciata aut quasi pronunciata essent literis perscripta (nam literae duntaxat secundariae sunt notae vocum, ut voces rerum), commemorationem praeteriti beneficii habet Oseae locus 11: 1, liberationis nimirum ex Aegypto, quae, ut iam diximus, maioris libertatis per Christum partae rudimentum quoddam fuit. Ipsa autem historia Christi nos admonet ita directam a Deo mentem Prophetae loquentis, ut quod de populo Israëlitico ab ipso dicebatur, non minus recte aut etiam rectius in Christum conveniret, Matth. 2: 15. Eiusdem argumenti est carmen Asaphi Ps. 78: 2, cuius verba itidem sunt talia ut in Christum optime quadrent, Matth. 13: 35. Sic Ps. 72 scriptum honori Salomonis, ut titulus indicat, ad Messiam referunt Paraphrastes eo loco, et Sa-

Salomon Iarchi, ut et Saadia Gaon ad Dan. 7: 14. Locutionum, quae ad instans tempus directe pertinebant et tamen Divino consilio ad Christum referebantur, haec habemus exempla. Ea quae de stragibus suo tempore editis in Bethlehemitica regione dixerat Ier. 31: 15, ita depingunt id quod ab Herode patratum est, ut vix aliis verbis possit id ipsum signatius exprimi. Quod legitur Es. 61 ipso initio, videtur quidem id Propheta dicere de munere sibi imposito consolandi captivam multitudinem spe reditus; at ea sunt verba quae Christo aptata rem ipsam luculentissime designent, sicut et ipse reditus e Babylonia Christi beneficia figuravit. Cum vero veterum nullus maioribus malis a Deo exercitus, rursumque maiore gloria adfectus fuerit, quam David, plane apparet hoc a Deo actum, ut res Christi in illo propius quam in caeteris praesignarentur. Ideo et verba quibus conqueritur immerito se exosum, imo ab eo quem amicis accensuerat proditum, eiusmodi sunt ut ad Christi res nihil possit accommodatius dici, quod apparet Ps. 35: 19, Ioh. 15: 25, Ps. 41: 10, Ioh. 13: 18, Act. 1: 17. Quid? quod quaedam ita de se elocutus est David, ut quae ipsi conveniebant κατὰ λέξιν ἐσχηματισμένην [*secundum figuratum sermonem*], ea ad Christum servata verborum proprietate pertinerent: quale est illud de vestium divisione et sortibus iactis Ps. 22: 19, Matth. 27: 35, Ioh. 19: 24, deque amaro atque acido potu Ps. 69: 22, Ioh. 19: 28. Idem observare est in praesagiis futurorum, nisi quod haec possumus dicere bis impleri, semel cum res illa evenit quae directe praedicitur, iterum vero et quidem excellentius cum id apparet cui adumbrando ipsa illa res, ac proinde etiam verba eam notantia, serviebant. Ita Es. 9: 1 videtur Galilaeae lux aliqua annunciari, quae Ezechiae temporibus affulserit, sed ita ut ea ipsa lux praevia esset luci a Christo afferendae; atque adeo omnia Prophetae verba reperiuntur ad res Christi vel maxime accommodata. Ita possunt quae dicuntur Es. 42 ad Zorobabelem, et quae leguntur Zachar. 9: 9 ad Iudam Maccabaeum aut ad alium quempiam referri, dum tamen fateamur, quod verum est, horum quoque factis Christum fuisse adumbratum, iam tum volente Deo populum suum as-

assuefacere, ne Divina beneficia ex pompa strepituque rerum exteriorum metiretur, atque ita movente mentes Prophetarum, ut eorum dicta et primis eventibus responderent, et per Christum tamen insignius praestarentur. Haec igitur omnia, et quae alia sunt eius generis, suis locis excutienda, non in vim argumenti proprie adhibentur, sed ad illustrandam atque confirmandam rem iam creditam. Ideo Paulus Veteris Federis historiam aptans ad annunciati Euangelii tempora addit, ἅτινά ἐςιν ἀλληγορούμενα [*quae sunt per allegoriam dicta*]. Quae ratio Scripturas interpretandi, praesertim incolumi manente sensu altero simpliciori minusque elaborato, nullo iure a Iudaeis improbari potest, ut qui inter genera explicationum numerent maximique faciant τὸ ἀλληγορούμενον [*ubi aliud enuntiatur aliud innuitur*] quod Hebraistae מדרש, Philo autem Platonem secutus ὑπόνοιαν vocat. Imo Hebraeorum magistri et veteres et novi multis locis Prophetarum sensus duos assignant, atque ipse David Kimchi Ps. 2 tum de Davide tum de Messia exponit. Quod amplius est, etiam ubi factum aliquod veteri simile occurrit, dicunt מתקיים, ἐπληρώθη, sive *comprobatus* est hic vel ille Scripturae locus. Quod si sensissent Apostoli omnem Divinam de Christo dispensationem palam a Prophetis sine ullo involucro fuisse proditam, neutiquam dicerent arcanum id esse, quod ab omni aevo absconditum, ista demum aetate patefieret, Col. 1: 26, 1 Cor. 2: 7, Eph. 3: 9. Quisquis vero credit Iesum esse Christum, quod ut diximus etiam extra vaticiniorum fidem miraculis ipsius ac resurrectione abunde probatur, is vero clare perspicit, quomodo Divina providentia et res et verba Antiqui Federis ad Christum, tanquam ad scopum sibi propositum, certissime direxerit. Quibus vero sua pertinacia obstat quominus id credant, ii in lectione eiusdem Federis, quasi velo obnuptos animi oculos habent neque aufertur id velum, nisi his qui se iam ad Dominum Iesum converterint, 2 Cor. 3: 14. Haec in ipso nostrae commentationis primordio uberius paulo praeloquenda censui, quia tum ad explicationem locorum aliquot, tum ad diluendas eas obtrectationes quibus adversarii plurimum videntur confidere, non exigui momenti mihi esse videbantur.

U

Ut ergo veniamus ad hunc locum qui nobis in manu est, et in quo Iustinus, Origenes aliique tantopere sudarunt, mihi nihil videtur periturum veritati, si concedamus aliud apud Esaiam prima fronte indicari, aliud autem sub involucro tegi: atque ita quidem ut, quod in Psalmis evenisse modo ostensum est, verba ipsa Prophetae relata ad ultimum illud complementum significatum obtineant magis proprium magisque excellentem. Sed illud simul admonendi sumus, saepe fieri ut eiusdem περικοπῆς [*particulae*] non verba singula in Christum congruant, sed praecipua quaedam: ut ecce in Nathanis vaticinio illa verba: *Ipse aedificabit domum nomini meo, et firmabo solium regni eius usque in seculum. Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium,* 2 Sam. 7: 13, ita de Salomone dicuntur, ut tamen Christum eminentiori quodam modo respiciant, quae autem sequuntur ad Christum neutiquam pertinent. Videamus nunc quis esse possit verborum Propheticorum sensus primo intuitu se offerens, ut eo rectius alterum, tunc ἐν μυστηρίῳ [*in arcano*] absconditum, sed Christi temporibus plane revelatum intelligamus. Rex Achaz perterritus Syrorum et Israëlitarum in se conspiratione, neque tantum de regno retinendo sollicitus, sed et famem caeteraque obsidii mala metuens, nullam spem salutis animo concipiebat, nisi se in fidem et clientelam Regis Assyrii, illis temporibus potentissimi, daret. Contra Esaias hortabatur ipsum, ut omissis eiusmodi consiliis spem suam in Deo collocaret, adfirmans non tantum irritos fore conatus Regum Syriae atque Israëlis, regnumque Hierosolymorum mansurum penes Davidis posteros, sed brevi imminere excidium Israëlis regno, Syri autem potentiam staturam intra suos limites. Quibus pollicitationibus cum fidem Achaz non adhiberet, Esaias Divino imperio dat illi optionem signi alicuius a Deo expetendi, cuius signi testimonio fides verbis fieret. Sed cum Achaz verbis honestis, animo autem impio, quippe abiecta omni in Deum fiducia, hoc ipsum recusaret, Esaias post seriam impietatis obiurgationem, ait Deum tamen sponte sua brevi id effecturum, quod tum minime speraretur, quodque velut arrhabonis esset loco ad obsignandas promissiones caeteras. Nam et

discessuras ex Iudaea copias Syrorum et Israëlitarum conatu irrito, atque interea temporis Iudaeos nulla, quod tum maxime timebatur, laboraturos rerum necessariarum penuria. Describitur autem temporis istius ambitus hoc spatio quo puella quae tum virgo adhuc erat nuberet, conciperet, pareret et infantem educaret, sed intra infantiae annos sive priusquam puerilis aetas ad boni malique notitiam perveniret: aut, quod eodem recidit, priusquam is infans parentes salutare didicisset. Copia autem victus hac nota exprimitur, quod dicatur ei infanti, donec adolescat, nec mel nec butyrum defore. Nam Hebraeis *lac et mel* συνεκδοχικῶς [*per comprehensionem*] rerum non necessariarum tantum, sed et superfluentium copiam designant, ut Iob. 20: 17 et alibi. Sicut autem hac ratione Achazo ostenditur, quam inique faciat, quod Deo recuset confidere: ita sequentibns verbis indicatur, quantopere ipsum sit deceptura fiducia in Rege Assyrio posita. Nam inde Iudaeis mala, omnibus quae metuerent malis graviora, imminere, planeque contrarium ei rei quam tam anxie metuerent eventurum: non enim victus inopia, sed vilitate laboraturam Iudaeam prae habitantium infrequentia. Infans autem in quem ista convenirent, quantum ex sequentibus colligere est, non videtur fuisse Ezechias, ut existimant Hebraeorum multi, inter quos et Tryphon adversus Iustinum disputans, ut qui, si tempora recte supputentur, iam ante Achazi regnum ad aetatem aliquam pervenerat, quemadmodum a Rabbino Salomone recte est annotatum, quamquam quae capite nono postea dicuntur ad eum recte videantur posse referri; sed potius est is infans ipsius Esaiae filius, natus ex ea quae virgo adhuc editi vaticinii tempore, testibus Uria ac Zacharia adhibitis, Esaiae nupsit, quae et ipsa προφῆτις [*prophetissa*] fuisse indicatur. Sicut autem cum Regem accederet Esaias, iussus erat secum ducere filium suum, cui *Scheariasub* boni ominis nomen ad spem Iudaeorum excitandam inditum fuerat: ita huic infanti duo nomina sunt imposita, primum quidem *Emmanuel* quo ostenderetur Deus ita adesse Esaiae eiusque liberis ut quae verbis signisque per ipsos essent praenotata, eadem certo evenirent: deinde vero *Maherschalalchasbas*

qua

qua voce significabatur brevi imminere Assyrii adventum ad spoliandam Syriam ac Samariam. Atque hoc est quod ait Esaias, se filiosque suos a Deo datos in signum et documentum populi: vaticinii sui certitudinem, nullis humanis consiliis impediendam, repetita exclamatione *Emmanuel* velut obsignans. Atque hic quidem nobis videtur simplex primoque obvius esse sensus verborum Esaiae, in quibus tamen inesse μυςήριον [*arcanum*] de Christo Christum agnoscentibus liquido apparet. Nam si omnes liberationes populi Iudaici praesagia fuere eius liberationis quam Deus per Christum erat effecturus, sane et illa insignis liberatio ab obsidione hostili, quam Propheta promittebat, eo pertinuit. Stabilitatem regni Davidici, item a Propheta promissam, verum πλήρωμα [*complementum*] in aeterno Christi regno habuisse, Gabriel ipse Mariam docuit Luc. 1: 32. Illud autem *Virgo concipiet* quanto excellentiorem habet sensum, si referatur ad eam, quae ita concepit ut virgo post conceptum maneret, quod soli Mariae evenit? Nomen autem *Emmanuel*, sicut et *Iesu*, habere quidem et in aliis suam potest significationem, restrictam atque limitatam, at in Christo aliam habet infinitis partibus perfectiorem. Nam is est in quo illa praeclara *Dei promissa omnia sunt ναὶ καὶ ἀμὴν* [*est et amen*], 2 Cor. 1: 20, is est *Verbum quod caro factum inter nos habitavit*, Ioh. 1: 14, *in ipso* denique *habitat τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς* [*plenitudo Divinitatis corporaliter*], Col. 2: 9. In hunc qui non credunt, eos manet φοβερὰ ἐκδοχὴ κρίσεως [*terribilis quaedam exspectatio iudicii*], Hebr. 10: 27. Obiiciunt Iudaei, Dominum nostrum isto *Emmanuelis* nomine non appellatum; quibus Tertulliani verbis respondeo, *Sonus Hebraicus quod est* Emmanuel *suae gentis est; sensus autem eius quod est* Deus nobiscum, *ex interpretatione communis est. Quaero ergo an ista vox*, nobiscum Deus, *quod est* Emmanuel, *exinde quo Christus illuxit, agitetur in Christo: et puto ex toto non negabis. Nam qui ex Iudaismo credunt Christo, ex quo in eum credunt*, Emmanuel *cum volent dicere*, nobiscum Deum *esse significant. Atque ita constat iam venisse illum qui praedicabatur* Emmanuel, *quia quod significat* Emmanuel

vertit, *id est*, nobiscum Deus. Certe qui Prophetas non supine legit, nescire non potest *vocatum iri aliquo nomine* dici ab illis eum etiam, qui non eo vocis sono sit appellandus, sed cuius rebus celebrandis vox ista conveniat. Loca passim occurrunt, Es. 1: 26, 9: 6, 56: 7, 60: 14, 62: 4, Ier. 3: 17 et 23: 6, Ezech. 48: 35, Zachar. 8: 3. Ideo ubi Es. 14: 20 est יקרא [*vocabitur*], Chaldaeus habet יתקים *manebit*; et Lucas citans dictum locum Es. 56: 7, יקרא vertit ἐστὶν [*est*] 19: 46. Tale est infra Ναζωραῖος κληθήσεται [*Nazaraeus vocabitur*], et υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται [*filii Dei vocabuntur*], ubi et similem Philonis locutionem citabimus. Quod si quis recte attendat, eadem vis est in voce *Emmanuel* et in voce *Iesu*. Nam *servare* est, Deum nobis praestare propitium. *Deus* autem *nobiscum esse* Hebraeis dicitur, quoties benignus nos respicit atque adiuvat, Ios. 1: 5, Ier. 1: 8, Act. 18: 10; quanquam et latentiorem quendam significatum isti nomini inesse non negaverim. Sed et alterum illud nomen quo tanquam apertiore (id enim valet quod inibi dicitur *stylo humano*) infantem suum insignire Esaias iubetur, perfectissime Christo congruit, qui celerrime Diabolum devicit et victor suis spolia divisit, ut post Iustinum annotavit Chrysostomus. Vide Luc. 11: 22 et Eph. 4: 8. Sicut autem Christo nomina ista apud Esaiam posita eminentissime conveniunt, ita et προφήτιδος [*prophetissae*] nomen quod in eodem oraculo reperitur singulariter convenit Mariae semper virgini, quae inter feminas fuit εὐλογημένη καὶ κεχαριτωμένη [*benedicta et gratiâ plena*], Luc. 1: 28, et super quam venit Spiritus sanctus, Luc. 1: 35. Verissime ergo a Matthaeo scriptum est in nativitate Christi verba Esaiae πληρωθῆναι, id est, *consummata esse*. Ita enim puto id verbum optime reddi. Quod autem dicit Matthaeus *factum hoc ut consummaretur quod praedictum erat per Esaiam*, non ita intelligi debet quasi Deus Christum ex virgine nasci voluerit hoc proprie consilio, ut quod Esaias dixerat fieret, cum potius quia id Deus voluerit fieri, ideo et voluerit per Esaiam dici. Aut ergo hoc vult Matthaeus, eo haec evenisse, quod Deus decretum suum vellet exsequi, cuius decreti indicium esset apud Esaiam, aut vox ἵνα [*ut*], ut saepe,

non

non finem agentis sed solam rei consequentiam significat, ut Ps. 51: 19, Rom. 5: 20, Luc. 14: 10 et alibi crebro.

Ὑπὸ τοῦ Κυρίου, a Domino] Passim dicitur Deus id dixisse quod dixerunt Prophetae, primum quia ipsam verborum sententiam Deus menti illorum inseruit; deinde quia et verba ita est moderatus ne a sententia aberrarent. Nam ut etiam verba a Deo illis dictata sint, sicuti interdum evenisse non est negandum, ita non videtur perpetuum. Atque hinc factum est, ut pro temporum atque loquentium varietate etiam sermo Prophetarum differret.

Λέγοντος, dicentis] Mihi ne dubium quidem videtur, quin et hic et cap. 2: 15 cohaereat iste genitivus cum voce *προφήτου* [*prophetae*]. Nam eaedem voces simili modo cohaerentes alibi apud hunc scriptorem reperiuntur, ubi nulla fingi potest *ἀμφιβολία* [*ambiguitas sermonis*], ut infra 2: 17, 3: 3, 4: 14, 8: 17, 13: 35, 21: 4, 27: 9.

23. *Παρθένος, virgo*] Frustra negant Iudaei vocem עלמה, si proprietas vocis spectetur, *viro intactam* significare. Nam origo optima proprietatis index est a עלם, quod est *abscondere:* nimirum quia Hebraeis, non minus quam Graecis, in more positum fuit, innuptas puellas diligenter asservare *ἐν τῷ παρθενῶνι* [*in conclavi virginum*]. Huc illud spectat Hesiodi:

> *Ἥτε δόμων ἔντοσθε φίλῃ παρὰ μητέρι μίμνει,*
> *Οὔπω ἔργ᾽ εἰδυῖα πολυχρύσου Ἀφροδίτης.*
> [*Illa manet cara cum matre penatibus imis;*
> *Nondum experta Venus quos aurea donat honores.*]

Et apud Euripidem senex Antigonen ita alloquitur:

> *Ὦ τέκνον, εἴσβα δῶμα, καὶ κατὰ στέγας*
> *Ἐν παρθενῶσι μίμνε σοῖς.*
> [*Iam, virgo, tectum repete, teque intra tuos*
> *Tene recessus.*]

Et ipsa Antigone matri dicenti *ἕπου* [*sequere*] respondet:

> *Ποῖ, παρθενῶνας ἐκλιποῦσ᾽;*
> [*Quonam, coetu relicto virginum?*]

Quod et Seneca imitatus in Agamemnone dixit:

> *Quo more coetus publicos virgo petis?*

Papinius de eadem illa Antigone:

——— *nondum concessa videri*
Antigone populis.

Ab hac origine non recedit usus, quem penes loquendi norma est, ut apparet Gen. 24: 43, Exod. 2: 8, Deut. 22: 23. In Cantico autem Sal. 6: 7 apertior etiam est huius vocis significatio: nam ab *uxoribus* et *concubinis* diserte ibi separantur עלמות [*virgines*]. In eodem Cant. 1: 3 עלמות a Rabbino Salomone exponitur בתולות. Et Septuaginta tum Gen. 24: 43, tum hoc ipso Esaiae loco non *νεᾶνιν* [*adolescentulam*], ut posteriores τῇ ὑποθέσει δουλεύοντες [*inservientes suae positioni*], sed παρθένον verterunt: Aquila, ἀπόκρυφον [*abditam*]. Et notat Hieronymus mansisse hunc vocis usum ad suam aetatem apud Poenos, traduces videlicet Phoenicum, quorum lingua Syriaca cognata Hebraeae. Neque spernendum quod idem Hieronymus adfert de voce Latina *alma*. Nam priscas Latii voces, praesertim in sacris usitatas, ab Oriente venisse tam multis argumentis demonstrari potest, ut suspicioni fortuitae συνεμπτώσεως [*concursionis*] non sit locus. *Alma* autem Latinis non ab *alendo* venit, ut quidam existimant, sed idem valet quod *sancta*. Non evincit contrarium id quod legitur Prov. 30: 19. Commune enim est omnibus linguis, ut voces ἀπὸ τοῦ εἶναι πρὸς τὸ δοκεῖν [*ab eo quod est ad id quod videtur*] transferantur. Quippe et Graece παρθένος et proprie et usitate viro intactam significat. Attamen apud Aristophanem, ut notat Scholiastes, significat τὴν ἔτι παρθένον νομιζομένην [*eam quae virgo adhuc habebatur*], quomodo et Musaeus dixit:

Ἡρὼ δ' ἑλκεσίπεπλος ἑοὺς λήθουσα τοκῆας
Παρθένος ἠματίη, νυχίη γυνή.
[*Fallebat miseros Ero bene culta parentes*
Virgo die, noctu mulier.]

Et Homerus Astyochen παρθένον eodem sensu dixerat. Ut nunc omittam audaciorem Virgilii κατάχρησιν [*abusionem*], qui, ut Servius notat, Pasiphaen trium liberûm matrem *virginem* dixit. Scriptor historiae Alexandrinae, cui nomen factum est libri tertii Maccabaeorum, item scriptor libri secundi Maccabaeorum cap. 3: 9, ut omnem

nem vocis Graecae ambiguitatem evitarent, dixerunt *κατακλείςους παρθένους* [*occlusas virgines*] voce Graecis scriptoribus in hunc quoque sensum usitata, exacte exprimente Hebraeum עלמות: quia עלם, ut diximus, est *κατακλείειν* [*abscondere*]. Philo in libro adversus Flaccum eodem sensu dixit *θαλαμευομένας παρθένους* [*thalamo cohibitas virgines*], et ad Leges speciales, *παρθένοις μὲν εἴσω κλισιάδων τὴν μεσαύλιον ὅρον πεποιημέναις* [*virginibus limitem sibi statuentibus intra tecta ianuam medianam*]. Contra exuti pudoris feminae Chaldaeis vocantur *in publicum prodeuntes*. Apparet igitur idem esse עלמה et quod Syrus hîc posuit בתולתא.

Ἕξει, habebit] Ita rectius quam *ἔχει* [*habet*], quod legere videtur Hieronymus. Merito enim Graecus interpres id quod in Hebraeo hic est temporis incerti, futuri temporis verbo est interpretatus, quia et quae sequuntur apud Prophetam huic verbo cohaerentia, futuri sunt temporis.

Καλέσουσι, vocabunt] Non dubitem sequi optimorum codicum et Syri interpretis fidem, praesertim cum ita iam olim legerint Origenes et Chrysostomus. Et recte me iudice hoc modo expressit Graecus Matthaei interpres Hebraeum וקראת [*vocabis*], quia secunda persona omnino hic ponitur indefinite, ut cum dicitur apud Homerum:

Φαίης ἄν ζάκοτόν τινα ἔμμεναι.

[*Dicas irasci facilem.*]

Sic Donatus ad illud Terentii, *Quid facias? pro, Quid faciat, unusquique scilicet*. Idem notat secundam personam poni pro tertia ibi:

Ridentem haud facile mulieri invenias virum.

Paria notat ad illud, *ut facile pro eunucho probes:* et in Phormione, *eveniunt quae non audeas optare*. Servius ad IV Aeneidos, *Migrantes cernas. Honesta figura si rem tertiae personae in secundam referas: hoc est, si quis cernat.* Postea, *Mugire videbis. Videbit quis; ut, Migrantes cernas.* In VI. *Nec dum poteris committere ferro. Poterit quis. Tertiae enim personae significationem ad secundam transtulit et generaliter loquitur.* In VIII. *Credas innare revulsas Cycladas. Credat quis.*

In XI. *Velis, pro, si quis velit.* Ita Luc. 5: 34. *Μὴ δύνασθε ποιῆσαι νηστεύειν; [numquid potestis facere ieiunare?]* Hoc ipsum autem non minus usitate exprimitur tertia persona numeri pluralis. Subauditur enim *homines quilibet*, ut infra 7: 16 et aliis locis, ubi iterum monebimus. *Καλέσεις* [*vocabis*], quod quidam codices et Eusebius sequuntur, est a Graeco LXX senum, qui hic Hebraismum secuti sunt. Chaldaeus maluit ponere *vocabit*, nimirum *quilibet homo;* sensu eodem recidente. Tot enim modis impersonalia exprimi solent. Qui vero speciatim ad Mariam hoc dici volunt, atque eo indicari Christum fuisse *ἀπάτορα* [*patre carentem*], quia patri alioqui ius imponendi nominis fuerit competiturum, quid facient illis Angeli verbis ad Iosephum? *καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν* [*vocabis nomen eius Iesum*].

Ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Quod est si interpretaris] Similes interpretationes Hebraeorum nominum, in usum eorum qui Hebraice nesciebant, addidit aliquot in locis optimus interpres, ut videre est 27: 33 et 46. Quas cum habeat et Syrus, convincitur hinc quoque Matthaei librum de Graeco, non de Hebraeo transtulisse. Idem de Arabe apparet.

25. *Ἐγίνωσκεν, cognoscebat*] Antiquissima Hebraeorum locutio, ut apparet Gen. 4: 1 atque alibi; inde porro in caeteras linguas derivata. Neque tantum de viris hoc dicitur, sed et de feminis, ut Luc. 1: 34. Ovidius in Hypsipylae epistola:

Turpiter illa virum cognovit adultera virgo.

Ἕως οὗ, donec] Negationem hanc de tempore ante partum, nihil affirmare de tempore posteriore, multis exemplis ab aliis est demonstratum, quibus addam locum qui infra est 12: 20. Iudaeis adeo notum atque usitatum est hoc loquendi genus, ut doctissimi inter ipsos vaticinium Iacobi Gen. 49: 10 ita conentur interpretari. De loco autem Gen. 28: 15 nemo unquam Iudaeorum dubitavit quin hoc modo esset intelligendus; neque magis de illo qui est Ps. 123: 2. Tum qui est 1 Sam. 15: 35 aliter explicari nequit. Addi potest Iob. 27: 5, Es. 22: 14, 2 Sam. 6: 23. Hic vero intra id tempus quod diximus con-

consistere nos iubet ipsa mens scriptoris, hoc agentis, ut ostendat compertissimum Iosepho fuisse, partum hunc non esse ex se conceptum; ad quam rem posterioris temporis mentio nullum habere poterat momentum.

Πρωτότοκον, primogenitum] Quanquam in Hebraeis vocibus nulla est *primi* significatio, recte tamen hoc Graeco nomine exprimitur partus *ὁ διανοίγων τὴν μήτραν* [*adaperiens vulvam*], ut post LXX Lucas loquitur 2: 23. Nam *primi* vox requirit ut nemo antecedat, non ut sequatur aliquis, quemadmodum a Grammaticis annotatum est ad illud Virgilii:

Hic mihi responsum primus dedit ille petenti.

Et ad illud Aeneidos I:

——— *Troiae qui primus ab oris.*

Servius in libro Fuldensi: *primus, post quem nullus.* Et similiter in Iure Civili *proximus* dicitur etiam qui solus est. Et res ipsa contra Helvidium loquitur ita hic sumendam hanc vocem. Respicitur enim ad dignitatem et iura praecipua quae antiquitus, etiam ante Mosis Legem, tribuebantur filiis maribus tam unicis quam natu maximis. Nec hodie aliter loquimur, ut testantur omnium gentium leges de feudorum successione. Erant autem *πρωτοτόκια* [*promogeniturae iura*] tria, ut Hebraei notant Gen. 49: 2, Principatus, Sacerdotium, et Praelatio in hereditate: quae omnia in Christum competere nativitate ipsius indicatum est. De Regno agit saepe Apocalypsis. De Regno et Sacerdotio scriptor ad Hebraeos, de Praelatione in hereditate vide Rom. 8: 17, Col. 1; 15, Hebr. 1; 2 et 9.

Ἐκάλεσε, vocavit] Quanquam ambigua videri potest constructio, rectius tamen hoc ad Iosephum quam ad Mariam referas: impletur enim hic quod Angelus supra dixerat 21. Atque ita intellexit Syrus, qui verbum masculini generis usurpat. Nomen *primogeniti* Messiae tribuunt et Thalmud in Pesachim et R. Nathan in Schemoth rabba.

o

In XI. *Velis*, *pro*, *si quis velit*. Ita L
σθε ποιῆσαι νηστεύειν; [*numquid potesti*
Hoc ipsum autem non minus usitat
persona numeri pluralis. Subauditu
libet, ut infra 7: 16 et aliis loc
bimus. Καλέσεις [*vocabis*], quod
sebius sequuntur, est a Graec
Hebraismum secuti sunt. Cha
cabit, nimirum *quilibet hom*
Tot enim modis imperson
ro speciatim ad Mariam
dicari Christum fuisse ἀ
patri alioqui ius impon
rum, quid facient illi
καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτο
eum].

Ὅ ἐστι μεθερμηνευόμ
les interpretationes
qui Hebraice nesc
interpres, ut vi
et Syrus, con
Graeco, non
apparet.

25. Ἐγέν
locutio, u
caeteras
dicitur,
Hypsip

Ἐ
par
ex
q

Ara
tum a
obi eiusqu
quod Salomo
gypti ita et Ori
t Pythagoram sapie
Porphyrio, cuius in
stant decimo contra Iulian
μας, quod a Luca μάγος vert
venit: et Plinius Magorum Arab
aeus in Arabia ponit Magorum Sin
biennio infra dicitur, non obstat q
bia Magi venerint. Quippe ex Mesopotam
Iudaeam veniri multo celerius potuit. Na
supra Euphratem habitabant, Hierosolyma Ios
venisse ait mensium quinque itinere. Neque ver
itur, si Herodes omni modo cavens ne puer elabere
r. latius saevitiam extendit, non minus in aetate quar
loci ratione, ideo stellam quoque tanto ante apparuiss
Quanquam et stella aliquo tempore ante iter susceptu
apparere potuit, ut ipsa sui diuturnitate sapientum an
mos in se adverteret. Stellas certe eiusmodi (cuius su
generis qui Cometae appellantur) nova imperia porte

assuefacere, ne Divina beneficia ex pompa strepituque rerum exteriorum metiretur, atque ita movente mentes Prophetarum, ut eorum dicta et primis eventibus responderent, et per Christum tamen insignius praestarentur. Haec igitur omnia, et quae alia sunt eius generis, suis locis excutienda, non in vim argumenti proprie adhibentur, sed ad illustrandam atque confirmandam rem iam creditam. Ideo Paulus Veteris Federis historiam aptans ad annunciati Euangelii tempora addit, ἅτινά ἐςιν ἀλληγορούμενα [*quae sunt per allegoriam dicta*]. Quae ratio Scripturas interpretandi, praesertim incolumi manente sensu altero simpliciori minusque elaborato, nullo iure a Iudaeis improbari potest, ut qui inter genera explicationum numerent maximique faciant τὸ ἀλληγορούμενον [*ubi aliud enuntiatur aliud innuitur*] quod Hebraistae מדרש, Philo autem Platonem secutus ὑπόνοιαν vocat. Imo Hebraeorum magistri et veteres et novi multis locis Prophetarum sensus duos assignant, atque ipse David Kimchi Ps. 2 tum de Davide tum de Messia exponit. Quod amplius est, etiam ubi factum aliquod veteri simile occurrit, dicunt מתקיים, ἐπληρώθη, sive *comprobatus* est hic vel ille Scripturae locus. Quod si sensissent Apostoli omnem Divinam de Christo dispensationem palam a Prophetis sine ullo involucro fuisse proditam, neutiquam dicerent arcanum id esse, quod ab omni aevo absconditum, ista demum aetate patefieret, Col. 1: 26, 1 Cor. 2: 7, Eph. 3: 9. Quisquis vero credit Iesum esse Christum, quod ut diximus etiam extra vaticiniorum fidem miraculis ipsius ac resurrectione abunde probatur, is vero clare perspicit, quomodo Divina providentia et res et verba Antiqui Federis ad Christum, tanquam ad scopum sibi propositum, certissime direxerit. Quibus vero sua pertinacia obstat quominus id credant, ii in lectione eiusdem Federis, quasi velo obnuptos animi oculos habent, neque aufertur id velum, nisi his qui se iam ad Dominum Iesum converterint, 2 Cor. 3: 14. Haec in ipso nostrae commentationis primordio uberius paulo praeloquenda censui, quia tum ad explicationem locorum aliquot, tum ad diluendas eas obtrectationes quibus adversarii plurimum videntur confidere, non exigui momenti mihi esse videbantur. U

Ut ergo veniamus ad hunc locum qui nobis in manu est, et in quo Iustinus, Origenes aliique tantopere sudarunt, mihi nihil videtur periturum veritati, si concedamus aliud apud Esaiam prima fronte indicari, aliud autem sub involucro tegi: atque ita quidem ut, quod in Psalmis evenisse modo ostensum est, verba ipsa Prophetae relata ad ultimum illud complementum significatum obtineant magis proprium magisque excellentem. Sed illud simul admonendi sumus, saepe fieri ut eiusdem περικοπῆς [*particulae*] non verba singula in Christum congruant, sed praecipua quaedam: ut ecce in Nathanis vaticinio illa verba: *Ipse aedificabit domum nomini meo, et firmabo solium regni eius usque in seculum. Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium,* 2 Sam. 7: 13, ita de Salomone dicuntur, ut tamen Christum eminentiori quodam modo respiciant, quae autem sequuntur ad Christum neutiquam pertinent. Videamus nunc quis esse possit verborum Propheticorum sensus primo intuitu se offerens, ut eo rectius alterum, tunc ἐν μυστηρίῳ [*in arcano*] absconditum, sed Christi temporibus plane revelatum intelligamus. Rex Achaz perterritus Syrorum et Israëlitarum in se conspiratione, neque tantum de regno retinendo sollicitus, sed et famem caeteraque obsidii mala metuens, nullam spem salutis animo concipiebat, nisi se in fidem et clientelam Regis Assyrii, illis temporibus potentissimi, daret. Contra Esaias hortabatur ipsum, ut omissis eiusmodi consiliis spem suam in Deo collocaret, adfirmans non tantum irritos fore conatus Regum Syriae atque Israëlis, regnumque Hierosolymorum mansurum penes Davidis posteros, sed brevi imminere excidium Israëlis regno, Syri autem potentiam staturam intra suos limites. Quibus pollicitationibus cum fidem Achaz non adhiberet, Esaias Divino imperio dat illi optionem signi alicuius a Deo expetendi, cuius signi testimonio fides verbis fieret. Sed cum Achaz verbis honestis, animo autem impio, quippe abiecta omni in Deum fiducia, hoc ipsum recusaret, Esaias post seriam impietatis obiurgationem, ait Deum tamen sponte sua brevi id effecturum, quod tum minime speraretur, quodque velut arrhabonis esset loco ad obsignandas promissiones caeteras. Nam et

discessuras ex Iudaea copias Syrorum et Israëlitarum conatu irrito, atque interea temporis Iudaeos nulla, quod tum maxime timebatur, laboraturos rerum necessariarum penuria. Describitur autem temporis istius ambitus hoc spatio quo puella quae tum virgo adhuc erat nuberet, conciperet, pareret et infantem educaret, sed intra infantiae annos sive priusquam puerilis aetas ad boni malique notitiam perveniret: aut, quod eodem recidit, priusquam is infans parentes salutare didicisset. Copia autem victus hac nota exprimitur, quod dicatur ei infanti, donec adolescat, nec mel nec butyrum defore. Nam Hebraeis *lac et mel* συνεκδοχικῶς [*per comprehensionem*] rerum non necessariarum tantum, sed et superfluentium copiam designant, ut Iob. 20: 17 et alibi. Sicut autem hac ratione Achazo ostenditur, quam inique faciat, quod Deo recuset confidere: ita sequentibns verbis indicatur, quantopere ipsum sit deceptura fiducia in Rege Assyrio posita. Nam inde Iudaeis mala, omnibus quae metuerent malis graviora, imminere, planeque contrarium ei rei quam tam anxie metuerent eventurum: non enim victus inopia, sed vilitate laboraturam Iudaeam prae habitantium infrequentia. Infans autem in quem ista convenirent, quantum ex sequentibus colligere est, non videtur fuisse Ezechias, ut existimant Hebraeorum multi, inter quos et Tryphon adversus Iustinum disputans, ut qui, si tempora recte supputentur, iam ante Achazi regnum ad aetatem aliquam pervenerat, quemadmodum a Rabbino Salomone recte est annotatum, quamquam quae capite nono postea dicuntur ad eum recte videantur posse referri; sed potius est is infans ipsius Esaiae filius, natus ex ea quae virgo adhuc editi vaticinii tempore, testibus Uria ac Zacharia adhibitis, Esaiae nupsit, quae et ipsa προφῆτις [*prophetissa*] fuisse indicatur. Sicut autem cum Regem accederet Esaias, iussus erat secum ducere filium suum, cui *Schceariasub* boni ominis nomen ad spem Iudaeorum excitandam inditum fuerat: ita huic infanti duo nomina sunt imposita, primum quidem *Emmanuel*, quo ostenderetur Deus ita adesse Esaiae eiusque liberis, ut quae verbis signisque per ipsos essent praenotata, eadem certo evenirent: deinde vero *Maherschalalchasbas*

qu

qua voce significabatur brevi imminere Assyrii adventum ad spoliandam Syriam ac Samariam. Atque hoc est quod ait Esaias, se filiosque suos a Deo datos in signum et documentum populi: vaticinii sui certitudinem, nullis humanis consiliis impediendam, repetita exclamatione *Emmanuel* velut obsignans. Atque hic quidem nobis videtur simplex primoque obvius esse sensus verborum Esaiae, in quibus tamen inesse μυςήριον [*arcanum*] de Christo Christum agnoscentibus liquido apparet. Nam si omnes liberationes populi Iudaici praesagia fuere eius liberationis quam Deus per Christum erat effecturus, sane et illa insignis liberatio ab obsidione hostili, quam Propheta promittebat, eo pertinuit. Stabilitatem regni Davidici, item a Propheta promissam, verum πλήρωμα [*complementum*] in aeterno Christi regno habuisse, Gabriel ipse Mariam docuit Luc. 1: 32. Illud autem *Virgo concipiet* quanto excellentiorem habet sensum, si referatur ad eam, quae ita concepit ut virgo post conceptum maneret, quod soli Mariae evenit? Nomen autem *Emmanuel*, sicut et *Iesu*, habere quidem et in aliis suam potest significationem, restrictam atque limitatam, at in Christo aliam habet infinitis partibus perfectiorem. Nam is est in quo illa praeclara *Dei promissa omnia sunt* ναὶ καὶ ἀμὴν [*est et amen*], 2 Cor. 1: 20, is est *Verbum quod caro factum inter nos habitavit*, Ioh. 1: 14, *in ipso* denique *habitat* τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς [*plenitudo Divinitatis corporaliter*], Col. 2: 9. In hunc qui non credunt, eos manet φοβερὰ ἐκδοχὴ κρίσεως [*terribilis quaedam exspectatio iudicii*], Hebr. 10: 27. Obiiciunt Iudaei, Dominum nostrum isto *Emmanuelis* nomine non appellatum; quibus Tertulliani verbis respondeo, *Sonus Hebraicus quod est* Emmanuel *suae gentis est; sensus autem eius quod est* Deus nobiscum, *ex interpretatione communis est. Quaero ergo an ista vox*, nobiscum Deus, *quod est* Emmanuel, *exinde quo Christus illuxit, agitetur in Christo: et puto ex toto non negabis. Nam qui ex Iudaismo credunt Christo, ex quo in eum credunt*, Emmanuel *cum volent dicere*, nobiscum Deum *esse significant. Atque ita constat iam venisse illum qui praedicabatur* Emmanuel, *quia quod significat* Emmanuel

vertit, *id est*, nobiscum Deus. Certe qui Prophetas non supine legit, nescire non potest *vocatum iri aliquo nomine* dici ab illis eum etiam, qui non eo vocis sono sit appellandus, sed cuius rebus celebrandis vox ista conveniat. Loca passim occurrunt, Es. 1: 26, 9: 6, 56: 7, 60: 14, 62: 4, Ier. 3: 17 et 23: 6, Ezech. 48: 35, Zachar. 8: 3. Ideo ubi Es. 14: 20 est יקרא [*vocabitur*], Chaldaeus habet יתקים *manebit*; et Lucas citans dictum locum Es. 56: 7, יקרא vertit ἐστὶν [*est*] 19: 46. Tale est infra Ναζωραῖος κληθήσεται [*Nazaraeus vocabitur*], et υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται [*filii Dei vocabuntur*], ubi et similem Philonis locutionem citabimus. Quod si quis recte attendat, eadem vis est in voce *Emmanuel* et in voce *Iesu*. Nam *servare* est, Deum nobis praestare propitium. *Deus* autem *nobiscum esse* Hebraeis dicitur, quoties benignus nos respicit atque adiuvat, Ios. 1: 5, Ier. 1: 8, Act. 18: 10; quanquam et latentiorem quendam significatum isti nomini inesse non negaverim. Sed et alterum illud nomen quo tanquam apertiore (id enim valet quod inibi dicitur *stylo humano*) infantem suum insignire Esaias iubetur, perfectissime Christo congruit, qui celerrime Diabolum devicit et victor suis spolia divisit, ut post Iustinum annotavit Chrysostomus. Vide Luc. 11: 22 et Eph. 4: 8. Sicut autem Christo nomina ista apud Esaiam posita eminentissime conveniunt, ita et προφήτιδος [*prophetissae*] nomen quod in eodem oraculo reperitur singulariter convenit Mariae semper virgini, quae inter feminas fuit εὐλογημένη καὶ κεχαριτωμένη [*benedicta et gratiâ plena*], Luc. 1: 28, et super quam venit Spiritus sanctus, Luc. 1: 35. Verissime ergo a Matthaeo scriptum est in nativitate Christi verba Esaiae πληρωθῆναι, id est, *consummata esse*. Ita enim puto id verbum optime reddi. Quod autem dicit Matthaeus *factum hoc ut consummaretur quod praedictum erat per Esaiam*, non ita intelligi debet quasi Deus Christum ex virgine nasci voluerit hoc proprie consilio, ut quod Esaias dixerat fieret, cum potius quia id Deus voluerit fieri, ideo et voluerit per Esaiam dici. Aut ergo hoc vult Matthaeus, eo haec evenisse, quod Deus decretum suum vellet exsequi, cuius decreti indicium esset apud Esaiam, aut vox ἵνα [*ut*], ut saepe,

non

non finem agentis sed solam rei consequentiam significat, ut Ps. 51: 19, Rom. 5: 20, Luc. 14: 10 et alibi crebro.

Ὑπὸ τοῦ Κυρίου, a Domino] Passim dicitur Deus id dixisse quod dixerunt Prophetae, primum quia ipsam verborum sententiam Deus menti illorum inseruit; deinde quia et verba ita est moderatus ne a sententia aberrarent. Nam ut etiam verba a Deo illis dictata sint, sicuti interdum evenisse non est negandum, ita non videtur perpetuum. Atque hinc factum est, ut pro temporum atque loquentium varietate etiam sermo Prophetarum differret.

Λέγοντος, dicentis] Mihi ne dubium quidem videtur, quin et hic et cap. 2: 15 cohaereat iste genitivus cum voce προφήτου [*prophetae*]. Nam eaedem voces simili modo cohaerentes alibi apud hunc scriptorem reperiuntur, ubi nulla fingi potest ἀμφιβολία [*ambiguitas sermonis*], ut infra 2: 17, 3: 3, 4: 14, 8: 17, 13: 35, 21: 4, 27: 9.

23. *Παρθένος, virgo*] Frustra negant Iudaei vocem עלמה, si proprietas vocis spectetur, *viro intactam* significare. Nam origo optima proprietatis index est a עלם, quod est *abscondere:* nimirum quia Hebraeis, non minus quam Graecis, in more positum fuit, innuptas puellas diligenter asservare ἐν τῷ παρθενῶνι [*in conclavi virginum*]. Huc illud spectat Hesiodi:

> *Ἥτε δόμων ἔντοσθε φίλῃ παρὰ μητέρι μίμνει,*
> *Οὔπω ἔργ' εἰδυῖα πολυχρύσου Ἀφροδίτης.*
> [*Illa manet cara cum matre penatibus imis;*
> *Nondum experta Venus quos aurea donat honores.*]

Et apud Euripidem senex Antigonen ita alloquitur:

> *Ὦ τέκνον, εἴσβα δῶμα, καὶ κατὰ στέγας*
> *Ἐν παρθενῶσι μίμνε σοῖς.*
> [*Iam, virgo, tectum repete, teque intra tuos*
> *Tene recessus.*]

Et ipsa Antigone matri dicenti ἕπου [*sequere*] respondet:

> *Ποῖ, παρθενῶνας ἐκλιποῦσ';*
> [*Quonam, coetu relicto virginum?*]

Quod et Seneca imitatus in Agamemnone dixit:

> *Quo more coetus publicos virgo petis?*

 Pa-

Papinius de eadem illa Antigone:

——— *nondum concessa videri*
Antigone populis.

Ab hac origine non recedit usus, quem penes loquendi norma est, ut apparet Gen. 24: 43, Exod. 2: 8, Deut. 22: 23. In Cantico autem Sal. 6: 7 apertior etiam est huius vocis significatio: nam ab *uxoribus* et *concubinis* diserte ibi separantur עלמות [*virgines*]. In eodem Cant. 1: 3 עלמות a Rabbino Salomone exponitur בתולות. Et Septuaginta tum Gen. 24: 43, tum hoc ipso Esaiae loco non νεᾶνιν [*adolescentulam*], ut posteriores τῇ ὑποθέσει δουλεύοντες [*inservientes suae positioni*], sed παρθένον verterunt: Aquila, ἀπόκρυφον [*abditam*]. Et notat Hieronymus mansisse hunc vocis usum ad suam aetatem apud Poenos, traduces videlicet Phoenicum, quorum lingua Syriaca cognata Hebraeae. Neque spernendum quod idem Hieronymus adfert de voce Latina *alma*. Nam priscas Latii voces, praesertim in sacris usitatas, ab Oriente venisse tam multis argumentis demonstrari potest, ut suspicioni fortuitae συνεμπτώσεως [*concursionis*] non sit locus. *Alma* autem Latinis non ab *alendo* venit, ut quidam existimant, sed idem valet quod *sancta*. Non evincit contrarium id quod legitur Prov. 30: 19. Commune enim est omnibus linguis, ut voces ἀπὸ τοῦ εἶναι πρὸς τὸ δοκεῖν [*ab eo quod est ad id quod videtur*] transferantur. Quippe et Graece παρθένος et proprie et usitate viro intactam significat. Attamen apud Aristophanem, ut notat Scholiastes, significat τὴν ἔτι παρθένον νομιζομένην [*eam quae virgo adhuc habebatur*], quomodo et Musaeus dixit:

Ἡρὼ δ' ἑλκεσίπεπλος ἑοὺς λήθουσα τοκῆας
Παρθένος ἠματίη, νυχίη γυνή.
[*Fallebat miseros Ero bene culta parentes*
Virgo die, noctu mulier.]

Et Homerus Astyochen παρθένον eodem sensu dixerat. Ut nunc omittam audaciorem Virgilii κατάχρησιν [*abusionem*], qui, ut Servius notat, Pasiphaen trium liberûm matrem *virginem* dixit. Scriptor historiae Alexandrinae, cui nomen factum est libri tertii Maccabaeorum, item scriptor libri secundi Maccabaeorum cap. 3: 9, ut om-

nem vocis Graecae ambiguitatem evitarent, dixerunt *κατακλείστους παρθένους* [*occlusas virgines*] voce Graecis scriptoribus in hunc quoque sensum usitata, exacte exprimente Hebraeum עלמות: quia עלם, ut diximus, est *κατακλείειν* [*abscondere*]. Philo in libro adversus Flaccum eodem sensu dixit *θαλαμευομένας παρθένους* [*thalamo cohibitas virgines*], et ad Leges speciales, *παρθένοις μὲν εἴσω κλισιάδων τὴν μεσαύλιον ὅρον πεποιημέναις* [*virginibus limitem sibi statuentibus intra tecta ianuam medianam*]. Contra exuti pudoris feminae Chaldaeis vocantur *in publicum prodeuntes*. Apparet igitur idem esse עלמה et quod Syrus hic posuit בתולתא.

Ἕξει, habebit] Ita rectius quam *ἔχει* [*habet*], quod legere videtur Hieronymus. Merito enim Graecus interpres id quod in Hebraeo hic est temporis incerti, futuri temporis verbo est interpretatus, quia et quae sequuntur apud Prophetam huic verbo cohaerentia, futuri sunt temporis.

Καλέσουσι, vocabunt] Non dubitem sequi optimorum codicum et Syri interpretis fidem, praesertim eum ita iam olim legerint Origenes et Chrysostomus. Et recte me iudice hoc modo expressit Graecus Matthaei interpres Hebraeum וקראת [*vocabis*], quia secunda persona omnino hic ponitur indefinite, ut cum dicitur apud Homerum:

Φαίης ἄν ζάκοτόν τινα ἔμμεναι.

[*Dicas irasci facilem.*]

Sic Donatus ad illud Terentii, *Quid facias? pro, Quid faciat, unusquique scilicet.* Idem notat secundam personam poni pro tertia ibi:

Ridentem haud facile mulieri invenias virum.

Paria notat ad illud, *ut facile pro eunucho probes:* et in Phormione, *eveniunt quae non audeas optare.* Servius ad IV Aeneidos, *Migrantes cernas. Honesta figura si rem tertiae personae in secundam referas: hoc est, si quis cernat.* Postea, *Mugire videbis. Videbit quis; ut, Migrantes cernas.* In VI. *Nec dum poteris committere ferro. Poterit quis. Tertiae enim personae significationem ad secundam transtulit et generaliter loquitur.* In VIII. *Credas innare revulsas Cycladas. Credat quis.*

In XI. *Velis, pro, si quis velit.* Ita Luc. 5: 34. Μὴ δύνασθε ποιῆσαι νηστεύειν; [*numquid potestis facere ieiunare?*] Hoc ipsum autem non minus usitate exprimitur tertia persona numeri pluralis. Subauditur enim *homines quilibet*, ut infra 7: 16 et aliis locis, ubi iterum monebimus. *Καλέσεις* [*vocabis*], quod quidam codices et Eusebius sequuntur, est a Graeco LXX senum, qui hic Hebraismum secuti sunt. Chaldaeus maluit ponere *vocabit*, nimirum *quilibet homo;* sensu eodem recidente. Tot enim modis impersonalia exprimi solent. Qui vero speciatim ad Mariam hoc dici volunt, atque eo indicari Christum fuisse ἀπάτορα [*patre carentem*], quia patri alioqui ius imponendi nominis fuerit competiturum, quid facient illis Angeli verbis ad Iosephum? *καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν* [*vocabis nomen eius Iesum*].

Ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Quod est si interpretaris] Similes interpretationes Hebraeorum nominum, in usum eorum qui Hebraice nesciebant, addidit aliquot in locis optimus interpres, ut videre est 27: 33 et 46. Quas cum habeat et Syrus, convincitur hinc quoque Matthaei librum de Graeco, non de Hebraeo transtulisse. Idem de Arabe apparet.

25. *Ἐγίνωσκεν, cognoscebat*] Antiquissima Hebraeorum locutio, ut apparet Gen. 4: 1 atque alibi; inde porro in caeteras linguas derivata. Neque tantum de viris hoc dicitur, sed et de feminis, ut Luc. 1: 34. Ovidius in Hypsipylae epistola:

Turpiter illa virum cognovit adultera virgo.

Ἕως οὗ, donec] Negationem hanc de tempore ante partum, nihil affirmare de tempore posteriore, multis exemplis ab aliis est demonstratum, quibus addam locum qui infra est 12: 20. Iudaeis adeo notum atque usitatum est hoc loquendi genus, ut doctissimi inter ipsos vaticinium Iacobi Gen. 49: 10 ita conentur interpretari. De loco autem Gen. 28: 15 nemo unquam Iudaeorum dubitavit quin hoc modo esset intelligendus; neque magis de illo qui est Ps. 123: 2. Tum qui est 1 Sam. 15: 35 aliter explicari nequit. Addi potest Iob. 27: 5, Es. 22: 14, 2 Sam. 6: 23. Hic vero intra id tempus quod diximus con-

consistere nos iubet ipsa mens scriptoris, hoc agentis, ut ostendat compertissimum Iosepho fuisse, partum hunc non esse ex se conceptum; ad quam rem posterioris temporis mentio nullum habere poterat momentum.

Πρωτότοκον, primogenitum] Quanquam in Hebraeis vocibus nulla est *primi* significatio, recte tamen hoc Graeco nomine exprimitur partus ὁ διανοίγων τὴν μήτραν [*adaperiens vulvam*], ut post LXX Lucas loquitur 2: 23. Nam *primi* vox requirit ut nemo antecedat, non ut sequatur aliquis, quemadmodum a Grammaticis annotatum est ad illud Virgilii:

Hic mihi responsum primus dedit ille petenti.

Et ad illud Aeneidos I:

——— *Troiae qui primus ab oris.*

Servius in libro Fuldensi: *primus, post quem nullus.* Et similiter in Iure Civili *proximus* dicitur etiam qui solus est. Et res ipsa contra Helvidium loquitur ita hic sumendam hanc vocem. Respicitur enim ad dignitatem et iura praecipua quae antiquitus, etiam ante Mosis Legem, tribuebantur filiis maribus tam unicis quam natu maximis. Nec hodie aliter loquimur, ut testantur omnium gentium leges de feudorum successione. Erant autem πρωτοτόκια [*promogeniturae iura*] tria, ut Hebraei notant Gen. 49: 2, Principatus, Sacerdotium, et Praelatio in hereditate: quae omnia in Christum competere nativitate ipsius indicatum est. De Regno agit saepe Apocalypsis. De Regno et Sacerdotio scriptor ad Hebraeos, de Praelatione in hereditate vide Rom. 8: 17, Col. 1: 15, Hebr. 1: 2 et 9.

Ἐκάλεσε, vocavit] Quanquam ambigua videri potest constructio, rectius tamen hoc ad Iosephum quam ad Mariam referas: impletur enim hic quod Angelus supra dixerat 21. Atque ita intellexit Syrus, qui verbum masculini generis usurpat. Nomen *primogeniti* Messiae tribuunt et Thalmud in Pesachim et R. Nathan in Schemoth rabba.

CAPUT II.

'Απὸ ἀνατολῶν, ab Oriente] Perplacet mihi vetustissima Christianorum atque inter eos Iustini Martyris ac Tertulliani sententia, quam et Epiphanius sequitur, ab Arabia venisse hos sapientes. Eam enim Iudaei, ut sibi ab Ortu adsitam, hoc nomine vulgo appellabant, ut videre est Gen. 10: 30, 25: 6, 18, Iobi 1: 3, Iudic. 6: 3, 1 Reg. 4: 30, Es. 11: 14, Ier. 49: 28. Tacitus in descriptione Iudaeae: *Terra finesque, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur.* Chaldaei Septentrionalium potius nomine censebantur, Ier. 25: 9. Et munera quae attulerunt Arabica sunt, non Persica, ut infra dicemus. Neque vero soli Persarum sapientes Hebraeis Graeca lingua utentibus *Magi* vocabantur, sed et alii, ut videre est in Graeca Danielis historia. Habuit autem et Arabia antiquitus sapientes suos, tum naturae omnis tum astrorum imprimis studiosos, quod nos docent Iobi eiusque amicorum colloquia. Nec aliter sumam quod Salomon dicitur antecelluisse sapientibus ut Aegypti ita et Orientis, id est Arabiae, 1 Reg. 4: 30. Et Pythagoram sapientiae causa Arabes adiisse scriptum Porphyrio, cuius in eam rem verba apud Cyrillum exstant decimo contra Iulianum. Quin ipsum nomen 'Ελύμας, quod a Luca μάγος vertitur Act. 13: 8, ab Arabia venit: et Plinius Magorum Arabiae meminit: et Ptolemaeus in Arabia ponit Magorum Sinum. Quod autem de biennio infra dicitur, non obstat quo minus ab Arabia Magi venerint. Quippe ex Mesopotamia quoque in Iudaeam veniri multo celerius potuit. Nam eos, qui supra Euphratem habitabant, Hierosolyma Iosephus venisse ait mensium quinque itinere. Neque vero sequitur, si Herodes omni modo cavens ne puer elaberetur, latius saevitiam extendit, non minus in aetate quam loci ratione, ideo stellam quoque tanto ante apparuisse. Quanquam et stella aliquo tempore ante iter susceptum apparere potuit, ut ipsa sui diuturnitate sapientum animos in se adverteret. Stellas certe eiusmodi (cuius sunt generis qui Cometae appellantur) nova imperia portende-

dere, apud omnes ferme gentes recepta sententia est. Notum est Lucani illud:

Et terris mutantem regna Cometen.

Vulcanius aruspex, ut nos Servius docet ad nonam Eclogam, dicebat cometa significari exitum veteris et ingressum novi seculi. Et Chaeremon Stoïcus notaverat interdum per Cometas etiam in melius mutationem praenotari. Idem ille Servius ad illud Georg. I, *diri Cometae. Quia sunt et boni.* Et de illo Comete Aeneid. X. *Hic blandus esse dicitur.* Credibile autem est apparuisse hanc stellam in ea coeli parte quae consensu Astrologorum ad Iudaeam pertinuerit, ut solent ab eius artis professoribus terrarum regiones certis coeli spatiis adscribi: Quae dico, non quod superstitiosis ariolationibus patrocinari cupiam, sed quod arbitrer Deum ita res disponere, ut ea quae sive iure sive iniuria magni apud homines fiunt, interdum trahat in veri testimonium. Artibus vero non usquequaque probandis operam dedisse hos Magos, Origeni, Ambrosio, Basilio et Chrysostomo placet: atque id perquam probabile faciunt illarum gentium atque illorum temporum mores. Nam si in ipso Dei populo Pharisaei, singularis cuiusdam sanctimoniae ostentatores, fatorum indicia a sideribus petiverunt, quid par est credi factum ab iis qui etiam astrorum cultui se mancipaverant? Peripatetici et qui eos sequuntur pro certo habent Cometas infra Lunam existere, quo argumento multi asserunt nunquam novum sidus extra hoc de quo agit Matthaeus in siderea regione exortum: sed utrum satis explorata sit utraque haec assertio ab aliis dubitatur. Certe Cometam fuisse hoc sidus Origenes quasi pro certo ponit libro adversus Celsum VI. Caeterum qualecunque fuit sidus, motus ille quo postea narratur Christi hospitium fuisse monstratum, non modo praeter naturam fuit, sed etiam citra exemplum: unde Graeci Angelum potius quam stellam fuisse existimant. Simile aliquid in Martyrologio narratur accidisse Diocletiani temporibus, cum Christiani quaerentes trium martyrum, Tharaci, Probi et Andronici corpora, viderunt subito velut stellam splendidam de coelo missam super singula sanctorum corpora residentem. Balaami vaticinium, quo multi Magos putant

ex-

excitatos, ut non nego ab Hebraeis quibusdam tractum ad res Messiae (nam et Aquila hoc testimonio usus est ut Barchochebam probaret esse promissum illum Messiam), ita obscurius est quam ut lectum auditumve certi temporis comprehensionem potuerit cuiquam externo infigere; praesertim cum commode possit, imo, quod sensum primum attinet, etiam debeat ad Davidem Moabitarum victorem referri. Sed et quae apud Danielem oracula ad designanda Christi tempora proprie pertinent, non Chaldaeis sunt tradita, ut quidam suspicantur, sed Iudaeis, *οἷς ἐπιςεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ* [*quibus credita sunt eloquia Dei*], Rom. 3: 2. Quare magis ad rem pertinet quod alii monent, receptam fuisse apud Iudaeos opinionem, circa illa tempora instare Messiae adventum, idque vicinas apud gentes vulgatum. Dico autem circa illa tempora, quia cum definitum tempus ignoraretur, non longe tamen a vero tempore aberravit coniectura. Nam Sibyllina oracula, non nova illa quae citant Christiani, sed vetera Romae a XV viris asservata inter alia videntur habuisse versus Graecos Iudaeorum. Ex his autem depromtum illud quod Cicero recitat, opus esse ut, si salvi esse vellent, eum qui Rex esset Regem agnoscerent; itemque Virgilii Idyllium quartum novi cuiusdam Regni pollicitationem continens, et quidem ferme verbis iisdem quae Prophetae Hebraei usurpant. Hinc quoque factum ut Herodem Magnum quidam esse Messiam interpretarentur; mox Theudam, Iudam Gauloniten, aliosque id genus impostores. Iudaeorum certe animos, in terris agente Iesu, arrectos fuisse exspectatione Messiae, eumque rumorem ad Samaritas etiam manasse, passim nos docet Euangelii historia. Hinc Baptista interrogatur an ipse sit Messias; et populus conspectis Iesu miraculis statim dubitare incipit, an non sit ille ipse qui exspectabatur: duravitque ea fama atque adeo Orientem totum pervagata est ad Vespasiani tempora, quod ostendunt Iosephus, Tacitus et Suetonius; imo ad Adriani usque aevum: nam id Barchochebae audendi occasionem praebuit. Duae autem praecipue notae in exspectationem Messiae circa ea tempora Iudaeos erexerant: numeri annorum Danielis, et destructio Regni Syriaci et Aegyptiaci. Haec igitur ip-

ipsa fama ex Iudaeorum vicinia facile Arabiam pervagata inusitato sideri auctoritatem adstruxit.

2. *Αὐτοῦ τὸν ἀςέρα, stellam eius*] Ita dictum ut apud Maronem:

Ecce Dionaei processit Caesaris astrum,

hoc est, astrum eius honori dicatum.

Ἐν τῇ ἀνατολῇ, in Oriente] Terra unde venerant, non coeli regio, hac voce denotatur, ut et supra et infra commate 9.

Προσκυνῆσαι αὐτῷ, adorare eum] Hellenistae vocem hanc modo cum tertio casu componunt, ut hic, et LXX Gen. 37: 10, modo cum quarto, ut Graeci scriptores. Significat autem procumbentis corporis gestum honoris habendi gratia. Graeci assueti libertati hoc modo neminem hominem salutabant, ut nos docet Herodotus aliique. Orientis populos Regibus eum honorem habuisse et sacra et profana historia nos docet. Iosephus de Davide Saulem venerante: *προσκυνεῖται αὐτὸν πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον ὡς ἔθος* [*adorat eum in faciem procidens, ut erat moris*]. Livius de Legatis Carthaginiensium: *More adorantium* (*accepto credo ritu ex ea regione ex qua oriundi erant*) *procubuerunt.* Significat Phoenicum, quorum vicini Hebraei, hunc morem fuisse; ut et Euripides, apud quem sic Phoenissae loquuntur:

Γονυπετεῖς ἕδρας προσπιτνῶ
Σ', ἄναξ, τὸν οἴκοθεν νόμον σέβουσα.
[*Supplex te, Rex, venerans genubus*
Patrio advolvor de more tuis.]

Scriptor Latinus vitae Cononis: *Necesse est enim si in conspectum veneris, venerari te Regem, quod προσκυνεῖν illi vocant.* Magi igitur, quibus persuasum erat huic puero regnum destinari, more suae gentis eum venerantur. Describitur ista *προσκύνησις* [*adoratio*] infra commate 2, verbo *πίπτειν* [*cadere*], ut et inferius 4: 9, 18: 26, Marc. 5: 22, 9: 20. *πίπτειν ἐπὶ πρόσωπον* [*procidere in faciem*] dixit Luc. 5: 12, *προσπίπτειν* Herodotus atque alii scriptores Graeci, *προσπιτνεῖν* Aeschylus Persis, ubi luculenta eius moris notatio.

3. *Πᾶσα Ἱεροσόλυμα, omnis Hierosolyma*] Et accentus et terminatio docent non vocem femininam singularem,

sed

Pro, *Urbs Ilia.* Regionis autem nomen Bethlehemo additur, quia alterum Bethlehemum erat in Galilaea, Ios. 19: 15.

Οὐδαμῶς, nequaquam] Cum et Propheta Hebraice scripserit et ipsius Prophetae verba retulerint Legisperiti, neque credibile sit ab iis discessisse Matthaeum, quaeritur merito unde illud *οὐδαμῶς* sumserit Graecus interpres, praesertim cum non exstet apud LXX: qui nodus Hieronymum aliosque multum torsit. Mihi expeditissima haec videtur responsio, visum interpreti verba Prophetae interrogationem continere, quae more omnium gentium negationi tantundem valeat; hoc modo: *Tune Bethlehem minima sis in censu familiarum Tribus Iudae? imo vero ex te originem sumturus est Messias.* Sic et Chaldaeus Paraphrastes id quod est Gen. 4: 24 legit cum interrogatione, interpretatur cum negatione: et Latinus interpres id quod est Deut. 9: 2; et locum 2 Sam. 16: 18 alii cum negativa particula, alii sine ea legunt sensu eodem. Idemque evenit Iob. 13: 15 et Esaiae 49: 7. Sensus esset apertior, si adesset ה interrogativum, sed id saepe omittitur, ut Iobi 40: 20, 1 Reg. 21: 7, Zach. 8: 6. Sic *non* pro *nempe* poni notat Servius ad Aeneidos XI.

Ἐν τοῖς ἡγεμόσιν, in principibus] Vox Hebraea אלף, quae *χιλιάδα* [*mille*] sonat, partem tribus, hoc est familiam, designat, ut apparet Iud. 6: 15; non quod familiis iste numerus responderet (id enim fieri non potuit) sed quod certus numerus positus est pro incerto; ita tamen ut *ἐπὶ τὸ πλεῖστον* [*plerumque*] a proportione non longe recederetur. Quare et שרי אלפים [*principes millium*] Ex. 18: 25 ii mihi esse videntur quos *πατριάρχας* vocat Iosephus, sensu contractiore quam quo vox ea in Novo Federe usurpari solet. Eosdem *πατριάρχας*, id est familiarum principes, Graecus interpres hoc loco vocavit *ἡγεμόνας*, capitis appellatione totum corpus *συνεκδοχικῶς* [*per comprehensionem*] designans: nisi malumus illum in Hebraeo legisse non אַלְפֵי [*millium*] sed אַלֻּפֵי [*Ducum*].

Ἐκ σοῦ γὰρ, ex te enim] Videtur proprie Prophet[a] originem indicare ex familia Bethlehemitica nimirum sive Davidica, non numerosa per se, a Babyloniis autem propter Regiam quam obtinuerat dignitatem, omnibu[s] modis atterenda. Voluit tamen Deus delecto ad Chris[...]

nativitatem hoc oppidulo plenissime praestare quod Propheta dixerat, et simul ex nascendi loco originem quoque actis publicis testatam facere, ut docemur a Luca 2: 4, ubi πατριὰ Δαβὶδ [*familia David*] est idem quod אלף apud Prophetam.

7. Ἠκρίβωσε, *diligenter didicit*] Eleganter expressit Interpres una voce idem quod paulo post dixit duabus, ἀκριβῶς ἐξετάζειν [*interrogare diligenter*]. Ita apud Isocratem, οἱ τὰ ἐκείνων ἀκριβοῦντες est ἀκριβῶς ἐξετάζοντες [*qui res illorum perdidicerunt*].

Φαινομένου, *quae apparuit eis*] Φαινόμενα [*apparentia*] Graecis dicuntur stellae perpetuae, praesertim αἱ ἀπλανεῖς [*fixae*]. Attamen origo vocis latius patet et ab ipso Aristotele τῇ ἅλῳ, τῷ παρηλίῳ, τῷ κομήτῃ [*Areae, geminato Soli, stellae Crinitae*] etiam aptatur. Recte autem transferas τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος, *quanto iam tempore stella appareret*. Videtur enim electum participium praesentis temporis, ut non initium sed continuitas denotaretur.

8. Πέμψας αὐτοὺς, *mittens eos*] Πέμπω apud Homerum est idem quod frequentius dicitur προπέμπω. Latini dicebant *prosequi*. Nam et hoc proprie est, abeuntem honoris causa aliquousque comitari: unde ad caetera officiorum genera transferri coepit.

9. Ἔστη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον, *staret supra ubi erat puer*] id est, desiit procedere, nec multo post, ut credi par est, evanuit, ubi Magi ad eum pervenerant locum in quo erat infans Iesus. Nam alioqui, ut locum in terris tam exiguum stella coelestis certo designet, fieri non potest. Domum igitur ipsam invenerunt Magi non solo stellae ductu, sed ἀκριβῶς ἐξετάσαντες περὶ τοῦ παιδίου [*cum de puero omnia diligenter exquisivissent*], forte et Pastorum non longe ἀγραυλούντων [*in agris agentium*] indicio. Non dissimile est quod Varro secundo Rerum divinarum scripserat, referente Servio ad primum Aeneidos: ex quo de Troia egressus est Aeneas, Veneris eum per diem quotidie stellam vidisse, donec ad agrum Laurentem veniret, in quo eam non vidit ulterius.

11. Εἰς τὴν οἰκίαν, *domum*] Non possum accedere Epiphanio existimanti fixum domicilium hic intelligi,

quo Iosephus et Maria cum Iesu iam ferme bimulo Nasareta relicta immigraverint, quanquam favere eius sententiae videtur quod infra Iosephus Aegypto rediens narratur metu Archelai impeditus quo minus Iudaeam peteret, Nazaretae larem posuisse, quasi in Aegyptum discedens non ibidem habitasset. Sed et quod de bimatu dicitur infirmum est (ut iam ante diximus). Et ad alterum illud responderi potest, Iosephum cum ab Aegypto revenisset causas habuisse domesticas, quae ad victum parandum aut ad consuetudinem cognatorum (quos habebat istis in partibus, ut patet Luc. 2: 44) aut ad pueri denique institutionem pertinebant, cur in Iudaea peculiariter ita dicta quam in Galilaeae partibus habitare mallet; sed metu Archelai consilium mutasse. Contra ut credam Magorum adventum accidisse intra spatium illud temporis triginta et octo dierum quod erat puerperis a Divina lege praestitutum, movent me verba Lucae, qui statim post *καθαρισμὸν* [*purgationem*] puerum cum matre Nazaretam deducit; movent et illa superius posita, *τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας ἐν ἡμέραις Ἡρώδου τοῦ βασιλέως, ἰδοὺ μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν* [*cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente*] et quae sequuntur. Plane enim verba haec rem paulo post Christum natum gestam denotant; quomodo Hebr. 11: 23 *Μωσῆς γεννηθεὶς* [*Moses natus*] significat, *paulo postquam natus erat:* et Bethlehemiticam illam mansionem, in qua Magi Iesum salutaverunt, non deducunt a nova aliqua migratione, quae post interpositum iter Hierosolymitanum et repositam Nazaretae habitationem contigerit, sed cum ipso puerperio continuant. Quibus accedit quod commoratio Bethlehemitica tam exigui fuerit temporis, ut ne minima quidem eius fama ad populum pervaserit, Ioh. 1: 46, 47. Neque scrupulum iniicere nobis debet vox *παιδίου* [*pueri*] quasi provectiorem recenter nato indicaret. Nam et de Iohanne Zachariae filio necdum circumciso vocem *παιδίον* Lucas usurpat 1: 59 et de Christo iamiam nato loquens promiscue utitur nominibus *βρέφους* [*infantis*] et *παιδίου* 2: 11, 12, 16, 17, 21. Illud vero perquam credibile est, peracto censu copiam datam paulo laxioris hospitii; atque

que adeo ex eo specu, in quo τὴν φάτνην [praesepe] fuisse antiqui scriptores memorant, Iosephum et Mariam in domum transiisse antequam Magi adventarent: quanquam aliter sensisse videtur Iustinus.

Τοὺς θησαυροὺς, [*thesauros*] Ita Graeci vocant non tantum, ut Iurisconsulti, depositionem illam veteris pecuniae cuius non exstat memoria et quae proinde dominum non habeat, sed omnes omnino *ἀποθήκας* [*repositiones*] et conditoria: quomodo et Varro:

Non fit thesauris, non auro pectus solutum.

Servius ad IV Georg. *Thesauris, id est, repositionibus, quasi diceret apothecis.* Et forte origo non est Graeca sed Orientalis ex תשורה quae vox est 1 Sam. 9: 7. Graece non tantum ita loquuntur Xenophon, Plutarchus, aliique, sed et Iosephus. Idem valet אוצר Hebraeum quo Matthaeum usum existimo. Quaedam exemplaria Epiphanii tempore habebant hoc loco *πήρας* [*sacculos*], quod ex interpretamento evenisse arbitror.

Δῶρα, munera] Non Persis tantum et eorum successoribus Parthis in more positum fuit Reges cum donis adire, sed totus Oriens idem frequentavit. Vide Gen. 32: 13, 43: 11, 25, 1 Sam. 25: 18, 27, 1 Reg. 10: 2, Ps. 72: 10. Attulerunt autem Magi suae regionis praestantissimas dotes. Nam myrrha non nisi in Arabia nascitur; nec thus nisi apud Sabaeos Arabum portionem: sed et aurifera est felix Arabia. Itaque et Salomoni Arabum Reges aurum dono tulere, 2 Par. 9: 14. Neque aliud spectatum a Magis arbitror, ita ut hic forte nihil sit opus *ἀλληγορεῖν* [*sensus abditos inquirere*]. Si tamen *μυστικώτερον* [*abstrusius*] aliquid Divino consilio volumus indicatum, mihi non displiceat his signis tribus tria illa notari, quae nunc, abrogatis veteribus sacrificiis, Deo per Christum offerimus: opera misericordiae, Phil. 4: 18; corporum puritatem, Rom. 12: 1; et preces, Ps. 141: 2 et Apoc. 5: 8. Et thuris quidem similitudine preces intelligi posse, ipse ille Psalmorum et Apocalypseos locus aperte nos docet; bonorum autem huius seculi, quibus aliorum egestatem sublevamus, quasi communis mensura est aurum: et myrrhae vix alius est usus quam ut corpora incorrupta conservet, ut nos Plinius docet, et ipse Iohannes 19: 39.

12. *Χρηματισθέντες, responso accepto*] Similis huius vocis usus Luc. 2: 26, Act. 10: 22, Hebr. 8: 5 et 11: 7. Est autem χρηματισμοῦ [*responsi*] vox latius patens quam Latina *oraculi*, quod de visis diurnis nocturnisve dici non memini.

13. *Ἀναχωρησάντων δὲ αὐτῶν, Qui cum recessissent*] Cum non exprimatur locus ubi hoc factum sit, potest intelligi aut Hierosolymis id accidisse, aut etiam Nazaretae, quo post lustrationem puerperae Iosephus et Maria redierint, Luc. 2: 39, ut inde porro in Aegyptum concesserint.

15. *Πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν, impleretur quod dictum est*] Quid hic sit τὸ πληροῦσθαι supra [ad 1: 22] diximus. Voluit plane Deus beneficiorum Veteris Federis et eorum quae Christo et per Christum nobis praestitit (nam et nostrae ex Aegypto liberationis, de qua dicemus ad Luc. 22: 16, ista res gessit imaginem) circumstantis quasdam esse similes, ut eo magis constaret consilio quodam peculiari ista disponi. Immerito igitur vexatus est hic locus olim a Iuliano, postea etiam a Iudaeis.

Τὸν υἱόν μου, filium meum] Populus Israeliticus, a Deo peculiariter dilectus, Christi gessit imaginem: ac, ni fallor, ipse populus, quemadmodum *filius* Dei *primogenitus* a Deo ipse vocatur Exod. 4: 22 et Ier. 31: 9, ita et *Christi* appellatur nomine, tum apud Prophetam Abac. 3: 13, tum in epistola ad Hebr. 11: 25, 26; nempe eodem modo quo Patres, unde ortum ducebat populus, *uncti* sive *Christi* vocantur Ps. 105: 15.

16. *Ἀποστείλας, mittens*] *Missis militibus:* nam saevitia haec nullam habuit speciem iudicii publici.

Ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, in omnibus finibus eius] Id est, *in omni territorio eius:* Ita *territorium coloniae* dixit Cicero. Est autem territorium, definiente Pomponio Iurisconsulto, *universitas agrorum intra fines cuiusque civitatis.* Sic infra ὅρια Μαγδαλὰ [*territorium Magdalae*] 15: 39.

Ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω, a bimatu et infra] Haec locutio ἀπὸ διετοῦς proba est et apud Pollucem apparet. Latine admodum quisquis ille est ex quo Macrobius Augusti dicta descripsit, *intra bimatum;* nisi ab ipso Macro-

crobio, qui Theodosianis temporibus vixit honoresque gessit, ac proinde aut Christianus fuit, aut certe legit Apostolorum libros, hoc additum malumus: quod eo est credibilius, quia non satis recte dici potest Antipater Herodis filius, iam provectae aetatis, quique Bethlehemi non fuit, inter infantes Bethlehemiticos occisus. Adde quod Antipater occisus quinto ante mortem Herodis die; haec autem laniena ante aliquanto contigit, ut docent quae sequuntur infra commate 19. Videtur ergo Macrobius errore quodam historias duas eiusdem temporis miscuisse. Certe laniena illa infantum, aut ob raritatem habitantium in eo tractu, aut quia tumultus seditionisve obtentu, dissimulato Regis imperio, fuit peracta, aut denique quod maioribus Herodis sceleribus obscuraretur, minus nobilis fuit quam ut ad Augusti aures perveniret; quippe cum nec Iosephus scriptor tam diligens eius meminerit. Deinde sola filii caedes ad rem pertinet; saevitia autem εἰς τοὺς διετεῖς καὶ κάτω [*in bimos et qui infra erant*] efficere non potuit ut diceret Augustus *malle se Herodis porcum esse quam filium.* Nota autem hic impleri in posteris quod in maioribus fuerat adumbratum. Olim insidiatus fuerat Esau Iacobo: nunc Idumaeus Christo, qui et *Iacobus* apud Prophetas.

18. Ῥαμᾶ, *Rama*] Ita et ante hanc vocem LXX proprio nomine transtulerant, sed et Chaldaeus interpres; melius, ni fallor, quam qui appellativo. Nec obstat quod Rama est in Beniaminis portione, Bethlehem autem in parte Iudae. Est enim Bethlehem in ultimis finibus Iudae, ipsumque Rachelis sepulchrum in territorio Bethlehemitico, sed proxime agros Beniaminis, Gen. 35: 16, 19, 20. Dicitur autem hoc ἐμφατικῶς [*significanter*] ut longe lateque clamor exauditus intelligatur. Quanquam nec longe nimium Ramam a Bethlehemo distitisse liquido constat ex historia quae est Iud. 19. Iustino autem Ramam interpretanti Arabiae locum non video cur assentiri debeam.

Κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολὺς, *ploratus et ululatus multus*] Quod in Hebraeo constructe dicitur בכי תמרורים, id copulatis vocibus optime reddidit interpres, et pluralis numeri vim addito πολὺς plenissime expressit.

Ῥαχὴλ κλαίουσα, Rachel plorans] Videtur mihi esse προσωποποιΐα [*personae fictio*], frequens Poetici sermonis ornamentum. Nec multum dissimile illud Lucani:

Deplorat Libycis perituram Scipio terris
Infaustam sobolem: maior Carthaginis hostis
Non servituri moeret Cato fata nepotis.

Possunt tamen et per *Rachelem* intelligi feminae ex Rachele ortae, quomodo nomina Iudae et Davidis usurpari solent.'

Ὅτι οὐκ εἰσὶ, quia non sunt] Sic et Graeci. In Hebraeo est singulare pro plurali, sensu distributivo, et deest verbum ὑπαρκτικόν [*substantivum*], quae ἔλλειψις [*defectio*] ei linguae usitatissima est. *Esse* autem hic valet idem quod *vivere*, quomodo mortui Latinis *fuisse*, id est vixisse, dicuntur. Et Sophocles mortuos dicit, — οὐκ ἔτ' ὄντας [— *qui non supersunt*], sicut *periisse* dicimus id quod conspectum aut notitiam nostram effugit: quo spectare videtur illud in Ps. 39: 14, *antequam abeo ut non sim amplius*. Et Ps. 37: 36 de impio, *non fuit*, ipse Psalmographus interpretatur, *quaesivi eum, et non est inventus*. Sic et Gen. 5: 24 de Enocho, *non erat*, LXX vertunt οὐχ εὑρίσκετο [*non inveniebatur*]. Sic et Sir. 17: 28, ἀπὸ νεκροῦ, ὡς μηδὲ ὄντος, ἀπόλλυται ἐξομολόγησις [*a mortuo, quippe qui non est, perit confessio*]. Nisi malimus illud *non esse* κυριολεκτῶς [*propria locutione*] dici de homine, quia nec corpus ab animo separatum, neque a corpore animus homo proprie dicitur. Loquitur hunc in modum et Iosephus: καὶ γὰρ εἰλήφαμεν παρ' ἐκείνου (τοῦ Θεοῦ) τὸ εἶναι, καὶ τὸ μηκέτι εἶναι ἐκείνῳ δίδομεν [*nam ab illo (Deo) accepimus esse: et ut non simus rursum ei permittimus*]. Mox sequitur, ψυχὴ ἀθάνατος ἀεί [*anima semper morte carens*]. Similis est apud Euripidem locus tragoedia Helena, ubi animas negat vivere, quas tamen puniri post hanc vitam agnoscit:

Καὶ γὰρ τίσις τῶν δ' ἐςὶ τοῖς τε νερτέροις,
Καὶ τοῖς ἄνωθεν πᾶσιν ἀνθρώποις. Ὁ νοῦς
Τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὔ· γνώμην δ' ἔχει
Ἀθάνατον εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.
[*Magno luuntur scelera et hic viventibus,*
Et mox sepultis. Anima post fati diem

iam

Iam non ut ante vivit, at sensus tamen
Servat perennes, hospes aeterni aetheris.]

19. *Τελευτήσαντος, defuncto*] Usitatissima Graecis ea vox etiam non addita voce *βίου* [*vitae*] aut *αἰῶνος* [*aevi*]. Sophocles:

——— *πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς.*
[——— *donec morte functum adspexeris.*]

Et alius:

Πρὸς τὸν τελευτήσανθ' ἕκαςος, κἂν σφόδρα
Ἂν ἐχθρὸς ᾗ τις, γίνεται φίλος τότε.
[*Nam morte functis, quamlibet fuerint prius*
Hostes, amici quisque tum fieri solent.]

Nec aliter Iurisconsulti.

20. *Τεθνήκασι γὰρ οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου, defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri*] Non temere est quod ipsa verba usurpantur quae exstant Ex. 4: 19; id enim solet in Sacris literis rei gestae similitudinem denotare. Sane Pharaoni quoque, ut Herodi, causam infanticidii Iosephus hanc ait fuisse, quod ex vaticiniis intellexisset magnum Ducem ex Hebraeis exstiturum.

22. *Ὅτι Ἀρχέλαος βασιλεύει, quod Archelaus regnaret*] Cum potius futurum sperasset ut Iudaea in provinciam redigeretur a Romano Imperatore, a quo minus sibi metuebat quam a minutis Regulis, ad omnes suspiciones pavidis, eoque crudelibus. Erat autem etiam fratribus suis truculentior Archelaus.

Ἀντὶ, pro] Fuerit in Hebraeo תחת, ut nunc in Syro, quae vocula interdum delegationem, hic vero aliisque in locis successionem indicat. Latine loqui si velis *βασιλεύειν ἀντὶ Ἡρῴδου* vertendum erit *Herodi in regnum succedere*, aut *regnare loco Herodis*; quomodo Martialis:

——— *Heredem*
Scribis, et esse tuo vis, furiose, loco.

Sic 1 Macc. 13: 32 dicitur *ἐβασίλευσεν ἀντ' αὐτοῦ* [*regnavit loco eius*].

23. *Διὰ τῶν προφητῶν, per Prophetas*] Vox *νόμου* [*legis*] et *προφητῶν* modo stricte ponuntur, ita ut partes constituant diversas *τῆς θεοπνεύςου γραφῆς* [*Scripturae Divinitus inspiratae*], modo laxius, ita ut harum vocum al-

alterutra totam Antiqui Federis Scripturam comprehendat; quia scilicet et Moses ipse Propheta fuit, et Prophetae caeteri Legis Mosi datae interpretes. Ita sumi προφητῶν vocem, potest et aliis locis ostendi: sed uno ero contentus Act. 3: 21, 22, ubi Petrus Prophetis generaliter numeratis subiungit *Μωσῆς γὰρ εἶπε* [*Moses enim dixit*]. Cur autem hic vocem istam laxiore significatu sumendam arbitrer iamiam apparebit.

Ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, *quoniam Nazaraeus vocabitur*] Ὅτι illud, etiam cum Veteris Federis testimonia citantur, saepe sensum magis multis ex locis depromtum quam unius loci verba indicat: ut apparet Act. 10: 42 et alibi. Quanquam vero urbs haec, Iosephi et Mariae domicilio notissima, Syriace scribatur per צ, id tamen mihi non satis causae videtur, quo minus credamus Hebraice antiquitus scriptam per ז; facile enim commutatio fieri potuit inter literas soni adeo affinis, ut et haec et illa eadem Graeca litera exprimi soleat. Si et pro צדק Syri scribunt זדק, et זדקיא illis sunt Sadducaei. Quin et in ipsis Sacrarum literarum codicibus harum inter se literarum commutatio apparet. Confer 1 Par. 16: 32 cum Ps. 96: 12. Et 1 Par. 13: 9 cum 2 Sam. 6: 6. Item Num. 26: 12 cum Gen. 46: 10. Sic et Num. 26: 15 cum Gen. 46: 16. Et ubi nunc est ז Graeci legerunt צ Gen. 49: 24. Et ubi est צ legerunt ז Es. 33: 18. Sic Moses Gerundensis Iob. 40: 12, ידפן ait positum pro [illegible], quia duae hae literae saepe commutentur, addens exempla צעקה et זעקה item זרב et צרב. Quare haec mihi videtur esse Matthaei sententia, in Veteri Federe eos qui supra communia Legis praescripta, peculiari cuidam sanctimoniae, Deo non res suas sed semetipsos dedicarent *Nazaraeos* vocari; id autem in Christo eminenter impletum, ut qui non vini abstinentiae aliisve id genus ceremoniis sed morti cruentae atque ignominiosae se ultro devoverit, quo respiciunt Christi verba Ioh. 17: 19, ubi est vox *ἁγιάζω* [*sanctifico*], unde *ἡγιασμένος* [*sanctificatus*], quod apud LXX ponitur pro *Nazaraeo*. Lucem adfert huic interpretationi locus Philonis de Nazaraeis, ubi causam reddit cur eorum votum *μεγάλη εὐχὴ* [*magnum votum*] vocaretur: *Ὅταν ἀπάρξωνταί τινες ἀπὸ παντὸς μέρους κτίσεως*

πυ-

πυροὺς, κριθὰς, ἔλαιον, οἶνον, τὰ κάλλιςα τῶν ἀκροδρύων, ἔπειτα τῶν ζώων τὰ πρωτότοκα, τὰ μὲν ἐκ τῶν καθαρῶν καθιέρωσαν, τὰ δ' ἐκ τῶν μὴ καθαρῶν κατ' ἀξίαν τιμησάμενοι· μηκέτι ἔτ' ἔχοντες ὕλας ἐν αἷς διαθήσονται τὴν εὐσέβειαν, αὐτοὺς ἀνατιθέασι καὶ καθιεροῦσιν, ἄλεκτον ἐπιδεικνύμενοι ὁσιότητα καὶ ὑπερβολήν τινα γνώμης φιλοθέου· διὸ καὶ μεγάλη προσηκόντως εὐχὴ καλεῖται· κτημάτων γὰρ τὸ μέγιςον αὐτός τις ἐςὶν αὐτῷ, οὗ παραχωρεῖ καὶ ἐξίςαται [*Ubi voverunt aliqui de rebus creatis aliquid, puta frumentum, hordeum, oleum, vinum, pomorum pulcherrima, deinde et animalium primogenita, partim ipsa quae pura erant consecrantes, partim pro impuris repenso pretio; cum iam nulla amplius superesset materia in qua pietatem ostenderent, se ipsi vovent atque consecrant, ac sic ostendunt pietatem ineffabilem et animi Deum amantis excellentiam: unde et merito magnum hoc votum dicitur, nam cum quisque sibi maxima sit possessio, de ea cedit eaque se abdicat*]. His si conferas quae tractat scriptor ad Heb. 10: 5—10, apertissime videbis Christo perfectissimo modo competere nomen *Nazaraei*. Dicit igitur Matthaeus, ita dispositis a Deo rebus, ut Iosephus et Maria ab Aegypto reversi Nazaretae larem figerent, hoc actum, ut ex ea habitatione Christo nomen illud adhaeresceret, quo sanctimonia ipsius perfectissima et votum pro nostra salute susceptum notaretnr. Neque sane fortuitum videri debet, quod sermo popularis Dominum nostrum *Iesum Nazaraeum*, quasi perpetuo cognomento vocaverit, ut apparet Matth. 26: 71, Marc. 1: 24, 10: 47, 14: 67, 16: 6, Luc. 4: 34, 18: 37, 24: 19, Ioh. 18: 5, 7, 19: 19, Act. 2: 22, 3: 6, 4: 10, 6: 14, 22: 8, 26: 9. Unde et qui ipsius sanctissimae disciplinae nomen dederant *Nazaraei* sunt appellati, Act. 24: 5. Tertullianus adversus Marcionem quarto: *Nazaraeus vocari habebat secundum Prophetiam Christus creatoris: unde et ipso nomine nos Iudaei Nazaraeos appellant per eum: nam et sumus de quibus scriptum est, Nazaraei exalbati sunt super nivem.* Nec illud omiserim, cum nomen ab oppido deductum habeat exitum apud Novi Federis Scriptores *Ναζωραῖος* et *Ναζαρηνὸς* (quod in plerisque appellationibus gentilitiis Orientalium populorum usu venire nos docet Stephanus

περὶ πόλεων [*de Urbibus*]) maluisse Matthaeum uti voce *Ναζωραίου*, ut quae recepta esset in significatu votivae sanctimoniae: nam quod apud LXX et Hellenistas alios *Ναζαραῖος* vel *Ναζηραῖος*, apud Iosephum et scriptores Christianos Graecos *Ναζιραῖος*, in Novo autem Federe modo *Ναζωραῖος* modo *Ναζαραῖος* scribitur, pronunciationis est non vocis diversitas.

CAPUT III.

2. *Μετανοεῖτε, poenitentiam agite*] Vide Marcum.

Τῶν οὐρανῶν, coelorum] Hebraei quidem coelum, etiam cum aëream aut sideream regionem significat, appellant voce soni pluralis, aut potius binarii; at Graeci id non faciunt: ideoque passim etiam in his scriptoribus utramvis illam regionem dictam invenies numero unitatis. Quid ergo et hic et aliis multis in locis sibi vult plurale hoc *οὐρανῶν*? Nimirum idem quod Hebraei dicunt שמי שמים [*coelum coelorum*], id est, coelum supremum atque inadspectabile, qui Chrysostomo in Rom. 8 ὁ τοῦ οὐρανοῦ οὐρανός [*coeli coelum*]. Mos enim est Hebraeis in eiusmodi constructionibus interdum prius membrum subticere: ita חכמות dicitur pro חכמת חכמות, id est, *excellentissima sapientia;* בהמות pro בהמת בהמות, id est, *eximia ferarum;* אלהים pro אלוה אלהים, id est, *Deus summus.* Simili plane modo scriptor ad Hebraeos, quae primum nominarat ἅγια ἁγίων [*sancta sanctorum*], mox per compendium ἅγια [*sancta*] nominat cap. 9. *Regnum* autem *coeli* apud Hebraeos, quorum sermonem Christus sequitur, interdum significat beatissimum illum statum post resurrectionem, cum Deus erit omnia in omnibus; interdum quae eo ducunt, id est, Legem tum Veterem (nam hanc quoque eo nomine appellant), tum Novam, id est, regnum Messiae, quomodo hic *regnum coeli* sumitur. Respicitur enim Danielis vaticinium, cuius implementum circa haec tempora etiam a populo exspectabatur. Haec omnia dici solent et *regnum Dei* ex Ps. 47: 9. Idem enim est regnum Dei et regnum coeli. Nam quia summum illud coelum velut arx et regia est Dei, ideo pro Deo poni

so-

solet. Maxima autem bona Messiae temporibus cum exspectarent Hebraei, satis intelligere poterant, ad ea adipiscenda opus esse amoveri impedimenta, id est, crimina, quae ipsos indignos tantis beneficiis essent reddituta.

3. *Ἑτοιμάσατε, parate*] Recte LXX et hos secutus Matthaei interpres פנו vertit *ἑτοιμάσατε*. Apertum est ita sumi hoc verbum Gen. 24: 31. De sensu vide quae dicentur ad Luc. 3.

4. *Ἀπὸ τριχῶν καμήλου, de pilis camelorum*] Habitus haud dubie severior, victus parsimoniae congruens: qualem Catoni suo Lucanus adscribit:

Huic epulae vicisse famem, magnique penates
Summovisse hiemem tecto, pretiosaque vestis
Hirtam membra super, Romani more Quiritis,
Induxisse togam.

Antea dixerat:

Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, moestamque genis increscere barbam.

Apud Hebraeos in luctu pilis vestiri mos erat, ut ex Iosepho, Antiq. XVI, discimus. Plane tales erant Hebraeorum Nazaraei, sive temporarii sive perpetui. Nam et comam barbamque promittebant, et hirta toga induebantur, cui togae nomen erat אדרת, ut nos docent Hebraeorum Magistri. Fuit autem Iohannnes perpetuus quasi Nazaraeus, quod nos docet Luc. 1: 15. Cum vero et Elias describatur nobis coma promissa 2 Reg. 1: 8 et toga ipsius illo ipso nomine אדרת vocetur 1 Reg. 19: 19, sequitur eundem fuisse habitum Prophetae et Nazaraei. Quod eo magis credibile est, quia Zacharias 13: 4 habitum Prophetae vocat אדרת שער *togam hirsutam*, et scriptor ad Hebraeos, forte et de aliis sed de Propheticis praecipue agens, eos nobis describit ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν [*in melotis, in pellibus caprinis*]. Clemens autem Romanus scriptorem ad Hebraeos in multis imitatus, ut veteres nos docent, in epistola ad Corinthios, de Prophetis, quos inter et Iohannem Baptistam nominat, ita loquitur: ἐν δέρμασιν αἰγείοις καὶ μηλωταῖς, καὶ τριχῶν καμηλείων πλέγμασιν περιεπάτησαν [*in pellibus caprinis et melotis et camelorum tortis crinibus incedebant*]. Illud observatu non indignum, factum Divina providentia ut

qui

qui veniebat in spiritu Eliae, *Elias* propterea a Prophetis nominatus, etiam habitu exteriori Eliam referret.

Ζώνην δερματίνην, zonam pelliceam] Scripserit Matthaeus אזור עור, quod de Elia dicitur 2 Reg. 1: 8, ubi LXX similiter vertunt ζώνην δερματίνην. Etiam hoc ad severioris vitae professionem pertinuit, cum Iudaei caeteri cinctum haberent de materie exquisitiore, eumque ditiores etiam auro et monilibus variarent.

Περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ, circa lumbos eius] במתניו, ut est dicto loco. Apparet ita vocari partem corporis quae cingi solet, Luc. 12: 35, Eph. 6: 14, 1 Pet. 1: 13.

Ἀκρίδες, locustae] Ad ea quae viri docti de locustarum usu ad cibum notarunt adde quae habet Leo Afer libro IX.

5. *Ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου, regio circa Iordanem*] Denotari mihi videtur regio quae Iudaeae erat trans Iordanem. Certum enim est hac voce non circumsita tantum, sed et adsita significari.

6. *Ἐβαπτίζοντο, baptizabantur*] Ceremonia haec neque nova plane fuit et vocationi Gentium praelusit. Tradunt enim Hebraei eos qui circumcidi vellent, si ab idololatria venirent insuper ablutos; sed et feminas extraneas Iudaeis nubentes aiunt ablutas: idque ipsum factum olim Sarae ac Rebeccae. Et huius baptismi Iudaici meminit Scholiastes ad Iuvenalem et Arrianus Epicteto. Et qui ex Gentibus circumcisis, ut Ismaelitis, Persis, Turcis, ad Iudaismum veniunt baptizari debent. Credibile est ablutionem hanc fuisse inter vetera instituta, orta, ut arbitror, post magnum diluvium in memoriam purgati mundi; unde illud celebre apud Graecos

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

[*Mortalium omnes abluit culpas mare.*]

Certe baptisma *ἀντίτυπον* [*respondens*] esse diluvio etiam in Petri epistola legimus. Et a Gentibus ablutiones praemissas mysteriis ostendemus ad finem Matthaei. Cum vero τὸ βάπτισμα [*baptismus*] multa designet quae passim apud Apostolos videre est, prima tamen eius instituti ratio proprie spectasse videtur ut obsignaret propositum ac pollicitationem vitae emendatioris, quomodo lavacrum hoc describit Petrus, 1 epist. 3: 21, cui consequens deinde fuerit peccatorum remissio. Passim enim Iohannis βάπτισμα vo-

vocatur βάπτισμα μετανοίας [*baptisma poenitentiae*], addito interdum εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν [*ad remissionem peccatorum*]. Videtur igitur Iohannes hac sacra ceremonia indicare voluisse, Iudaeos, quantumvis Dei veteres federatos, in tantum iam a vera pietate descivisse ut idolorum cultoribus accensendi essent, planeque eorum exemplo totum vitae genus mutare deberent, si vellent esse salvi. Nam is mos Essenorum fuerat, qui purius caeteris vitae genus instituerant et unde plurimi ad Christianismum transiere, omnes ad coetum suum venientes, etiam Iudaeos, baptizare; cum Pharisaei et alii Iudaei non baptizarent nisi a paganismo venientes. Iosephus, ut hanc Iohannis lotionem discerneret a lustrationibus profanarum gentium (quae aqua marina aut etiam vivo flumine culpas ipsas elui animosque purgari delictorum conscientia existimabant, de quibus Poëta:

O nimium faciles, qui tristia crimina caedis
Tolli fluminea posse putatis aqua.

et Tertullianus ad Uxorem II: *Penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat*), ait illo auctore mentibus primum iustae vitae proposito purgatis, usurpatam deinde aquam quae corpora ablueret. Verba sunt: Οὕτω γὰρ καὶ τὴν βάπτισιν ἀποδεκτὴν αὐτῷ (τῷ Θεῷ) φανεῖσθαι (docebat nimirum Iohannes) μὴ ἐπί τινων ἁμαρτάδων (quibus scilicet indulgere adhuc vellent) παραιτήσει χρωμένων, ἀλλ' ἐφ' ἁγνείᾳ τοῦ σώματος, ἅτε δὴ καὶ τῆς ψυχῆς προκεκαθαρμένης [*Ita enim acceptam Deo fore ablutionem, si ea uterentur non ad excusandam vitam malam, sed ad corporis puritatem postquam iam bene purgatus esset animus*]. Simile est quod dicit Tertullianus libro de Poenitentia: *Non ideo abluimur ut delinquere desinamus, sed quia desiimus: quoniam iam corde loti sumus. Haec enim prima audientis intinctio est, metus integer* (legendum forte *mens integra* aut *motus integer*). Sic et Iustinus adversus Tryphonem: τὸ μόνον βάπτισμα καθαρίσαι δυνάμενον [*solum baptisma quod purgare possit*] ait esse μετάνοιαν καὶ γνῶσιν τοῦ Θεοῦ [*poenitentiam et Dei notitiam*], addens et hanc sententiam, Iosephi dicto non dissimilem: Τί γὰρ ὄφελος ἐκείνου τοῦ βαπτίσματος ὃ τὴν σάρκα καὶ μόνον τὸ σῶμα φαιδρύνει; βα-

βαπτίσθητε τὴν σάρκα ἀπὸ ὀργῆς καὶ ἀπὸ πλεονεξίας, ἀπὸ φθόνου, ἀπὸ μίσους, καὶ ἰδοὺ τὸ σῶμα καθαρόν ἐςι [*Cui enim bono illud baptisma quod carnem aut corpus solum mundat? Abluite carnem ab ira, ab avaritia, ab invidia, ab odio, et satis mundum erit corpus*]. Clemens Alexandrinus eundem in sensum adfert dictum vetus: *Ἴσθι μὴ λουτρῷ ἀλλὰ νόῳ καθαρός* [*Esto purus non lavacro, sed mente*]; deinde addit: *Ἱκανὴ δὲ, οἶμαι, ἀνθρώπῳ κάθαρσις, μετάνοια ἀκριθὴς καὶ βεβαία, εἴγε κατεγνωκότες ἑαυτῶν ἐπὶ ταῖς προγενομέναις πράξεσι προΐεμεν εἰς τὸ πρόσθεν, μετὰ ταῦτα νοήσαντες, καὶ τὸν νοῦν ἐξαναδύντες τῶν τε κατ' αἴσθησιν τερπόντων καὶ τῶν πρόσθεν πλημμελημάτων* [*Sufficit, ni fallor, homini purificatio haec, sincera et constans poenitentia, id est, si nosmet damnantes de ante actis procedamus in ante nos posita, postpositis illis peioribus, ac mente exuta ab iis quae sensus titillant et ab ante delictis*]. Mersatione autem non perfusione agi solitum hunc ritum indicat et vocis proprietas, et loca ad eum ritum delecta, Ioh. 3: 23, Act. 8: 38; et allusiones multae Apostolorum quae ad adspersionem referri non possunt, Rom. 6: 3, 4, Col. 2: 12. Serius aliquanto invaluisse videtur mos perfundendi sive adspergendi in eorum gratiam, qui in gravi morbo cubantes nomen dare Christo expetebant, quos caeteri *κλινικοὺς* [*cubitorios*] vocabant. Vide epistolam Cypriani ad Magnum. Quod autem *tingere* pro *baptizare* usurpant Latini veteres mirum videri non debet, cum Latine *tingendi* vox et proprie et plerumque idem valeat quod *mersare*.

Ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας, *confitentes peccata sua*] Verum est hoc loquendi genere saepe nihil aliud indicari quam actum sive internum sive externum sontem se profitentis, 1 Ioh. 1: 9. Attamen accessisse etiam specialem detestationem eorum peccatorum quae praecipue Deum irritant, ex loco Act. 19: 18 intelligi datur, ubi voci *ἐξομολογούμενοι* additur *καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν* [*et annuntiantes peccata sua*]. Hoc autem et eos qui Iohannem adibant fecisse credibile est, tum ut precibus ipsius apud Deum iuvarentur, Iac. 5: 16, tum ut instruerentur consilio ad speciales circumstantias accommodato, Luc. 3: 12, 14. *Ἐξαγορεύειν* [*edicere*], quod sunt qui pu-

putant multum differre ab ἐξομολογεῖσθαι, pro eodem usurpant LXX interpretes Lev. 5: 5, Num. 5: 7. Neque eos terruit quod ea vox in sacris Gentium usurparetur, cum alioqui et *altaris* et *templi*, multisque aliis vocibus abstinendum fuerit. Quod autem disputant viri eruditi, an dictis legibus Levitici et Numerorum exigatur tantum confessio apud Deum et eum cuius interest, an vero etiam apud Sacerdotem, ea de re probabilis maxime videtur eorum sententia qui existimant etiam apud Sacerdotem factam aliquam particularem culpae confessionem, in iis quae cognita capitis poenam non adferebant; in caeteris suffecisse generalem: eundemque morem etiam solito religiosius ac liberius observatum credibile est a Iudaeis qui ad Baptistam, optimae fidei hominem nec Sacerdotem tantum sed et Prophetam, accedebant.

7. *Γεννήματα ἐχιδνῶν, progenies viperarum*]

Δεινῆς ἐχίδνης θρέμμα

[*Malae propago viperae*]

dixit Sophocles. Et in Proverbio est: *Κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν* [*mali corvi malum et ovum*]. Viperae venenum in lingua, pellis speciosa. Alluditur simul ad locum Geneseos, ubi diabolus serpens.

8. *Καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας, fructum dignum poenitentiae*] Idem est quod Act. 26: 20, *ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα* [*digna poenitentiae opera*]. Et passim opera *fructuum* nomine appellantur. Lucas plurali numero dixit *καρποὺς ἀξίους* [*dignos fructus*], quod et hoc loco in codices quosdam pervasit, sequente Syro. Sed illam lectionem Latinus et plurimi codices praeferunt.

9. *Μὴ δόξητε λέγειν, ne velitis dicere*] *Ne lubeat vobis dicere*, ut Demosthenes, *οὐκ ἐδόκουν μ' ὁρᾶν ἔτι, non lubebat ipsis amplius me videre*. Neque longe discedit illud, *οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν*, Marc. 10: 42, *qui in eo sibi placent quod gentibus imperant*. Simile 1 Cor. 11: 16.

Ἐκ τῶν λίθων τούτων, de lapidibus istis] Figuratum loquendi genus; quanquam Divinae potentiae mensuram non excedens. Simile est Luc. 19: 40, *οἱ λίθοι κεκράξονται* [*lapides clamabunt*]. Nec absurdum utroque loco Gentes extraneas obscure indicatas intelligere. Nam ab his

his non magis quam a lapidibus fidem ac pietatem Iudaei exspectabant. Et solent Sacrae literae lapidibus comparare eos qui lapides colunt. Sed et alia videtur allusio subesse, quasi dicat Iohannes: Ne incredibile vobis videatur, si ex lapidibus faciat Deus liberos Abrahami, cum ipse Isaac ex Abrahamo iam effoeto natus sit: nam corpus effoetum Abrahami lapidi comparatur Es. 51: 1.

'Εγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ, suscitare filios Abrahae] קום זרע לאחיכם ut Gen. 38: 8, quod alias vertit hic interpres *ἀναστῆσαί τινι σπέρμα* [*suscitare semen alicui*] 22: 24. Nam ut nati ex fratre superstite filii erant fratri defuncto non natura sed lege, ita credentes omnes Abrahamo inseruntur, fiuntque non quidem *τέκνα τῆς σαρκὸς* [*filii secundum carnem*], sed *τέκνα τῆς ἐπαγγελίας* [*filii promissionis*], Rom. 9: 8. Passim Baptista, Christus, Apostoli dant operam ut Iudaeis adimant superbiam et spem impunitátis de parentum sanctitate conceptam, quod illis maximum fuit bonae mentis impedimentum. Vide Epistolam ad Romanos, et Iustinum in Colloquio cum Tryphone.

10. *Ἤδη δὲ καὶ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται, iam enim securis ad radicem arboris posita est*] Iam Deus vobis ni resipiscatis non levia mala minatur, sed Federis sui derelictionem, quod est velut arborem radicitus exscindere.

Πᾶν οὖν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν ἐκκόπτεται, omnis ergo arbor quae non facit fructum bonum excidetur] Explicatio *συμβολικὴ* [*sacramentalis*] legis eius quae exstat Deut. 20: 20, quam simili modo Philo interpretatur non uno loco. Vide et Dan. 4: 11.

11. *Εἰς μετάνοιαν, in poenitentiam*] Potest non incommode exponi hoc modo: *Baptizo vos super professione poenitentiae, quam facitis.*

Ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, qui autem post me venturus est] *Is qui paulo post me munus suum auspicabitur.* Id enim voce *ἔρχεσθαι* significant sancti Scriptores.

'Ικανὸς, dignus] Idem valet quod *ἄξιος* Ioh. 1: 27, Act. 13: 25, ubi *λῦσαι τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος* sive *τὸ ὑπόδημα* [*solvere corrigiam calceamenti* aut *calceamenta*] idem plane ministerium denotat quod hic *βαστάσαι τὸ ὑπόδημα*

δῆμα [*portare calceamenta*], vilissimis scilicet servis mandari solitum. Quo spectant illa in comoediis, *date iam soleas*; et apud Aeschylum Agamemnone:

——— ὑπαί τις ἀρβύλας
Λύοι τάχος, πρόδουλον ἔμβασιν ποδός.
[——— *calceum celerrime*
Dissolvat aliquis, quod ministerium est pedis.]

Apud Terentium Heautontimorumeno: *Accurrunt servi, soccos detrahunt.* Apud Tibullum:

Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

Ideo et David ait *Idumaeo se obiecturum soleas*, Ps. 108: 10, nimirum ut exutas auferat: hoc enim est βαςάζειν [*portare*]. Sic et in expositione praecepti vetantis CLXXVI Hebraei *vile ministerium* hoc explicant exemplo, *puta ut solvat corrigiam calceamentorum, aut ut extrahat ea.*

Ἐν Πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί. *In Spiritu sancto et igni*] Agi hic de Spiritu illo quem in se credentibus daturus erat Christus, ita tamen ut non interna tantum eius Spiritus dona, sed et externa testimonia intelligi debeant, facile visurum puto qui recte attenderit ad loca Act. 1: 5 et 19: 2. Priore loco Christus ipse opponit Iohannis baptisma, quod per aquam fiebat, baptismo per Spiritum, quem a se brevi accepturi erant Apostoli. Altero loco ostenditur, eos qui a Iohanne aut discipulis Iohannis baptizati erant cum baptismo nulla accepisse dona qualia accipiebant hi qui ab Apostolis baptizati nomen Christo dederant. His adde locum eum qui est Ioh. 7: 38, 39, ubi verba Christi de *fluminibus aquae vivae* Apostolus Iohannes interpretatur de *Spiritu quem accepturi essent credentes in Christum. Nam ad id tempus non fuisse Spiritum sanctum.* Quod hic et apud Lucam dicitur *baptizare Spiritu sancto et igne*, id Marcus 1: 8 et Iohannes 1: 33 dixerunt simpliciter *baptizare Spiritu*; ut appareat illud πυρὶ adiectum ἐξηγητικῶς [*explicandi causa*]: nimirum, quia ut aëris ita ignis subtilissima atque efficacissima natura, vim illam Divinam quam in se credentibus Christus erat collaturus (τὸ σφοδρὸν τῆς χάριτος [*vehementiam gratiae*], ut hic loquitur Chrysostomus) optime exprimit; unde et linguae super Apostolos missae cum venti sono ignis speciem praetulerunt, Act. 2: 2, 3.

Vide vaticinium Es. 4: 4, 5. Vox autem *baptizandi* de donis illis per translationem usurpata eorundem ubertatem significat: ut et Ioëlis illud: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, Act. 2: 17. Quod autem Aethiopes iuxta baptismum ustionem quoque usurpant, factum arbitror more veterum Christianorum, qui traditis a Christo ceremoniis signa addebant quae verba Scripturae eandem rem aliter atque aliter adumbrantia simul in memoriam revocarent. Talis fuit lactis et mellis praegustatio, signatio crucis, daemonum adiuratio, salis admotio, unctio, aliaque eiusmodi. Morem autem hunc vetustissimum esse, neque proprium gentis Aethiopicae docet nos Heracleon citatus a Clemente Alexandrino in libro de Prophetia: Ἔνιοι, inquit, *πυρὶ τὰ ὦτα τῶν σφραγιζομένων κατεσημήναντο* [*quidam obsignatorum aures igni notabant*]. An Seleuciani et Hermiani, quos igne baptizasse legimus, hunc morem observarint incertum habeo, ut et de Valentino, de quo Tertullianus:

Bis docuit tingi, traducto corpore flamma.

Horum mos, ut videtur, librariis audacioribus causam dedit delendi hoc loco voculam *πυρί*, quod in quibusdam codicibus videre est. Caeterum sensus magis reconditus hic videtur esse, non satis esse, Christo iudice, si malis factis abstineamus, quod lotio indicabat; sed requiri vim ad bona agentem magno quodam impetu, quae donis illis conspicuis adumbrata est.

12. *Οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, cuius ventilabrum in manu sua*] Hebraismus pro *ἐν οὗ χειρὶ τὸ πτύον* [*in cuius manu ventilabrum*]. Sicut autem posteriora huius commatis verba de colligendis frugibus et comburendis paleis ad ultimi indicii diem pertinent, ut apparet ex collatione verborum Christi infra 13: 30 et 49, cuius iudicii adumbratio quaedam est Ps. 1: 4 et Dan. 2: 35, ita priora ad ipsam verbi annunciati naturam non incommode possunt referri, cuius tanta est puritas, ut magna ex parte etiam in hoc aevo, praesertim quoties crux accedit, probos ab improbis segreget. Sed et in singulis hominibus similis quaedam purgatio instituenda, quam similitudine plane eadem, qua hic Baptista utitur, Philo depingit libro de Caino: *Καθάπερ οὖν ἐν τῇ ἅλῳ τινὶ*

πυ-

πυροὶ καὶ κριθαὶ καὶ ὅσα τοιαῦτα καθ' ἑαυτὰ χωρίζεται, ἀθέρες καὶ ἄχυρα καὶ εἴτις ἄλλος φορυτὸς ἑτέρωσε σκίδναται, οὕτω καὶ παρ' ἡμῖν, τὰ μὲν ἐςι ἄριςα καὶ ὠφέλιμα καὶ τὰς ἀληθεῖς τροφὰς παρέχοντα, δι' ὧν ὁ ὀρθὸς ἀποτελεῖται βίος, ἅπερ ἀναθετέον Θεῷ· τὰ δ' ἄλλα ὅσα μὴ θεῖα ὑπολειπτέον ὥσπερ σκύβαλα γένει τῷ θνητῷ [*Quomodo igitur in area sunt frumentum et hordeum, ac talia quae sunt seorsim ponuntur, aristae vero et paleae et sordes caeterae sparguntur alio: sic et in nobis optima et utilissima et vere alentia sunt per quae recta vita consummatur, eaque Deo dicanda: caetera vero quae divina non sunt, tanquam retrimenta, assignanda mortali generi*]. Servius ad illud I Georg. — *mystica vannus Iacchi. Ideo quod Liberi patris sacra ad purgationem animi pertinebant: et sic homines eius mysteriis purgabantur sicut vannis frumenta purgantur.*

Ἅλωνα, aream] Haec vox simili flexione est apud Dionysium Halicarnassensem.

Καὶ συνάξει τὸν σῖτον αὐτοῦ, et congregabit triticum suum] קִבְּצָם כֶּעָמִיר συνήγαγεν αὐτοὺς ὡς δράγματα ἅλωνος [*congregavit eos ut manipulos areae*], Mich. 4: 12.

14. *Ἐγὼ χρείαν ἔχω ὑπὸ σοῦ βαπτισθῆναι, ego a te debeo baptizari*] Si alter nostrûm omnino baptizandus sit, ego potius abs te, ut dignissimo, baptismum petere debui.

15. *Ἄφες ἄρτι, sine modo*] Ἀφιέναι hic est *sinere*, ut infra 7: 4, 8: 22. *Sinito* autem tantundem est ac si diceret, *fiat nunc quod volo.*

Δικαιοσύνην, iustitiam] Vox haec hoc quidem loco latissime sumitur, ita ut significet non modo τὸ νόμιμον, sed et quicquid ullam aequi atque honesti habet rationem. Nam Lex Mosis de hoc baptismo nihil praescripserat, et coeleste mandatum, quod Baptista acceperat, ad peccatores resipiscentes proprie pertinebat. Attamen cum Christus perfectissimae innocentiae exemplar fuerit, ne in ipso quidem inanis erat ceremonia quae innocentiae propositum obsignabat. Neque efficacius ostendi potuit quantus honos institutis a Deo ritibus deberetur, quam si Christus ipse usum eorum nobis exemplo suo commendaret. Praeterea ipse per hanc ceremoniam, quae nos populo Dei inserit, eidem populo velut concorporatus est, cer-

tosque suo exemplo fecit omnes, qui, ut oportet, baptizantur, apertae ipsis regiae coelestis, consequendi spiritus et iuris filiorum Dei. Ita δίκαιον [*iustum*] sumitur et Phil. 1: 7, et aliis aliquot in locis. In Clementis quae dicuntur Constitutionibus legimus libro VII cap. 23: Ἐβαπτίσθη δὲ καὶ ἐνήστευσεν (Iesus) οὐκ αὐτὸς ἀπορυπώσεως ἢ νηστείας χρείαν ἔχων ἢ καθάρσεως, ὁ τῇ φύσει καθαρὸς καὶ ἅγιος, ἀλλ' ἵνα καὶ Ἰωάννῃ ἀλήθειαν προσμαρτυρήσῃ καὶ ἡμῖν ὑπογραμμὸν παράσχηται [*Et baptizatus est et ieiunavit, non ipse indigens mundationis aut ieiunii aut expiationis, quippe per se purus ac sanctus, sed ut et Iohanni redderet veracitatis testimonium et nobis daret exemplum*].

16. Ἀνέβη εὐθὺς, *confestim adscendit*] Id est, *vix adscenderat.* Non enim vult subito adscendisse Christum ex amne, sed ut adscenderat subito factum quod sequitur. In hunc ferme modum εὐθέως [*protinus*] utitur Marc. 1: 29 et 11: 2. Non dissimile loquendi genus est apud Aeschylum Prometheo: ἐπεὶ τάχιστ' ἤρξαντο pro τάχιστ' ἐπεὶ ἤρξαντο [*repente simulac coeperant*]. Et apud Aristotelem III Polit. 13: ἐπεὶ θᾶττον ἐγκρατῶς ἔχον τὴν ἀρχὴν [*postquam subito imperium firme tenuere*] pro θᾶττον ἐπεί.

Ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ, *aperti sunt ei coeli*] Id velut solenne signum praevium ταῖς ὀπτασίαις [*visis*]. Ezech. 1: 1, Ioh. 1: 52, Act. 7: 56. Puto autem cum Origene, Hieronymo et aliis intelligendum hoc κατὰ φάσιν [*secundum id quod videtur*] potius quam reipsa. Hebraeorum quidam nihil aliud esse volunt quam figuratum loquendi genus, quo significetur factum aliquid aut ostensum coelesti virtute. Sed et Pagani coelestibus ostentis tale aliquid praemitti crediderunt. Livius libro XXXII: *Faleriis coelum findi visum, velut magno hiatu; quaque patuerit, ingens lumen effulsisse.* Servius ad illud IX Aeneidos, *discedere coelum. In Auguralibus libris inter ostenta etiam coelum discessisse dicitur.*

Καὶ εἶδε, *et vidit*] Ego nullam caussam video cur non hunc locum interpretemur ex eo qui est Ioh. 1: 32, cum appareat rem eandem narrari, neque insolens sit tum profanis tum sacris Scriptoribus ut verbum aptetur personae etiam quae non proxime notata est.

Τὸ

Τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, Spiritum Dei descendentem sicut columbam] Recte annotatum est iam pridem, ambiguum videri posse loquendi genus. Potest enim intelligi aut species columbae visa, aut quod visum est ita descendisse quomodo columbae solent. Caeterum cum Lucas dicat diserte descendisse Spiritum σωματικῷ εἴδει [*corporali specie*] 3: 22, et Iustinus aperte exprimat columbae speciem, cum dicit ἐπελθόντος ἐν εἴδει περιστερᾶς Πνεύματος [*superveniente Spiritu in forma columbae*], nec quisquam Veterum, quod sciam, aliter sentiat; plane credo columbae speciem apparuisse, igneam forte, quomodo linguae igneae visae sunt supra Apostolos. Φάσμα ὄρνιθος [*speciem avis*] dixit Origenes: quanquam veram fuisse columbam affirmat Tertullianus libro de Carne Christi. Ignem autem eodem hoc tempore in Iordane apparuisse diserte prodit Iustinus Colloquio cum Tryphone, ex tradita haud dubie fama. Nam et in Ebionaeorum Euangelio, quod idem erat cum Nazaraeorum, praeter si qua Ebion ὑποθέσεως χάριν [*positionis suae causa*] interpolavit, ita legebatur, καὶ εὐθὺς περιέλαμψε τὸν τόπον φῶς μέγα [*et statim lux ingens circa locum fulsit*]. Et idem reperitur in Liturgia Syrorum in huius historiae narratione circa Baptismum. Columbae autem speciem huc pertinuisse puto, quod is, qui in Christo erat spiritus, speciali mansuetudinis nota iam olim descriptus esset ab Es. 42: 1, 2, 3, ut infra explicatur cap. 12, quo respicere etiam videntur Christi verba quae sunt Luc. 9: 55. Notum est autem proverbium Πραότερος περιστερᾶς [*Columba mitior*], sicut et τὸ ἀκέραιον [*sinceritatem*] columbae similitudine exprimit Christus infra 10: 16. Eo autem credibilius est vaticinium illud Esaiae a Deo hic peculiariter spectatum, quod et vox prolata, quae sequitur, eadem prope verba, quae in eadem Esaiae pericopa exstant expresserit. Philo ex Hebraeorum disciplina per columbam significari ait sapientiam, non illam φιλέρημον [*solitudinis amantem*] (qualis erat Baptistae) sed eam quae sit ἥμερος καὶ τιθασσὸς καὶ ἀγέλαιος [*mansues, cicur et gregalis*]. Negare tamen nolim tacite respici veterem figuram columbae quae post diluvium signa renovati orbis ad Noam pertulit. Volatu autem si-

significari influxum Divinum notatum et Iosepho Iacchai ad Dan. 9.

17. *Ἀγαπητὸς, dilectus*] Quod apud Esaiam est בחירי, *ἐκλεκτός μου* [*electus meus*], nam *ἐκλεκτὸς* et *ἀγαπητὸς* pro eodem poni solent. Vide Ps. 2.

Ἐν ᾧ εὐδόκησα, in quo mihi complacui] Vox haec, ut Latina *placet*, modo ad voluntatis decretum, modo ad propensum affectum refertur. Hoc interest, quod Latina vox de obiecto, Graeca de subiecto dicitur. Ad affectum significandum Graeci scriptores dicunt *εὐδοκεῖν τινι* [*bene velle alicui*]. At *εὐδοκεῖν ἔν τινι* [*in aliquo complacere*], ut hic et infra 17: 5, Marc. 1: 11, Luc. 3: 22, 1 Cor. 10: 5, Hebr. 10: 38, aut *εἰς τινα*, ut infra 12: 18, 2 Petr. 1: 17, manifestus est Hebraismus חפץ ב, ut Gen. 34: 14, aut רצה ב ut 1 Paral. 28: 4. Quod Hieronymus dicit loquendi hoc genus a LXX interpretibus esse confictum, intelligendum est de ista construendi forma, et de nomine inde derivato *εὐδοκία* [*beneplacitum*], quod nisi apud Iudaeos Hellenistas non est invenire. Saepe autem et רצה hoc modo vertunt LXX, ut Ps. 40: 14, (in Hebraeo: ita enim Psalmos citare soleo) 44: 4, 147: 10, 149: 4, ubi רוצה בעמו vertitur *εὐδοκεῖ ἐν τῷ λαῷ* [*beneplacitum est Domino in populo suo*]. Est autem plane sensus idem in his verbis *ἐν ᾧ εὐδόκησα* qui in illis Esaiae רצתה נפשי, ubi et Graeci quidam interpretes habent *εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου* [*complacuit sibi in illo anima mea*]. Invenies eodem sensu et *εὐδοκεῖν* cum dativo, omissa *ἐν* particula. Sic *εὐδοκεῖν τῇ λατρείᾳ* [*consentire cultui*] dixit Scriptor 1 Macc. 1: 43. Irenaei interpres hoc *ἐν ᾧ εὐδόκησα* vertit, *in quo bene sensi*, libro III cap. 11.

CAPUT IV.

1. *Ἀνήχθη, ductus est*] Omnino verum puto tam hic quam aliis sacrorum Scriptorum locis huic voci inesse vim τοῦ ἄνω [*sursum*], ut scilicet a Iordane sursum ductus esse Christus intelligatur. *Sursum* autem dicitur quod propius abest ab Hierosolymis. Erat quidem et Iohannes in hoc deserto; sed Christus in horridiorem solitudinem actus est, in qua ferae degebant, ut apud Marcum videre est.

Εἰς

Εἰς τὴν ἔρημον, in desertum] Ad complementum veteris figurae. Nam et populus Israelis per solitudinem ductus.

Ὑπὸ τοῦ Πνεύματος, a Spiritu] Non errare Syrum interpretem et alios, qui articulo isto indicari putant relationem ad id quod proxime antecessit, Lucas nos docet, qui quia generis recensionem interposuerat, historiam hanc cum historia baptismi et Spiritus sancti continuat hoc modo: *Ἰησοῦς δὲ Πνεύματος ἁγίου πλήρης ὑπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου, καὶ ἤγετο ἐν τῷ Πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον* [*Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane et agebatur a Spiritu in desertum*] Quo in loco breviter dictum est *ἐν πνεύματι*, pro quo plenior Hebraismus diceret *ἐν χειρὶ τοῦ Πνεύματος* [*in manu Spiritus*]; id enim idem valet quod *διὰ τοῦ Πνεύματος* [*per Spiritum*], ut infra 5: 13, *ἐν τίνι;* [*in qua?*] est *διὰ τίνος;* [*per quod?*]. Lucas eundem sensum extulit 4: 14, his verbis, *ἐν τῇ δυνάμει Πνεύματος* [*in virtute Spiritus*]; quae omnia eo libentius noto, ne quis cum veteribus quibusdam novisque existimet, quae hic narrantur Christo non vere sed *κατὰ φαντασίαν* [*imaginarie*] evenisse. Discimus autem in hoc Christi exemplo, statim post baptismum, id est vitae sincerae professionem, imminere tentamenta. Sapiens Hebraeus Eccl. 2: 1. *Τέκνον, εἰ προσέρχῃ δουλεύειν τῷ Κυρίῳ, ἑτοίμασον τὴν ψυχήν σου εἰς πειρασμόν* [*Fili, accedens ad servitutem Dei, praepara animam tuam ad tentationem*].

Διαβόλου, Diabolo] Vox ab Hellenistis reperta, qua vim vocis Hebraeae *Satan* exprimerent. Generalis enim *adversarii* significatio nulli magis quam *calumnioso accusatori* convenit. Quod autem ab Hilario, Phoebadio aliisque Latinae Ecclesiae Doctoribus *Zabulus* scribitur, non ex Graeca vetere dialecto petendum est, sed ex posteriorum temporum corrupta pronuntiatione; duabus enim syllabis in unam coalescentibus factum est ex *dia* idem sonus qui per *za* exprimi solebat. Ita in Scriptoribus historiae Augustae *zeta* pro *dieta* legimus.

2. *Νηστεύσας, cum ieiunasset*] Preces accendit ieiunium. Ideo Christus, cuius omnis actio nostrae serviebat institutioni, functionem mandati sibi muneris ieiunio ini-

tiabat. Imitati hoc sunt Christiani veteres, ut apparet Act. 13: 3, 14: 23.

Ἡμέρας τεσσαράκοντα, quadraginta diebus] Solenne ieiunii tempus, ut ex Mosis et Eliae historia apparet: quo multi pertinere putant dies quadraginta Ninevitis ad poenitentiam datos: unde mos ad Christianos videtur derivatus. Certe in Aethiopica aliisque Ecclesiis etiam nunc ieiunium, quod rigidissime exercent, *Niniviticum* appellatur. Sed et quadraginta dies, quibus aquae creverant in cataclysmum, et dies totidem quibus peccata populi portare iussus est Ezechiel, sunt qui non improbabiliter huc referunt.

3. *Ὁ πειράζων, tentator*] Hebraei, cum verbalibus destituantur, vice eorum participia usurpant: quod saepe sequuntur Hellenistae. Itaque ὁ πειράζων est ὁ πειραστής [*tentator*]. Usitatam fuisse hanc vocem ad Satanam significandum ostendit Pauli locus 1 Thess. 3: 5. Est autem πειράζειν, ut *explorare* Latine, vox media; sed pro circumstantiis modo in bonam, modo in malam partem sumitur; in malam quoque non uno modo: nam est illicere ad peccandum, ut hic, aut calumniam struere, aut etiam irritando patientiae periculum facere. נחש inter alia *tentare* significat: et sic vertit Chaldaeus Gen. 30: 27. Hinc נחש serpens qui diabolo figuram et nomen praebuit Gen. 3: 1, Apoc. 12: 9, 20: 2.

Εἰπέ, dic] Potest intelligi εἰπὲ τῷ Θεῷ, ut sensus hic sit: Si te Deo carum esse confidis, compella Deum, ut hi lapides panis fiant tui causa. Sane Diabolum maius aliquid homine in Christo agnovisse hoc quidem tempore constanter, nec sine magnis argumentis, negant scriptores antiqui. Neque dixit ὁ υἱὸς [*ille filius*], ut saepe Apostoli, sed υἱὸς [*filius*]. Tentatio omnis Diaboli ad peccatum tendit. Peccant autem qui non generaliter Dei auxilium implorant, sed et modum ei praescribunt.

4. *Ἐπὶ παντὶ ῥήματι, in omni verbo*] Id est, in omni mandato Divino, sive generali sive speciali, inest aut expressa aut tacita promissio rerum necessariarum. Ex horum mandatorum numero Lex non eximenda, quae inter alias hanc quoque promissionem habet obedientibus propositam: *Benedictus corbis tuus et mactra tua*, Deut.

28:

28: 5. Imo ipsa Dei verba Deut. 8: 3, unde haec Christus depromsit, eo tendunt ut ad Legis obedientiam animarentur Hebraei, cum certa spe Deum quae necessaria essent ipsis suppeditaturum, sive naturae ministerio, sive insolitis atque admirandis rationibus; sicut iam fecerat, cum ad ipsius imperium populus ex Aegypto in vastam solitudinem exiisset. Recte autem Christus id quod occasione legis communis dictum erat universaliter, etiam ad legem sibi pro eo tempore peculiariter impositam aptat.

5. *Παραλαμβάνει, assumsit*] Ut Philippum Dei Spiritus Act. 8: 39.

Εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, in sanctam civitatem] Ita Matthaeus Hebraeis scribens urbem Hierosolyma appellavit et infra 27: 53, sicut et Ioannes in Apocalypsi; nimirum ex receptissima consuetudine, vide Dan. 9: 16. Siclorum inscriptio erat *Ierusalem Sancta*. Et Christus ipse eam vocat *urbem magni Regis*, Dei nimirum. Sirachides pro eadem urbe Deum orans: *Οἴκτειρον πόλιν ἁγιάσματός σου Ἱερουσαλὴμ, τόπον καταπαύσεώς σου* [*Miserere civitatis sanctificationis tuae Ierusalem, civitatis requietis tuae*]; עיר הקדש [*civitas sancta*] Es. 48: 2, Neh. 11: 1.

Ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, super pinnaculum Templi] Non in columen tecti, quod neque planum erat, ut Thalmudistae notant, et horrebat aureis verubus, ut ex Iosepho discimus, sed in quod Hieronymus dixit *loriculam*, LXX *στεφάνην* Deut. 22: 8, quod enim Lex in planis tectis requirit, id in Templi tecto ornatûs causâ erat additum. Est autem *πτερύγιον* vox Hellenistica adumbrata ex Hebraeo כנף quod *oram* aut *marginem* significat. Graeci idem simili voce *περίπτερον* vocant, interdum et *περίδρομον*, Latini *circuitionem*.

6. *Μήποτε, ne forte*] Hebraeum פן significat *ne*, sed ita ut plerumque ostendat id quod sequitur esse non *τῶν ἀναγκαίων* [*ex necessariis*] sed *τῶν ἐνδεχομένων* [*ex iis quae fieri et non fieri poterant*], ut et infra 27: 64 et alibi. Ab eadem radice est אפונה *dubitabo* Ps. 88: 16. Idem valet apud Graecos *μήποτε*, quod ad פן exprimendum usurpant saepe LXX interpretes. Nam *ποτὲ ἄτονον* [*tono carens*], ut Grammatici Graeci annotant, plerumque

que non temporis sed incertitudinis habet significationem; ut apparet in τίς ποτε [*quisnam*] aliisque id genus vocibus. Quo minus mirandum est, si vetus Latinus interpres et hîc et aliis aliquot in locis Hebraeum פן aut Graecum μήποτε per *ne forte* transtulit. Reperitur pari sensu et ἴσως [*forte*] in Graeca versione, pro Hebraeo אולי, ut Ieremiae 36: 3, ad quem locum Chrysostomus, in oratione Cur obscura sint vaticinia, usurpatam eam vocem ait, ἵνα μὴ ἡ πρόγνωσις αὐτοῦ νομισθείη ἀναγκαςική τις εἶναι τῆς παρακοῆς [*ne Dei praescientia videretur non obediendi necessitatem imponere*]. Paria de ea voce dicit Origenes in Fragmentis φιλοκαλίας. Significat Psalmographus Deum peculiari cura sibi dilectos prosequi, ita ut Angelorum ministerio ipsos a malis fortuitis servet. Palam est *fortuita* hoc loco dici ea quae contingere poterant aut insciis aut invitis. Cavillatur igitur suo more Spiritus mendax cum hoc transferre vult ad mala sponte quaesita.

Προσκόψῃς πρὸς λίθον, *offendas ad lapidem*] Παροιμιώδης [*proverbialis*] locutio non Hebraeis tantum, sed et Graecis usitata ad damni cuiuslibet significationem.

7. Ἐκπειράσεις, *tentabis*] Si locum Deuteronomii cum historiis antecedentibus et cum Ps. 95: 8 conferas, apparebit ἐκπειράζειν proprie hîc esse Dei potentiam aut providentiam velle amplius experiri cum satis magna iam eius documenta apparuerint. Sic Act. 15: 10.

8. Δείκνυσιν αὐτῷ, *ostendit ei*] Nimirum quasi in pictura ponens omnem qui usquam esset regiae fortunae apparatum. Nam neque oculos neque vim imaginatricem Christi illusam puto, sed potius a Daemone effictas quasdam imagines rerum, quae εἴδωλα Graeci vocant, et exponunt φαινόμενα ἐν τῷ ἀέρι, φαντάσματα ἄςατα ὄντα, καὶ ἀβέβαια [*apparentes in aëre species fluxas et non diuturnas*].

9. Πεσὼν προσκυνήσῃς, *cadens adoraveris*] De more hoc venerandi, prostrato in humum corpore, egimus supra, cum diceremus Regibus Orientis exhibitum id honoris. Sed et Deum eodem modo venerabantur Iudaei caeterique Orientis populi, quin et Graeci, quo illud spectat Herodoti cum negant Spartiatae σφὶ ἐν νόμῳ εἶναι ἄνθρωπον προσκυνέειν [*moris sibi esse hominem procumbendo ho-*

honorare]. Sed et Prophetis is honos habitus, 1 Reg. 18: 7, unde quaeri potest Regesne Prophetis, an Prophetae Regibus, an neutri neutris id honoris detulerint. Mihi distinguendum videtur, an Prophetae Reges accesserint, cum speciali ad ipsos mandato, an vero aliis de causis. Nam Nathan de publica re Davidem alloquens citra mandatum speciale, coram Davide procumbit, 1 Reg. 1: 23. Contra Nabuchodonosor Danielem ut a Deo missum ad se arcanorum interpretem procumbens veneratur, Dan. 2: 46; 47, et Saul eum quem putabat esse Samuelem. Cum ergo ipsum illud externum reverentiae signum Divini cultus proprium non fuerit, quoties extra Divinum cultum usurpatum est, rectene id an secus fieret, ex sensu tum exigentis tum praestantis erat aestimandum. Ideo laudatur apud Sozomenum vir Christianus, qui prius προσεκύνησε [*procumbendo honoravit*] Regem Persarum κατὰ τὸ νενομισμένον [*ex more*]; postea vero sollicitatus ad defectionem a Christo eodem modo iterum venerari Regem recusavit. Et apud Nazianzenum legimus non Imperatores tantum Romanos sed et eorum statuas etiam a Christianis adorari, προσκυνεῖσθαι, solitas; sed cum Iulianus suis imaginibus Deos Gentium appingi iussisset, ut faceret μικτὴν τὴν προσκύνησιν [*mixtam adorationem*], deceptos quidem simpliciores, sed prudentiores quasvis potius poenas subiisse quam ut venerantium speciem praeberent: Δίκην, inquit, ἔδοσαν τῆς συνέσεως, πρόσχημα μὲν ὡς εἰς τιμὴν βασιλέως παρανομήσαντες, τὸ δὲ ἀληθὲς, ὑπὲρ τοῦ ἀληθινοῦ βασιλέως καὶ τοῦ εὐσεβοῦς δόγματος κινδυνεύσαντες [*Poenas dederunt sapientiae, obtentu quidem quasi adversus Imperatoris maiestatem deliquissent, revera autem in periculum adducti veri Regis et pii dogmatis causa*].

10. Ὕπαγε, *vade*] Latine dixeris *facesse hinc*. Est enim aversantis dictio. Quod in quibusdam codicibus additur ὀπίσω μου [*mihi a tergo, in aversum*] aliunde assutum est, quod et Syrus et Graeci ad hunc locum scriptores ostendunt.

Προσκυνήσεις, adorabis] In Hebraeo est תירא, quod internam reverentiam significat: quomodo et προσκυνεῖν Graecum saepe usurpatur. Recte autem ab interna reverentia

ad

ad signum eius externum procedit argumentatio. Quamquam enim Diabolo, ut Dei perfugae, nullus honos debetur, imo omnis honos negandus est, satis tamen Christo visum est responsum dirigere ad id quod petebatur. Volebat autem Diabolus honorem sibi exhiberi tanquam plenam potestatem habenti in regna omnia, quod est unius Dei. Multum ab hac Christi pietate abfuit R. Iuda, qui in libro Chasidim ait: *Si quis diabolum videat, sibique ab ipso metuat, procidat coram eo.*

Αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, illi soli servies] In Hebraeo est תעבד, quae vox etiam de debita aut exhibita hominibus subiectione usurpatur. At hic quid significet ostendunt praecedentia ac subsequentia, praecipue vero addita iurisiurandi mentio. Graecam quoque vocem λατρεύειν neque sui origine neque usu eorum, quos optimos Graeci sermonis auctores habemus, propriam esse Divino cultui recte ab aliis est demonstratum. Quin et LXX, quanquam rarius, aliquot tamen locis λατρεύειν laxius usurpant. Sed plerumque λατρεία ipsis est עבודה, cultus qui conspicuis signis Deo exhibetur. Fatendumque est, Scriptores Novi Federis eam vocem vix usquam usurpare nisi de cultu qui Deo vero exhibetur, ut plerumque, aut sane de cultu qui exhibetur tanquam Deo, ut Act. 7: 42, Rom. 1: 25. Nam quod Levitae dicuntur τῇ σκηνῇ λατρεύειν [*tabernaculo deservire*] Hebr. 13: 10, item ὑποδείγματι τῶν ἐπουρανίων [*exemplari coelestium*], Hebr. 8: 5, ad locum modumque serviendi commode referri potest. Hinc igitur nata est illa, Augustino etiam celebrata, λατρείας et δουλείας distinctio: non quod δουλεία non ad Deum quoque pertineret (contrarium enim multa Scripturae loca evincunt), nec quod proprietas vocis λατρείας aliquid haberet peculiare, sed quod usus primum Iudaeorum Hellenistarum, deinde Christianorum, voci δουλείας relicto significatu generali atque communi, λατρείας nomen Divino cultui assignasset. Graeci veteres pagani θρησκείαν dicebant, quod ipsum quanquam, ut creditur, ab Orphicis mysteriis ductum, Apostoli non reformidarunt, adeo verborum incuriosi, dum mentem commode explicarent. Proximam huic venerationem iidem Graeci θεραπείαν vocabant. Scriptor libri de Mundo, θεῶν θυσι-

σίαι καὶ ἡρώων θεραπεῖαι [*Deorum cultus et Heroum veneratio*]. Quod discrimen secutus Origenes adversus Celsum lib. VIII, de Daemonibus agens: *Πρὸς τοὺς μηδὲν εὐεργετοῦντας ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου ἱσαμένους μηδὲν ἀχάριτον ἡμᾶς ποιεῖν ὅταν αὐτοῖς μὴ θύωμεν, ἀλλὰ μηδὲ θεραπεύωμεν* [*In eos, qui non modo nihil prosunt sed et obsunt, nihil facimus, unde ingrati dicamur, si non tantum eis non sacrificamus, sed nec eos veneramur*]. Ut autem illud *μόνῳ* hic adiicerent LXX, quos sequitur interpres Graecus Matthaei, ipse etiam Hebraeorum verborum ordo exigebat: neque enim scriptum est ותעבדו [*servies ei*], quod fuisset *καὶ αὐτῷ λατρεύσεις*, sed ואתו תעבד [*ipsi servies*], quod plane emphasim continet, quae in Graecis verbis intelligi non potest nisi viva pronuntiatione: ideoque addendum aliquid fuit, quo lector eius *ἐμφάσεως* admoneretur. Est enim tacita relatio ad id, quod eodem capite commate 4 praecesserat, *Deum unum esse.* Quare nec Iosephus dubitavit eandem vocem in praecepto hoc explicando adiicere, *ὅτι Θεός ἐστιν εἷς* [*Deum esse unum*], inquiens, *καὶ τοῦτον σέβεσθαι μόνον* [*et hunc solum esse colendum*]. Adde quod in Deuteronomii loco sequitur continuo: *Non sectaberis Deos alienos.* Et Samuel idem hoc praeceptum populo inculcans diserte dixerat ועבדוהו לבדו, *et ei soli servite*, 1 Sam. 7: 3.

11. *Τότε ἀφίησιν αὐτὸν ὁ διάβολος, tunc reliquit eum Diabolus*] Tergemina tentatione, ut olim primorum parentum diuque humani generis victor, ita nunc victus a Christo, et a Christianis vincendus, 1 Ioh. 5: 18. Tentationes autem istae sunt ab egestate, a confidentia praedestinationis, et a spe splendoris humani.

12. *Ἀνεχώρησεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, secessit in Galilaeam*] Intellige Galilaeam non Herodis (cuius saevitiam, certo consilio et non sui, sed hominum quibus profuturus venerat, respectu, vitabat) sed Philippi. Nam huic pars maritima, in qua Bethsaida et Capharnaum, obvenerat, ut clare perspicere est ex Iosepho Originum XVIII. 3. Erat autem Philippus ingenii minime sanguinarii.

14. *Ἵνα πληρωθῇ, ut adimpleretur*] Quod ante diximus de sensu huius vocis *πληροῦσθαι* [*compleri*], idem hic re-

repetitum volumus. Plane enim videntur Esaiae verba directe agere de liberatione aliqua quae propius illa tempora contigerit, ita tamen ut subesset ὑπόνοια [*latens intellectus*] temporum Christi. Citavit autem Matthaeus κατὰ λέξιν [*verbotenus*] comma 2 capitis 9 Esaiae. Sed quia non satis inde intelligi poterat quo de populo ageret Propheta, ideo ex antecedenti commate addidit ea duntaxat quae ad populi illius designationem pertinebant, omissis caeteris, inter quae vox est Hebraea הקל, quam LXX senes verterant ἐταχυποίει [*cito fecit*], voce ab ipsis noviter conficta, qualis est et μοσχοποιεῖν [*vitulum facere*] apud Lucam Act. 7: 41. Nam קל proprie est ταχὺς [*citus*] et forma verbi est Hiphil, quae Graece vocibus ex ποιεῖν [*facere*] compositis optime exprimitur. Sed descriptorum vitio vox noviter composita in duas dissiliit, factumque est ταχὺ ποίει [*fac citum*], deinde etiam corruptius ταχὺ πίε [*citum bibe*], postremo lectio utraque, haec mendosior, illa propius originem referens, in contextum recepta est: iamque Tertulliani tempore id mendum inoleverat, ut apparet ex Latina ipsius citatione.

15. Ὁδὸν θαλάσσης, *via maris*] Id est, καθ' ὁδὸν [*ad viam*]. Vide Ezech. 47.

Πέραν τοῦ Ἰορδάνου] *Ad Iordanem.* Sic enim vox πέραν sumitur et alibi et Ioh. 1: 28 et in Graeco Num. 32: 19.

Τῶν ἐθνῶν, *Gentium*] Id est *Galilaea Convenarum.* Nam tractus iste, non unius nationis hominibus sed undique collectis ob adiacentis maris commoda habitatus, nomen hoc habuit; non ex Salomonis cum Hiromo pactione, ut quidam existimant, sed ab antiquissimis usque temporibus. Nam Gen. 14: 1, nominatur Tidhal מלך גוים βασιλεὺς τῶν ἐθνῶν [*Rex Gentium*], et Ios. 12: 23, post multos Reges Syriae Palaestinae itidem recensetur ὁ βασιλεὺς τῶν ἐθνῶν [*Rex Gentium*], addito לגלגל: ubi *Gilgal* idem esse videtur quod apud Prophetam hoc loco et 1 Reg. 9: 11 גליל, alibi גלילה aut גלילות proprium nimirum Galilaeae nomen, sed ex communi *limitis* notione veniens. Et Strabo notat Galilaeam habitatam ab Aegyptiis, Arabibus, Phoenicibus. Σύγκλυδας [*convenas*] multos fuisse Tiberiade ait Iosephus.

16. Καθήμενος, *qui sedebat*] Duas voces Hebraeas היושבים et

et 'בד recte una eademque voce Graeca Interpres transtulit: neque subtilior explicatio hic quaerenda est. Nam καθήμενος simpliciter est *degens*. Quod Hebraei modo *ambulandi* modo *sedendi* voce exprimunt. Eadem locutio, et eundem Prophetae locum respiciens, est in Zachariae carmine Luc. 1: 79. Unde apparet his vocibus non solum locorum sed temporum calamitates indicari.

Ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, *in regione et umbra mortis*] Ita hoc dicitur quomodo βίου φάος [*lux vitae*]. Est autem χώρᾳ καὶ σκιᾷ dictum per ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*] pro χώρᾳ σκιᾶς θανάτου [*regione umbrae mortis*]. Sic 1 Macc. 12: 17, περὶ τῆς ἀνανεώσεως και ἀδελφότητος [*de innovatione et fraternitate*], id est, τῆς ἀδελφότητος [*fraternitatis*].

18. Ἀμφίβληστρον] *Rete iaculum*. *Fundam* dixit Virgilius. Locutio sumta est ex Es. 19: 8.

19. Ἁλιεῖς ἀνθρώπων, *piscatores hominum*] Simili modo ἀνθρωποθηρίαν [*venatum hominum*] dixit Plato τέχνην τῶν ἀνθρώπων οἰκειωτικὴν [*artem homines sibi conciliandi*]. Veritatem prophetiae piscatoribus patefactum ait Isaac Ben Aram. Vide Nebiensem ad Ps. 107.

23. Ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, *in Synagogis eorum*] Vox haec συναγωγὴ tam late patet quam Hebraea עדה aut Latina *conventus*. Omnis enim hominum coetus qui ex instituto est, sive iudiciorum sive publici consilii sive rerum sacrarum gratia, hoc nomine appellatur. Deinde vero coepit et ad loca transferri in quibus isti conventus habebantur, ut Luc. 7: 5. Hic sive coetum sive locum in quo Lex Divina exponi solebat intelligas, nihil refert. Ne Christianos quidem ab hoc vocabulo abhorruisse apparet Iac. 2: 2. Theophilus adversus Nationes libro XI: *Οὕτω δέδωκεν ὁ Θεὸς τῷ κόσμῳ λυμαινομένῳ καὶ χειμαζομένῳ ὑπὸ τοῦ ἁμαρτημάτων, τὰς συναγωγὰς, λεγομένας ἐκκλησίας ἁγίας* [*Ita dedit Deus mundo corrupto ac periclitanti ob peccata, Synagogas, quas sanctas Ecclesias dicimus*]. Eadem loca Philo modo διδασκαλεῖα modo φροντιστήρια appellat, alibi ἱερὸν τόπον. Sed et a precibus *Proseuchae* vocabantur, Romae praesertim: quod nos docent Satyrae. Frustra enim dubitasse mihi videtur vir doctissimus an idem fuerint Proseuchae et Synagogae, cum omnem, ni fal-

fallor, haesitationem eximat Philo Legatione ad Caium his verbis: Ἐπίσατο οὖν (Augustus) καὶ προσευχὰς ἔχοντας καὶ συνιόντας εἰς αὐτὰς, καὶ μάλιςα ταῖς ἱεραῖς ἑβδόμαις, ὅτε δημοσία τὴν πάτριον παιδεύονται φιλοσοφίαν· τὰ γὰρ κατὰ πόλεις προσευκτήρια τί ἕτερόν ἐςιν ἢ διδασκαλεῖα φρονήσεως καὶ ἀνδρίας καὶ σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης εὐσεβείας τε καὶ ὁσιότητος καὶ συμπάσης ἀρετῆς; [*Norat esse iis Synagogas, in quas convenirent, septimis maxime diebus, quo tempore publice instituuntur de avita sapientia: nam illi oppidatim precum loci quid sunt aliud quam ludi ad discendam prudentiam, fortitudinem, temperantiam, iustitiam, pietatem, sanctitatem, virtutem denique omnem?*] Neque mirari debemus, si Christo permissum est in Synagogis verba ad populum facere. Solebat enim ab Archisynagogis is honos deferri viris gravibus et non ineruditis, ut nos docet historia quae est Act. 13: 15. Quod recte adversus Marcionem observat Tertullianus libro IV: *Sed etsi passim Synagoga adiretur, non tamen ad docendum nisi ab optime cognito et explorato et probato iam pridem in hoc ipsum, vel aliunde commendato.* Mansit is mos aliquamdiu in Ecclesia Christiana, ut concessu Episcoporum Scripturas interpretarentur, non Presbyteri tantum aut Diaconi, sed et οἱ τῆς χειροτονίας οὐδέπω τετυχηκότες [*ii quibus manus nondum impositae erant*]. Vide Eusebium, qui Origenis aliorumque exemplo probat λαϊκοὺς ὁμιλεῖν οὐκ ἀνέθιςον [*non esse praeter morem ut et laïci populum alloquantur*], sed τῇ τοῦ προεςῶτος ἐπιτροπῇ [*permissu praesidis*]: quo et illa spectant quae leguntur 1 Cor. 14: 29. Clemens Constit. VIII. 32: Ὁ διδάσκων εἰ καὶ λαϊκὸς ᾖ, ἔμπειρος δὲ τοῦ λόγου καὶ τὸν τρόπον σεμνὸς, διδασκέτω [*Qui docere vult, etiamsi laïcus sit, sed sermonis peritus et moribus gravis, doceat*].

Μαλακίαν, infirmitatem] Satis late patet haec vox Iudaeis Graece loquentibus, ita ut dolorem malumque omne includat, respondens Hebraeis vocibus מכאוב, ut Iob. 33: 19 et אסון, ut Gen. 42: 4. Impletur autem hîc promissum Legis Deut. 28.

24. *Δαιμονιζομένους, Daemonia habentes*] Apud Graecos media est vox δαίμονος [*Daemonis*], et quidem, ut arbitror, initio in partem meliorem usurpata, non ex Grae

Graeca origine quod sint δαήμονες [*gnari*], sed ex Arabica potius دائم [*perennis*]. Graecam vocem leviter mutatam eodem sensu Syri usurpant: dicunt enim דיוא. Nam ab Oriente ferme venerunt antiquissimae sacrorum voces: quomodo et illud similis notionis κάβειροι, *divi potes* Latine, כבירים. Sicut autem Hebraistae Iudaei Deum noluerunt appellare בעל, quod ea vox a profanis gentibus esset occupata, alioqui nihil aliud quam *dominum* significans: ita et Hellenistae Angelos lucis noluerunt appellare *Daemonum* vocabulo, sed in detestationem paganicae superstitionis nomen id proprium esse voluerunt Spiritibus noxiis, quos Graeci discriminis causa κακοδαίμονας, veteres Latini *Veioves* appellarunt. Δαιμονιζομένους [*daemonia habentes*] autem esse apparet non quovis modo insanientes, sed impurorum spirituum vi maiore correptos atque agitatos, quales erant quos Graeci νυμφολήπτους, Latini *larvatos*, *ceritos*, *limphaticos* vocabant. Cum hoc enim malo conflictantium copiam magnam exhibuit non Christi tantum Apostolorumque, sed et serior aetas, ut videre est apud Origenem, Tertullianum, Cyprianum. Exstitit vox δαιμονιζομένων in Thirasylli Aegyptiacis.

Σεληνιαζομένους, *lunaticos*] Quanquam Graeci morbo caduco laborantes σεληνιακοὺς interdum vocant, videtur tamen hic malum gravius et a naturalibus causis remotius indicari, cui tamen adsit ἐπίληψις [*morbus comitialis*]. Nam infra 17: 15 et deinceps, qui σεληνιαζόμενος [*lunaticus*] vocatur, ostenditur fuisse et ἐπιληπτικὸς [*caducus*] et δαιμονιζόμενος [*a daemone vexatus*]. Firmicus aperte distinguit *lunaticos* a *caducis*; et Aegineta quosdam σεληνιακοὺς [*lunaticos*] ait esse ὡς ἐνθεάζοντας [*quasi inflatos*]. Neque aliter interpretantur σεληνιαζομένους tum Basilius tum Hieronymus. Luna moveri ἐπιληψίαν [*morbum comitialem*] notatum et aliis et Antyllo apud Stobaeum.

Παραλυτικοὺς, *paralyticos*] *Sideratos*. Plautus: *Sideratus est, moveri non potest.* Scribonius Largus: *Facit ad tremulos et sideratione tentatos utralibet, una enim ex contractione, altera cum remissione nervorum conspicitur; παράλυσιν hoc utrumque vitium vocant.* Tralatio ducta est ab arboribus quae Caniculari sidere tactae exarescunt. Celsus παράλυσιν transfert *nervorum resolutionem*.

CAPUT V.

1. *Εἰς τὸ ὄρος, in montem*] Sicut Lex vetus de monte erat promulgata, ita et novam Christus in monte proposuit. Quomodo autem cum hac narratione conveniant ea quae dicit Lucas cap. 6, ad Lucam dicemus.

Καθίσαντος αὐτοῦ προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, et eum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius] Non Duodecim aut Septuaginta solum, sed omnes qui doctrinam eius sectabantur. Quare *οἱ μαθηταὶ* [*discipuli*] sunt iidem qui et hic et infra 7: 28 *ὄχλοι* [*plebs*], et Luc. 6: 17 *ὄχλος μαθητῶν* [*plebs discipulorum*] dicuntur. Atque ita vocem *μαθητῶν* scimus passim usurpari, ut infra 12: 49, Luc. 6: 13, Act. 11: 26 multisque aliis in locis. Praecepta quae propria sunt ac peculiaria segregatorum ad praedicationem Euangelicam infra sequentur capite demum decimo.

3. *Μακάριοι, beati*] Imitatur Christus Davidem, aut certe eos qui Psalmos veteres in unum corpus collegerunt. Nam quod ei libro *προοιμίου* [*exordii*] vice praeponitur, descriptionem hominis beati continet, simili verborum initio אשרי האיש [*beatus vir*]. Neque id ratione caret: nam disciplinae activae a finis tractatione ordiendae sunt, unde pendet bonorum malorumque notitia. Bonum enim summum finis ipse, deinde et alia quatenus eo ducunt; mala quae abducunt. Ostendit igitur Christus finem homini propositum esse debere vitam alteram meliorem; et in hac vita pacem conscientiae et quae eam consequuntur: proinde caetera hinc aestimanda. Et quo attentiores reddat auditores explicat hoc ipsum per enuntiata quaedam *παράδοξα* [*inopinata*], beatos pronuntians eos qui vulgo miseri vocentur.

Οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, pauperes spiritu] Cum duae a veteribus afferri soleant horum verborum explicationes, quarum altera ad tenuitatem facultatum, altera ad animi demissionem pertineat, cur priorem praeferendam existimem has habeo causas: primum quod Lucas simpliciter scribat *μακάριοι οἱ πτωχοὶ* [*beati pauperes*] 6: 20, eisque opponat divites, non addita spiritus voce: deinde quod *πτωχοὺς* [*pauperes*

peres] illo altero significatu vix existimem reperiri. Beatos ergo pauperes Christus pronuntiat eodem sensu quo et lugentes commate sequenti, quia plerumque res opimae et fecundae fomenta sunt vitiorum. Sic alibi dixit, vix evenire ut dives in regnum coeleste perveniat, infra 19: 23. Cui convenit illud Pauli: *Considerate vocationem vestram, fratres: non multi potentes, non multi nobiles.* 1 Cor. 1: 26. Et Iacobi: *Nonne elegit Deus pauperes mundi huius divites in fide?* 2: 5. Satis quippe est ad veritatem pronuntiati moralis ut valeat ἐπὶ τὸ πολὺ [*plerumque*], neque τἀκριβὲς [*exquisitae tractationis libramentum*] ultra exigendum est quam rei fert natura, ut est apud Aristotelem initio ad Nicomachum. Tales sunt et istae Graecorum sententiae.

Euripidis:

Δεινόν γε, τοῖς πλουτοῦσι τοῦτο δ' ἔμφυτον,
Σκαιοῖσιν εἶναι.
[*Res misera, verum propria divitibus tamen,*
Carere mente.]

Eiusdem:

Πλουτεῖς; ὁ πλοῦτος δ' ἀμαθία, δειλόν θ' ἅμα.
[*Es dives? at iners res et ignava est, opes.*]

Et hoc:

Ἄδικον δ' ὁ πλοῦτος, πολλὰ δ' οὐκ ὀρθῶς ποιεῖ.
[*Divitiae iniqua multa meditari solent.*]

Item:

Εἰσορῶ· δειλὸν δ' ὁ πλοῦτος, καὶ φιλόψυχον κακόν.
[*Cerno; verum ignava, vitae parca res,*
opulentia est.]

Et hoc:

Ἐν τῷ γὰρ ὄλβῳ φαυλότης ἔνεστί τις,
Πενία δὲ σοφίαν ἔλαχε διὰ τὸ δυστυχές.
[*Solet divitiis comes esse imperitia:*
Magis malo coacta paupertas sapit.]

Euphorionis:

Κακὸν τὸ παίδευμ' ἐστὶν εἰς εὐανδρίαν
Ὁ πλοῦτος ἀνθρώποισιν, αἵ τ' ἄγαν τρυφαί.
[*Consilia nunquam animosa suppeditant opes,*
Nec auctor esse luxus audendi solet.]

 An-

Antiphanis:

'Ο δὲ πλοῦτος ἡμᾶς, καθάπερ ἰατρὸς κακὸς,
Τυφλοὺς, βλέποντας παραλαβὼν, πάντας ποιεῖ.
[*At nos divitiae, mos ut est medicis malis,*
Caecos efficiunt, cum oculatos acceperint.]

Menandri:

'Αεὶ νομίζονθ' οἱ πένητες τῶν θεῶν.
[*Deorum cura pauperes credi solent.*]

Tale et Latinum illud: *Bonae mentis soror paupertas.* Diogenes dicebat paupertatem subsidium esse ad sapientiam αὐτοδίδακτον [*sponte partam*], quia re doceat quod alii verbis vix docentur. Teles Philosophus duas adferebat causas cur aptior ad sapientiam esset paupertas divitiis; priorem, quod labores minus subterfugeret; alteram, quod aliarum rerum curis minus distraheretur: quod ipsum Christus quoque significat infra 13: 22. Lactantius hac de re sic disserit: *Eo fit ut pauperes et humiles Deo credant facilius qui sunt expediti, quam divites qui sunt impedimentis plurimis implicati.*

Τῷ πνεύματι, *spiritu*] Hoc quod a Luca praetermissum est expressit Matthaeus, ut ostenderet μακαρισμὸν hunc [*beatitudinis* hanc *praedicationem*] ad eos pauperes pertinere qui malam fortunam non haberent ostentui, neque vero essent μεμψίμοιροι [*queruli*], sed animo placido in re sua modica acquiescerent, neque divitias appeterent. Πνεῦμα enim *animum* hic significat, ut Es. 66: 2, infra 26: 41, Ioh. 11: 33 et 13: 21, Rom. 1: 9, 1 Cor. 2: 13, 7: 34, Eph. 4: 3. Sic Hebraeis רוח נמוכה *spiritus pauper*, id est, patiens. Sunt ergo πτωχοὶ πνεύματι [*pauperes spiritu*] hi qui non fortuna tantum sed et animo sunt pauperes; sicut infra καθαροὶ καρδίᾳ [*mundi corde*] qui non operibus tantum, sed et animo sunt innocentes.

Αὐτῶν ἐςὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, ipsorum est regnum coelorum] Idem loquendi genus infra 19: 14. *Talium* (nimirum qui moribus puerilem aetatem referunt) *est regnum coelorum.* Sensus est: Talibus enim solent contingere divitiae coelestes, cognitio veritatis, remissio peccatorum, donum Spiritus, et quae alia regni istius nomine veniunt. Est enim opposito in voce πτωχοὶ [*pauperes*] et in voce βασιλεία [*regnum*]. Scriptor Tob. 4: 22.

Μὴ

Μὴ φοβοῦ, παιδίον, ὅτι ἐπτωχεύσαμεν· ὑπάρχει σοι πολλὰ ἐὰν φοβῇ τὸν Θεόν [*Ne time, fili, eo quod pauperes sumus. Multa habes, si Deum timeas*]. Memineris enim ubi uni virtuti beatitudo aut vita aeterna promittitur, id sumendum comparate ad eos qui tali careant virtute, eoque minus sint ad illa beneficia accipienda idonei, aut id eo pertinere ut vis magna in tali virtute sita intelligatur, aliis tamen non exclusis.

4. *Οἱ πενθοῦντες, qui lugent*] *Γνώμη* [*sententia*] similis superiori, quam Paulus explicat, *θλίψις*, inquiens, *ὑπομονὴν κατεργάζεται* [*afflictio patientiam operatur*], et quae sequuntur Rom. 5: 3. Nimirum

——— *gaudet patientia duris*:

contra autem res secundae vitiis sunt obtentui. Neque frustra dictum: *Ὑπὲρ Μαλέαν πλεύσας εὐσεβὴς ἔσῃ* [*Super Maleam navigans pius eris*], et Plinio, *optimos esse nos dum infirmi sumus*. Sed proprie hîc lugentes intelliguntur cum sua qualitate, id est, qui mala ab hominibus aut a Deo inflicta patienter ferunt.

Παρακληθήσονται, solamen accipient] Hîc pro parte, plene in posterum. Vide Paulum 2 Cor. 1: 4, Ioh. 16: 20, Iac. 1: 12, Apoc. 7: 17.

5. *Πρᾳεῖς, mites*] Qui alios placide ferunt et blande instituunt. Opponuntur *πρᾳεῖς* sive *πρᾶοι* proprie *τοῖς ὀργίλοις* [*iracundis*]. Aristoteles Magnorum moralium l. 23. Plato II. de Republica: *Ἐναντία γάρ που θυμοειδεῖ πρᾳεῖα φύσις* [*Contraria enim iracundiae mitis indoles*].

Κληρονομήσουσι τὴν γῆν, possidebunt terram] Ex Ps. 37: 11. Usurpant hoc verbum Hellenistae ut Hebraeum ירש exprimant, id autem non significat *titulo hereditatis acquirere*, sed *iure mancipii adipisci* aut *possidere*, quia talia quae sunt ad heredes transeunt. Et hoc est quod proprie Graecis dicitur *κτᾶσθαι*. Opponi enim solet *κτῆσις τῇ χρήσει*, ut Latinis *mancipium usui*. *Τὴν γῆν* autem dicere videtur firmas atque constantes amicitias, quae in terris longe optima est possessio. Has autem comparare sibi facillime solent qui miti placidoque sunt animo: quanquam et ad alias res minores tuendas multum valet haec virtus. Quippe ὁ *θυμὸς* [*ira*], ut est apud Philosophum, *φόνων αἴτιον, συμφορᾶς σύμμαχον, βλά-*

βῆς σύνεργον καὶ ἀτιμίας, χρημάτων ἀπώλεια, ἔτι δὲ καὶ φθορᾶς ἀρχηγόν [*causa caedium, fautor calamitatis, comes damni et probi, pernicies rerum, auctor exitii*]. Adde Ps. 41: 1.

6. *Οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, qui esuriunt et sitiunt iustitiam*] Fames et sitis tralatione usitata vehementem quandam appetitionem significant, ut cum dicitur *auri sacra fames*, et apud Plutarchum, ὁ μὴ πεινῶν μηδὲ διψῶν τιμωρίας [*qui non esurit aut sitit vindictam*]. Atque ita διψῆν [*sitire*] sumitur Es. 41: 17 et 55: 1, Ioh. 7: 37, et aliis aliquot horum librorum locis. *Δικαιοσύνης* autem vox hic significat ὁδὸν δικαιοσύνης [*viam iustitiae*], ut infra hic Scriptor loquitur 21: 32, id est, doctrinam eius obedientiae quam a nobis Deus exigit, quae obedientia et infra commate 20 voce eadem δικαιοσύνης notatur. Etiam Philo dixit λιμὸν ἀρετῆς [*famem virtutis*] libro de Allegoriis. Caeterum si quis Lucam cum Matthaeo conferat, videbit tale desiderium hic indicari quo acti homines alia incommoda, puta famem sitimque, libenter subeant.

Χορτασθήσονται, saturabuntur] Ex Ps. 17: 15. Omnia quidem Dei beneficia sub imagine cibi ac potus describi solent, Es. 65: 13, Luc. 1: 53, praecipue vero doctrina coelestis. Nam et Hebraei Legem *cibum animae* vocant, et Christus Euangelium suum modo *panis* modo *aquae* nomine appellat.

7. *Οἱ ἐλεήμονες· ὅτι αὐτοὶ ἐλεηθήσονται, misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur*] Est quidem et in usu humano verum illud Publii:

Bona comparat praesidia misericordia.

Item:

Habet in adversis auxilia qui in secundis commodat.

Caeterum hic arbitror recte a Latino interprete aliisque scriptoribus antiquis illud ἐλεηθήσονται [*misericordiam consequentur*] ad Divinam misericordiam referri. Nam sicut omnes hi μακαρισμοὶ [hae *beatitudinis attributiones*] si recte advertas, in praeceptorum traditione explicantur: ita quod hic dicitur γνωμικῶς [*per modum sententiae*] infra traditur παραινετικῶς [*per modum exhortationis*] 5: 4

et 6: 14. Stoici docebant *succurrere esse sapientis, misereri non esse*: et misericordiam *vitium* vocabant *animi*. At Christus non opera tantum misericordiae praecipit, sed et affectum suo exemplo commendat. Saepe enim legitur σπλαγχνισθῆναι [*misertus fuisse*], quo affectus et quidem vehemens denotatur. Sic Paulus vult τὰ μέλη συμπάσχειν [*membra compati*], 1 Cor. 12: 26. Nimirum, ut recte monet Lactantius, Christiana disciplina neque exscindit affectus, neque mediocritatem indistincte praecipit, sed rectum eorum usum monstrat, modo intensiorem, modo remissiorem pro rei dignitate. Qua de re plenius agemus ad Luc. 19: 41.

8. *Οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, mundo corde*] Intelligi possunt οἱ ἀκέραιοι, id est qui a fuco omni et fallaciis absunt, quos *sinceros* vocant Latini. Solet enim τὸ καθαρὸν [*mundum*] coniungi τῷ ἀνυποκρίτῳ [*non ficto*], 1 Tim. 1: 5, 1 Pet. 1: 22. Atque ita erit huius γνώμης [*sententiae*] explicatio παραινετικὴ [*hortatoria*], petenda ex iis quae infra capite 6 disseruntur. Sed magis mihi placet καθαρὸν [*mundum*] hic accipi eum qui sit

Integer vitae scelerisque purus,

quem scriptores Latini etiam *sanctum* et *castum* vocant. Graece καθαροὶ τὰς χεῖρας [*manu puri*] dicuntur qui homicidio affines non sunt, et femina καθαρεύειν [*in casto esse*] quae concubitu abstinet, ideo addidit Christus καρδίᾳ ex Ps. 73: 1, nimirum etiam exigens animi innocentiam. Illo enim censore (ut Taciti utar verbis) *qui deliberant desciverunt*. Ut autem καθαρὸν ita interpreter movet me quod sequitur, ὅτι αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται [*quoniam ipsi Deum videbunt*]. Nam et apud Iohannem 1 Ep. 3: 2, itidem legimus, ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστι [*videbimus eum sicuti est*], deinde subiungitur, καὶ πᾶς ὁ ἔχων τὴν ἐλπίδα ταύτην ἐπ' αὐτῷ ἁγνίζει ἑαυτὸν, καθὼς ἐκεῖνος ἁγνός ἐστιν [*et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est*]. Solent enim pro eodem usurpari ἁγνὸς et καθαρός. Quaesivit nimirum Christus attributa quae aut ex simili aut ex dissimili subiectis convenirent. Ideo his qui puro sunt corde (quatenus scilicet id in hac vita obtineri potest) praemium proponit, quod conspecturi sint Deum, purissimam scilicet mentem.

Quare petenda est huius γνώμης [*sententiae*] explicatio ex his quae infra in praeceptis sequuntur commate huius capitis 21, 27 et deinceps.

9. *Εἰρηνοποιοί, pacifici*] Proprie Graecis ita vocantur *pacificatores*, qui aliis dissidentibus medios se interponunt. At Hebraea vox quam Graeca voce expressit Interpres שלמים latius patet *pacis*que *studiosos* significat, neque aliter hoc loco ea vox accipienda est. Sequitur enim huius dicti explicatio infra commate 23 et deinceps.

Υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται, filii Dei vocabuntur] Deus vocatur *Deus pacis* Rom. 16: 20, 1 Cor. 14: 33, 2 Cor. 13: 11, Phil. 4: 9, 1 Thess. 5: 23, 2 Thess. 3: 16, Hebr. 13: 20. Sensus est, eos qui paci student, Deo simillimos, ac proinde etiam Deo dilectissimos fore. Sic infra, *ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς* [*ut sitis filii patris vestri qui in coelis est*], commate 45. Sirachides olim dixerat: *Γίνου ὀρφανοῖς ὡς πατὴρ, καὶ ἀντὶ ἀνδρὸς τῇ μητρὶ αὐτῶν, καὶ ἔσῃ ὡς υἱὸς ὑψίστου, καὶ ἀγαπήσει σε μᾶλλον ἢ μήτηρ σου* [*Esto pupillis ut pater, et pro viro matri illorum: et eris tu velut filius Altissimi, et miserebitur tui magis quam mater*], 4: 10. Philo de sacrificantibus: *Οἱ τὸ ἀρεστὸν τῇ φύσει δρῶντες καὶ τὸ καλὸν, υἱοί εἰσι τοῦ Θεοῦ* [*Qui id faciunt quod naturâ probum honestumque est, filii sunt Dei*]. Hierocles docet nos ita locutos et Pythagoristas, haud dubie accepto ab Hebraeis more, *τῷ ἤδη προειργᾶσθαι τὰ παιδὸς ἄξια τὸν Θεὸν πατέρα καλῶν* [*Deum patrem vocans quod iam fecerit ea quae filium decent*]. Est autem *καλεῖσθαι* [*vocari*] hic, rem ea voce indicatam consequi, 1 Ioh. 3: 1. *Ἴδετε ποταπὴν ἀγάπην δέδωκεν ἡμῖν ὁ πατὴρ, ἵνα τέκνα Θεοῦ κληθῶμεν* [*Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur*]. Quod alibi dixerat: *Ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι* [*Dedit eis potestatem filios Dei fieri*], Euang. 1: 12. Sic quod Es. 14: 20 est יקרא [*vocabitur*], Chaldaeus vertit יתקים [*manebit*]; et quod est Es. 56: 7, Lucas vertit per *ἐστὶν* [*est*] 19: 46, ut notavimus supra 11. 22. Nec aliter Syrus id quod est Gen. 21: 12. Sic et Philo De linguarum confusione: *Οἱ ἐπιστήμῃ κεχρημένοι τοῦ ἑνὸς υἱοὶ Θεοῦ προσαγορεύονται δεόντως* [*Scientia praediti recte unius Dei vocantur filii*]. Ex hac vera Dei imi-

imitatione sequitur porro etiam Divinae gloriae participatio, ut ostendit Iohannes dicto Epistolae loco et Paulus Rom. 8: 17.

10. *Δεδιωγμένοι, persecutionem patientes*] Graecis διώκειν est non tantum *accusare*, sed et *expellere*, ut διώκειν ἐκ τῆς γῆς, διώκειν τῆς οἰκίας [*pellere terra, pellere domo*]. Sed apud Hellenistas Iudaeos latius ea vox patet, ut exprimat Hebraeum רדף, quod omne genus vexationis, praesertim gravioris, continet. Latine *persequi* nulla re adiecta hunc sensum non habet. Alioqui *persequi iudicio*, *persequi bello* recte dicitur. Sed Christiani Hebraeos et Hellenistas imitati dixerunt *persequi*, pro quo veteres Romani dixissent *vexare* aut *exagitare*.

Ἕνεκεν δικαιοσύνης, propter iustitiam] Vox haec vix unquam in his libris finem, at plerumque causam significat qua agens impellitur. Latinis *ergo* eandem habet notionem, ut *virtutis ergo*. *Δικαιοσύνη* autem hic iterum *obedientiam Divinorum mandatorum* significat.

Αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ οὐρανῶν, ipsorum est regnum coelorum] Cum *βασιλεία οὐρανῶν* modo doctrinam coelestem et quae eam in hac vita consequuntur, modo gloriam coelestem significet, ut multis in locis videre est; ut priorem sensum supra, ita posteriorem hic amplectendum sentio, tum ut singulis subiectis singula attributa respondeant, tum quod omnino proxime sequens comma videatur dicti huius generalis particularem ἐπεξήγησιν [*latiorem expositionem*] continere; ibi autem *mercedis coelestis* expressa est mentio. Atque hinc factum est ut iam Clementis temporibus diverso modo hic locus legeretur, Ipse citat, ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται [*quia ipsi filii Dei vocabuntur*], quod ex praecedenti commate irrepsit. Ab aliis legi testatur, ὅτι αὐτοὶ ἔσονται τέλειοι [*quoniam ipsi erunt perfecti*], atque etiam, ὅτι ἕξουσι τόπον ὅπου οὐ διωχθήσονται [*quoniam locum habebunt ubi nemo eos persequetur*], quae omnia glossemata esse arbitror explicantia quid esset *βασιλεία τῶν οὐρανῶν* hoc loco.

11. *Ὅταν ὀνειδίσωσιν, cum maledixerint*] Ut olim Elisaeo factum 2 Reg. 2: 23.

12. *Ὅτι ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς, quoniam merces vestra copiosa est*] Ex Gen. 15: 1.

 Οὐ-

Οὕτως ἐδίωξαν τοὺς προφήτας, sic persecuti sunt Prophetas.] Iosephum, Mosem, Samuelem, Davidem, Esaiam, Ieremiam, atque alios. Vide Nehemiam 9: 26, orationem Stephani in Actis, et quae infra dicuntur 23: 31. Nimirum ita est, *veritas odium parit*, praesertim ea quae ad mores emendandos pertinet. Hoc si Heraclito, si Democrito, si Socrati evenit, tantillam faculam allucentibus, quanto magis Christi discipulis exspectandum est? Plato secundo de Republica ait, ad explorationem verae virtutis opus esse ut vir bonus μηδὲν ἀδικῶν, δόξαν ἔχῃ τὴν μεγίστην ἀδικίας, ἵνα ᾖ βεβασανισμένος εἰς δικαιοσύνην τῷ μὴ τέγγεσθαι ὑπὸ κακοδοξίας καὶ τῶν ὑπ' αὐτῆς γιγνομένων, ἀλλ' ἤτω ἀμετάστατος μέχρι θανάτου [*cum nihil iniuste agat famam tamen sustineat maximae iniustitiae, ut exploratae sit iustitiae eo ipso quod non inflectitur amotâ famâ et quae eam consequuntur, sed immobilis manet ad mortem usque*].

13. Ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς, *vos estis sal terrae*] Ut modo dicere occoepi, nihil satis causae video cur haec ad Apostolos restringantur. Nam et μακαρισμοὶ [*beatitudinis praedicationes*] communes sunt omnibus: et allocutio quae praecessit commatibus duobus antecedentibus omnes spectat qui pro veritate iniurias sustinent. Tum vero clarum est eosdem dici ἅλας τῆς γῆς [*sal terrae*], et commate sequenti φῶς τοῦ κόσμου [*lumen mundi*]. At φωστῆρες ἐν κόσμῳ [*luminaria in mundo*] dicuntur non Episcopi tantum, sed omnes vere Christiani, ut apparet Phil. 2: 15. Cum simile est illud apud Iustinum: Ὅπερ ἐστὶν ἐν σώματι ψυχή, τοῦτ' εἰσὶν ἐν κόσμῳ Χριστιανοί [*Quod in corpore est anima, id in mundo sunt Christiani*]. Iam vero hoc ipsum quod de sale dicitur, Lucas directe dictum ait πρὸς τοὺς ὄχλους [*ad turbas*] 24: 25, 34. Sensus ergo est, eos, qui ab ipso Christo veram ac salutarem doctrinam percepissent, non exemplum vivendi ab hominibus aliis petere, sed aliis exemplo esse debere. Salis autem praecipua vis est adversus putredinem. Hinc illud Varronis, *Suillo pecori animam pro sale datam ne putisceret*, ex Cleanthe desumtum, cuius haec erant verba, τοὺς ὗς ἀνθ' ἁλῶν ἔχειν τὴν ψυχὴν ἵνα μὴ σαπῇ τὰ κρέα. Neque alia de causa ἅλα θεῖον [*sal divinum*] dixit Homerus. Hinc sa-

sapientia *sal* dici coepit, ut est apud Comicum: *Qui habet salem qui in te est.* Atque eodem respicit Paulus, cum sermonem nostrum ita blandum vult esse ut tamen *sale condiatur*, Col. 4: 6. Sed proxime ad hoc loquendi genus accedit quod Livius Graeciam *sal gentium* vocat. Ostendit ergo Christus, officii esse eorum qui verae sapientiae praecepta hausissent, aliorum sordes expurgare.

Τῆς γῆς, terrae] Vox *γῆς*, et quae est commate sequenti vox *κόσμου* [*mundi*], haud dubie generis humani universitatem significant, quomodo et *terrarum* et *mundi* vox Latinis usurpantur. Nimirum pauci isti a Christo instituti fermentum fuere quo tota farina fermentata est, infra 13: 33.

Μωρανθῇ, evanuerit] Quod Graeci dicunt *ἄναλον* [*insulsum*], ut et Marc. 9: 50, id Hebraeis dicitur תפל, ut Iob. 6: 6, eademque vox *τὸ μωρὸν* [*stultum*] significat Iob. 24: 12, Ier. 23: 13, Thren. 2: 14. Hebraeam igitur vocem quam proxime potuit expressit Graecus interpres.

Ἐν τίνι ἁλισθήσεται, quo salietur?] Non absolute sumendum, sed relate, *ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε;* [*quo illud condietis?*] inquit Marcus omni ambiguitate remota. Sal in se habere debet vim excoquendi: nam si putruerit, non est quo corrigatur. Sic illi qui a Domino Iesu veram doctrinam hauserant, ipsi emendare alios debebant, non autem exspectare ut ab aliis ipsi emendarentur. Simile est huic proverbio illud Graecis usitatum: *Ὅταν τὸ ὕδωρ πνίγῃ, ἐπιπίνειν τί δεῖ* [*Ubi aqua suffocat, quid opus ultra bibere?*].

Καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, conculcatur ab hominibus] *Παροιμιώδης* [*proverbialis*] locutio de re nihili. Sed intelligenda hic simul poenae comminatio, quam explicat Luc. 21: 24. איש Hebraeis est quod *ἕκαστος* [*quilibet*] Graece loquentibus, ut fine libri Iudicum vertunt LXX.

14. *Πόλις κρυβῆναι, civitas abscondi*] Vult Christus auditorum suorum integritatem non minus esse conspicuam quam solent esse urbes quae in montis vertice sunt collocatae: qualis erat Hierosolyma, Ecclesiae figura. Vide Ezechielem in fine. De coetu autem piorum hic directe non agi et praecedentia et sequentia ostendunt.

15.

15. *Μόδιον, modio*] *Μοδίον* vox quanquam Graecis minus usitata, ex Graecia tamen in Latium venit. Nam et Dinarchus ea utitur. Credibile est a Matthaeo scriptum סאתא, quod hic habet Syrus, quando et Hieronymus in Veteri Federe סאה *modium* vertit.

Καὶ λάμπει, et lucet] Hebraismus pro ἵνα λάμπῃ [*ut luceat*] recte notatus a veteri Latino interprete. Sic candelabrum in medio Tabernaculo, deinde in media aede Templi lucebat.

16. *Ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα καὶ δοξάσωσι, ut videant opera vestra bona et glorificent*] Est et hîc Hebraismus pro ἰδόντες δοξάσωσι [*videntes glorificent*], tum vero vocis δοξάζειν [*honorare*] notio non Graeca est sed Hellenistica, auctoribus LXX, qui ita optime putarunt exprimi Hebraeum כבד et פאר [*magni facere*].

Τὸν πατέρα ὑμῶν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, Patrem vestrum qui in coelis est] Inter nomina Dei quae commentatores Hebraei tradunt est אבינו שבשמים [*Pater noster qui est in coelis*]. Quanquam vero Deus omnium opifex recte eam ob causam *Pater* dici possit, ut

——— πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶντε,

[——— *Deûm pater ille hominumque*],

apparet tamen ex eo quod hic additur ὑμῶν, Christum et hic et aliis in locis magis respexisse ad amorem peculiarem vereque paternum, quo pietatis studiosos Deus prosequitur. Senecae vir bonus, *vera Dei progenies*, libro de Providentia. Quid vox pluralis οὐρανῶν [*coelorum*] in Hellenistarum sermone significet, supra diximus, nimirum beatissimam illam regionem quam sola mente complectimur, τὸν κόσμον τὸν νοητὸν [*mundum illum qui animo comprehenditur*]. Quanquam autem Deus saepe dicitur esse ἐν τοῖς οὐρανοῖς [*in coelis*], non id tamen intelligendum est quasi Deus ullis extra se spatiis terminetur. Vere enim dixit Salomo Deum neque coelo adspectabili neque illo supremo coelo, quod שמי שמים [*coelum coelorum*] vocat, comprehendi, 1 Reg. 8: 27. Ante res conditas Deus haud dubie sibi suffecit pro loco: neque cum res condidit natura ipsius immutari aut a sui ipsius opificio limitari potuit. Recte ergo Hebraei Magistri Deo inter alia nomen tribuunt מקום [*locus*], quia ipsius im-

immensa natura nullo extra se loco tenetur, atque adeo sibi est quasi locus rebus a se factis infinito maior, easque excellentius et efficacius continens quam locus soleat res locatas. Quam Hebraeorum veterum sententiam hunc in modum exponit Philo: Ἐπεὶ αὐτὸς ἑαυτῷ τόπος (hoc est מקום) καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ πλήρης καὶ ἱκανὰ ὄντα πληρῶν καὶ περιέχων, αὐτὸς δ' ὑπ' οὐδενὸς ἄλλου περιεχόμενος [*Quoniam ipse sibi locus, et ipse sui plenus, et tot illa quae sunt implet ac continet, ipse vero a nullo continetur*]. Eademque veterum Christianorum sententia: Θεὸς περιέχει τῇ βουλήσει τὸ πᾶν, μείζων τοῦ παντὸς, ὥσπερ τῇ οὐσίᾳ οὕτως καὶ τῇ ἀξίᾳ [*Deus voluntate totum hoc continet, maior universo, ut substantia, ita et maiestate*], ut docte disserit Scriptor Responsionum ad Orthodoxos quaestione undecima. Theophilus libro secundo adversus Gentes: Θεὸς οὐ χωρεῖται, ἀλλὰ αὐτός ἐστι τόπος τῶν ὅλων [*Deus non comprehenditur, sed ipse locus est omnium*]. Dicitur tamen ἐν οὐρανοῖς esse potius quam alibi, quia sicut in illa regione maiestas Dei singulari et eximio modo apparet: ita et olim in ea regione summa ab ipso praemia exspectamus, tunc cum se plenissime nobis et Deum et Patrem est demonstraturus. Sed et Graeci ut multa ex Oriente ita hoc quoque hauserunt. Nam sedem Deorum ponunt supra sideream regionem. Aratus de Eridano astro:

——— Θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται.
[———. *Deûm se sub pedibus fert.*]

Quod imitatus est Callimachus et ex Callimacho Catullus in Coma Berenices:

Sed quanquam me nocte premunt vestigia Divûm.

17. *Καταλῦσαι, solvere*] Quod hic καταλύειν, infra λύειν dicitur comm. 19. Est quidem λύειν νόμον [*legem solvere*] saepe apud Demosthenem *abrogare*. Sed hic vox ista laxius paulo sumenda est, pro eo quod est *legem oppugnare factis dictisve*. Tale est illud οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή [*non potest solvi Scriptura*] Ioh. 10: 35, et quod λύειν τὸ σάββατον [*solvere Sabbatum*] dicitur qui contra Sabbatum facit, 5: 18. Imo illud ipsum λύειν τὸν νόμον [*solvere Legem*] apertum est ita sumi Ioh. 7: 23, pro quo et καταργεῖν τὸν νόμον [*destruere Legem*] dixit Paulus Rom. 3: 31. Atque hanc veram esse huius loci explicationem ostendit id quod sequitur

tur comm. 19, ubi ποιεῖν καὶ διδάσκειν [*facere et docere*] opponitur τῷ λύειν [*vocabulo solvere*]. Sed hic insurgunt in nos Iudaei clamitantes itum ab Apostolis contra hanc Magistri professionem. Sed labi illos rerum nostrarum ignorantia vel hinc pateat, quod haec ipsa Domini verba Apostoli memoriae consecrarunt, nunquam id facturi, si ipsorum documenta ab hoc documento discrepassent. Adde quod ille ipse Apostolus, quo nemo constantius libertatem Christianam contra necessitatem Hebraicorum rituum defendit, idem de se dicit quod Magister dixerat: *Νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; μὴ γένοιτο. ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν* [*Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed Legem statuimus*]. At idem est qui alibi dicit Christum νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργῆσαι [*Legem mandatorum decretis evacuasse*], Eph. 2: 15. Rursum quod hic Christus dixerat venisse se πληρῶσαι τὸν νόμον [*ut adimpleret Legem*], hoc et ille Apostolorum eximius non semel agnoscit, ut cum Christum vocat τέλος τοῦ νόμου [*finem Legis*], Rom. 10: 4 et νόμον παιδαγωγὸν εἰς Χριστὸν [*Legem paedagogum ad Christum*], Gal. 3: 24. Iam vero in scriptis Apostolicis est ubi invenias νόμον dici πνευματικὸν [*spiritualem*], Rom. 7: 14, est iterum ubi vocatur νόμος ἐντολῆς σαρκικῆς [*Lex mandati carnalis*] Hebr. 7: 16. Quare cum sano nemini in mentem venire possit, viros graves et in defensione doctrinae suae adeo constantes, non modo alios aliis, sed ipsos sibimet pugnantia scripsisse, videndum est quomodo dicta ista inter se consentiant.

Primum igitur notissimum est, Ius aliud esse Naturale, perpetuum, commune omnibus, aliud constitutum, quod plerumque solet esse peculiare ac mutabile: quale est ius populi cuiusque proprium quod Civile vocamus. Ius Naturale, hoc est rectae rationis praescriptum, animum praecipue respicit, et externas actiones ex animo aestimat. Ius Civile eodem quidem tendit, sed cum id per hominum pravitatem obtinere nequeat, contentum est exteriori innocentia: et, quod inter homines fieri necesse est, animum ex factis metitur. Itaque corpori praecipue ponitur, et de rebus agit quatenus cerni oculis manibusque tangi possunt. Consilia conatumque non punit, nisi

in rebus atrocissimis. Hinc Seneca *exiguam rem esse* dicit *ad legem bonum esse*. Cumque perpetuum illud Ius bonos certet efficere virtutis amore, hoc Civile malos formidine poenae coercet, quo iure opus non fuisset, si homines sinceris naturae (id est, rationis a Deo illuminatae atque adiutae) praeceptis obtemperassent. Sed cum parentes darent progeniem in dies vitiosiorem, refraenanda fuit gliscens malitia, et resuscitanda notitiae vestigia, quae prava consuetudo paene obliteraverat. Ergo *παραβάσεων ἕνεκα νόμος προσετέθη* [*propter transgressiones lex apposita est*], id est, addita est lex scripta in tabulis ad legem illam in mentibus scriptam Gal. 3: 19. Atque adeo quod de lege Mosis dixit Paulus *δικαίῳ νόμον οὐ κεῖσθαι* [*legem iusto non esse positam*] 1 Tim. 1: 9, hoc in universum de lege Civili Socrates pronuntiaverat, *νόμον ἕνεκα ἀγαθῶν οὐ γενέσθαι* [*legem non esse factam virorum bonorum causa*]. Quin ad minora etiam quaedam delicta externa connivere coguntur leges Civiles, ne irrito adversum adulta vitia nisu hebescat acies publicae auctoritatis. Lex igitur Mosis, cum data sit uni populo Israelitico, non minus quam leges Civiles humanae, habere debuit quaedam tralatitia ex Iure Naturali, quaedam vero propria isti populo istisque temporibus accommodata. Agnoscit hoc discrimen in lege patria Iosephus accurate ea de re disserens Originum lib. XVI cap. 10, ubi illud Ius constitutum vocat *τὰ ἔθη* [*consuetudines*], illud autem perpetuum partim *τὸ δίκαιον πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμοίως λυσιτελέστατον* [*iustum illud quod omnibus ex aequo hominibus utile est*], partim *τὸ πρὸς καλοκαγαθίαν κοινὸν ἅπασι καὶ μόνον ἱκανὸν διασώζειν τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον* [*id quod ad probitatem omnibus communiter patet, solumque per se sufficit ad tuendam hominum vitam*], quod quidem Ius potissimum a Lege ait respici. Hebraeorum Magistri haec proprie volunt dici מצות [*praecepta*], illa חקים [*statuta*], ut initio ad Lucam dicetur. Iustinus in Colloquio cum Tryphone idem discrimen clare Iudaeo ob oculos ponit, cum alia ait esse *καθόλου καὶ φύσει καὶ αἰώνια καλὰ* [*generatim ac per se et semper honesta*], quae qui olim praestiterunt, communem cum Christianis gloriam erunt reportaturi, alia vero *πρὸς σκληροκαρδίαν τοῦ λαοῦ* (addere po-

poterat, *et ob occasiones temporum ac locorum*) διαταχθέντα [*ob populi duritiem constituta*]. Sic et in Constitutionibus, quae dicuntur Clementis, plurimis locis distinguuntur τὰ φυσικὰ τοῦ νόμου [*naturalia Legis*] et τὰ ἐπείσακτα [*superinducta*]. Irenaeus quoque IV. 27 illa prioris potiorisque generis *naturalia Legis* vocat. Sicut igitur ante Legem conditam, vera pietas, sive fiducia in Deum per caritatem efficax, id fuit quod hominem Deo acceptissimum faceret, ita in ipsa Lege voluit Deus exstare eius εὐδοκίας [*sui beneplaciti*] vestigia. Itaque *amari se integro corde* postulat, cor vult *circumcidi*, et quae alia sunt ad eam formam. Sed hoc omne ut dixi tralatitium est, neque pars proprie Legis eius quae erat Civilis, sed scopus atque propositum: quomodo et in Zaleuci et in Charondae legibus et XII Tabulis quaedam inserta erant ad animi castimoniam pertinentia. Apparet hoc ex sanctione Legis quae erat Civilis. Ea enim capitale supplicium legirupis minabatur; tantum autem abest ut intra animum peccantibus tale supplicium irrogatum fuerit, ut etiam externa quaedam delicta victimis aut verberibus expiarentur. Hoc vero praecipuum habebat Lex illa Civilis supra humanas leges, quod obsequentibus, hoc est, ad Legis normam viventibus, non tantum impunitatem sed et vitam longam atque prosperam praestabat. At Christi Lex, ut comminationem graviorem habet, perpetui scilicet supplicii, Hebr. 2: 3, ita et *melioribus promissis firmata est*, Hebr. 8: 6, nimirum regni coelestis.

Videamus nunc quid sit quod Christus dicit se venisse νόμον πληρῶσαι [*ut adimpleret Legem*]. Legis scopus erat homines quam optimos efficere, quales fiunt Dei reverentia et caritate mutua hominum inter se. Haec duo maxima Legis praecepta vocat Christus Matth. 22: 37, 38, 39. Imo ait *hinc pendere Legem totam et Prophetas*, 40. Paulus *diligendo hominem alterum Legem* ait πληροῦσθαι, Rom. 13: 8, Gal. 5: 14. Et Iacobus 2: 8 *legem Regiam* ait τελεῖσθαι [*perfici*] eadem dilectione, addens κατὰ τὴν γραφὴν [*secundum Scripturam*], Veteris Federis libros intelligens. Sed quod Lege monstrabatur quidem, Legis tamen tempore a paucis in ipso etiam Israelitico populo praestabatur, id ut omnes in se credentes praestare possent, Christus

ef-

effecit, idque non vi Legis (quae malos coercebat magis quam faciebat bonos), sed peculiaribus Dei praesidiis, remissionem promittens antecedentium peccatorum omnium, certam faciens fidem beatae immortalitatis, et large effundens Spiritus sui copiam. Apparet igitur quomodo Christus id quod in Lege erat praecipuum atque immutabile, non modo non everterit, sed et stabiliverit atque confirmaverit.

Ius autem alterum quod Constitutum diximus, partim ad Cultum Divinum, partim ad Societatem Civilem pertinet. Agamus primum de Iure ad cultum Divinum pertinente, quod Rituale aut Pontificium Ius liceat vocare. Hoc igitur Ius Christus neque exemplo neque doctrina oppugnavit. Nam dum in terris vitam vixit mortalem, et ipse praescriptis ritibus paruit, et aliis Hebraeis ut itidem facerent auctor fuit, ut videre est infra 8: 4, 26: 18. Quod vero postea id Ius evanuit, factum est ex ipsius Iuris natura. Neque enim tale erat ut Deo per se placeret, sed populi ingenio temporibusque illis aptatum. Nam Sacris illis ceremoniisque populum Israeliticum, nimis patentem ad superstitionis contagia, Deus ab aliis gentibus segregare voluit, et occupatum distinere ne ad falsorum Numinum cultum deficeret. Quare cum venisset tempus tot vaticiniis praedictum, quo gentes aliae cum piis Iudaeis in unius veri Dei cultum coalescerent, impleta Circumcisionis promissione, Legis causa cessante, aequum erat Legém quoque Ritualem cessare. Data enim haec Lex erat usque dum veniret semen illud Abrahamo promissum, Gal. 3: 16. Et hoc ipsum non obscure indicaverant Prophetae, Novum Fedus sacrificiaque nulli loco adstricta et animo peragenda praenuntiantes, et Prophetis consentiens Christus, cum diceret imminere tempus quo Deus coleretur non alibi minus quam Hierosolymis, in spiritu et veritate. Nihil igitur opus fuit Legem antiquari quae ad tempus constituta ipsâ temporis maturitate evanuit; sicut leges propriae belli temporibus pace facta sponte sua exolescunt. Tantum opus erat pacem hanc Iudaeorum et Gentium promulgari: quod fecit Christus tum voce sua, iam a discipulis discessurus, tum visis coelitus missis, tum palam Spiritu, miraculorum opifice, dato non tantum Iudaeis, sed et alienigenis qui in ipsum cre-

diderant. Nihil ergo a Christo factum est contra Legem Ritualem, sicut nec contra leges ad belli tempora pertinentes facit qui pacem sancit atque promulgat. Imo Ius hoc quoque a Christo ἐπληρώθη, primum quia et paruit ei et parcri praecepit, quamdiu ius illud valere Iuris auctor voluit: deinde quia homines perduxit ad puram piamque Dei venerationem, quod solum principaliter Deo fuisse propositum, sacrificiorum autem ritus ex occasione duntaxat institutos, Moses Maimonides ingenue fatetur, probatque sententiam suam his Ieremiae verbis: *Non egi cum Maioribus vestris neque praecepta ipsis dedi de holocaustis et victimis quo die eos ex Aegypto duxi, sed hoc est quod eis praecepi, ut voci meae auscultarent, egoque essem eis Deus et ipsi essent mihi populus*, 7: 22, 23; quo ipso loco adversus Tryphonem idem probat Iustinus Martyr. Ut autem πλήρωσις [*impletio*] ista magis esset conspicua, voluit Deus optimus maximus singulas prope circumstantias Iudaicorum rituum congruere rebus Christi. Atque adeo demonstratu facile est, ut inquit idem ille Martyr, *πάντα τὰ ὑπὸ Μωσέως διαταχθέντα* esse *τύπους καὶ σύμβολα καὶ καταγγελίας τῶν τῷ Χριστῷ γίνεσθαι μελλόντων, καὶ τῶν εἰς αὐτὸν πιστεύειν προεγνωσμένων, καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ὁμοίως γίνεσθαι μελλόντων* [*omnia illa quae a Mose constituta sunt* esse *figuras et signa et annuntiationes eorum quae Christo, et eis qui in ipsum credituri providebantur, erant eventura, et quae a Christo ipso erant facienda*]. Quare quod de vaticiniis dicit Christus, opportuisse ea in se πληρωθῆναι, idem ad ceremonias etiam suo modo referri potest. Sed eius rei accuratius tractandae materiam praebebit Epistola ad Hebraeos.

Restant Instituta ad Societatem Civilem pertinentia. In his autem exigit ubique gentium ipsa reipublicae necessitas, ut multa quae per se non probantur legum auctoribus, permittantur tamen ne maioribus malis detur occasio, aut etiam ne vilescant sine moribus leges. Quamobrem Cicero sententiam vult dici *ut in faece Romuli*, non *ut in Platonis Politia*. Sed et ipse Plato cum finxisset quandam ex suo ingenio rempublicam nullo ad homines respectu, aliam deinde descripsit in Legibus quam vocat ἐξ ὑποθέσεως [*ex suppositione*]. Alius quidam interro-

rogatus, εἰ τοὺς καλλίστους ἔθετο τοῖς πολίταις νόμους [*an optimas leges civibus suis praescripsisset*], respondit, οὐ τοὺς καθάπαξ καλλίστους, ἀλλ' ὧν ἐδύνατο τοὺς καλλίστους [*non optimas simpliciter, sed optimas ex iis quas potuisset*]. Talibus ergo institutis, quae Legum auctori expressit necessitas, si quis non utitur, aut alios etiam tam bonos reddit ut uti eis nolint, nihil profecto committit aut contra Legis verba aut contra sententiam: imo vero censendus est id facere quod Legis auctori maxime placet. Nam, ut ab Aristotele verissime scriptum est, omnibus Legum auctoribus propositum est cives bonos efficere. Caetera vero instituta quae ad veram virtutem videri poterant ἀδιάφορα [*media*], Christus nusquam oppugnavit: imo ipse eis paruit, et discipulos docuit cuiusque reipublicae legibus, quantumlibet humanis, obedire. Bene de Christianis Scriptor ad Diognetum: Πείθονται τοῖς ὡρισμένοις νόμοις, καὶ τοῖς ἰδίοις βίοις νικῶσι τοὺς νόμους [*Obediunt legibus constitutis, et vita sua superant leges*]. Quod si humanis eius generis legibus parere iussi sunt Christiani, multo magis iis quae Deum habebant auctorem. Attamen hoc etiam Ius emortuum est, cum in poenam Iudaeorum contumaciae exstinctum est quicquid reipublicae restabat: quia sublato eo quod principale est necesse est etiam accessiones corruere. Quare ne hanc quidem Iuris partem Christus oppugnavit: imo cum omnia eius generis instituta tendant ad alendam civium inter se concordiam, ipse ad veram pacem hominum animos flectendo, propositum istius etiam partis implevit.

Videmus igitur optime consentire Apostolos et secum et inter se et cum Christo. Nam illa quae in Lege sunt, ut Iustinus loquitur, φύσει καλὰ καὶ εὐσεβῆ καὶ δίκαια [*naturâ honesta, pia ac iusta*], *naturalia legis*, ut loquitur Irenaeus libro IV. cap. 27, perfecit Christus, explicans ea clarius quam ante unquam explicata fuerant, et praeceptis quibusdam exactioribus muniens, et in eorum obsequium animos redigens, promissorum magnitudine et certitudine, Spiritusque sui obsignatione. Atque hic est νόμος ille τέλειος, ut eum [*Lex illa perfecta*, ut eam] appellat Iac. 1: 25. Ritus autem implevit et consummavit Christus, id exhibendo cuius causa ritus erant reperti, quodque ritus ipsi fi-

gurabant. Delevit autem eosdem eo ipso implemento ac consummatione, non tollendo Legis vinculum, sed causam subtrahendo propter quam Lex ea nata erat et cui morienti ex primaevo decreto erat commoritura. *Νόμος πνευματικὸς* [*Lex spiritualis*] dicitur ob scopum illum in quem dirigitur. Dicitur et *σαρκικὸς* [*carnalis*] ob ritus in se spectatos, qui corpus a poena defendunt, caeterum spiritum hominis non perficiunt Hebr. 7: 11, 9: 9.

Ἢ τοὺς προφήτας, aut Prophetas] Spectantur hic *Prophetae* non tantum ut futurorum praesagi, verum etiam ut Legis interpretes et quotidiani commemoratores. Quo sensu a praecepto dilectionis *pendere* dicuntur *Lex et Prophetae* Matth. 22: 40.

18. *Ἀμὴν, Amen*] Vox haec Hebraea, quae modo in exordio, modo in clausula sermonis ponitur, diversas significationes habet, quae una voce Latina reddi nequeunt. Nam si *λόγος* sit *ἀποφαντικὸς, ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν καὶ ψεύδεσθαι ὑπάρχει* [*sermo* sit *enuntiativus, in quo verum aut falsum dicitur*], ut Aristoteles loquitur, idem valet quod Graecum *ἀληθῶς* [*vere*], atque ita vocem Hebraeam reddi tum a LXX Senibus, tum a Luca, viri doctissimi pridem annotarunt. At precandi optandive verbis adiunctum eam vim habet quam apud Latinos aut *quaeso* aut *utinam;* quo sensu a Septuaginta recte redditur *γένοιτο* [*fiat*]. Utramque autem significationem complectitur vox Graeca *ναὶ*, ut quae modo asseverat, modo desiderii vehementiam exprimit. Quare accurate Lucas *ἀμὴν* voce *ναὶ* transtulit; Paulus autem et Iohannes *ναὶ* et *ἀμὴν* coniunctum posuerunt, ut altera vox ab altera lucem acciperet. Vox autem haec Hebraea, ut valde efficax, etiam in Graeca lingua ab Hellenistis Iudaeis servata est: quos secuti Christiani, non in libris duntaxat sed in usu quoque populari eam retinuerunt, ut videre est 1 Cor. 14: 16.

Ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς, donec transeat coelum] *Παρέρχεσθαι* quidem *interire* hic significat, ut et 2 Petr. 3: 10. Neque tamen hic respici tempus *τῆς ἐκπυρώσεως* [*incendii universalis*], ut in Petri Epistola, sed dictum esse *παροιμιῶδες* [*proverbialiter*], quasi Latine dicas, *usque dum coelum ruat*, Lucas nos docet, apud quem haec sen-

ten-

tentia hunc in modum effertur: *Facilius sit coelum et terram perire quam ullum Legis apicem collabi.* In quo loquendi genere non Dei potentia sed naturalis ordo respicitur. At secundum naturam videtur hoc esse τῶν ἀδυνάτων [*inter impossibilia*], ut coelum aut terra pereat, quorum utrumque Hesiodus dixit Deorum immortalium

——— *ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.*

[——— *solidissima sedes.*]

Similia apud Graecos et Latinos passim reperire est, *Dum terra stabit*, *Dum astra current*, aut in hunc modum:

Desinet esse prius contrarius ignibus humor.

Atque id ipsum clarius conspicere est infra 24: 35, Marc. 13: 31, Luc. 21: 33, ubi ita loquitur Christus de suis praedictionibus agens: *Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι* [*Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*]. Nam postrema vox, quae est modi potentialis, ostendit sensum esse, prius fieri posse ut coelum ac terra pereant quam ut praedicta non impleantur. Quod autem prior vox istis locis posita est ὁριστικῶς [*in indicativo*] id ex Hebraismo venit. Sic Es. 54: 10, כי ההרים ימושו והגבעות תמוטינה וחסדי מאתך לא ימוש וברית שלומי לא תמוט. Ad verbum: *Nam montes movebunt se et colles nutabunt, et misericordia mea non recedet, et fedus pacis meae non movebit se:* id est, prius montes se moverent et colles nutarent quam hoc fieret. Simillimum loquendi genus Ps. 72: 7, עד בלי ירח [*donec auferatur Luna*], Graece ἕως οὗ ἂν ἀναιρεθῇ (male vulgo legitur ἀνταναιρεθῇ) ἡ σελήνη. Adde quod est Ier. 18: 8 et 10, 33: 20, 21.

Ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία, Iota unum aut apex unus] Certum quidem est et hoc esse παροιμιῶδες [*proverbiale*], qualia sunt pleraque in Domini nostri sermonibus de medio usu sumta. Atque necesse est id adagium ex scribendi ratione quae tum vigebat originem duxisse: unde sequitur iam tum in lingua Hebraica Iod literam minus spatium occupasse quam literas caeteras: ac proinde eos characteres quos sicli praeferunt, iam Christi tempore usurpari desiisse, et in usu fuisse quas habemus Assyriacas, ab

ab Esdrae, ut creditur, temporibus scribi Hebraeis coeptas. Κεραίας autem nomen ad puncta vocalia a quibusdam trahitur, sed idem est quod *apex* Latine. *Apices literarum* ipsos literarum ductus aut partes dixit Gellius, et hinc nata translatio, *de iuris apicibus disputare*. Etiam Aristides de Graecorum legibus aiens dixit νόμου κεραίαν [*legis apicem*]. In glossis veteribus, *Apex*, κεραία· γράμματος ἄκρον. Sed et apud Plutarchum, Dionem, Chrysostomum, Philonem Iudaeum, Clementem Alexandrinum, et in Pseudosibyllinis exstat vox κεραία eo sensu. Apice literam Resch a Daleth differre dixit Hieronymus. Eundemque, ni fallor, sensum recipit ﻃﺮﻑ quod hic posuit Arabs. Libros veteres etiam post Esdram sine punctis vocalibus scribi solitos, adeo perspicuis argumentis a viris harum rerum doctissimis demonstratum est, ut id amplius inficiari non nisi pertinacium sit.

Οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται, non praeteribit a Lege, donec omnia fiant] Παρέρχεσθαι est *irritum fieri*, ut infra 24: 34, quare ἕως [*donec*] hic vim habet adversativam. Non peribunt, inquit, quin imo penitus implebuntur. Quod quomodo ad ceremonias etiam pertineat, supra diximus. Sed de industria eam rem Christus obscurius tractat, ne teneriores animos offenderet. Nam hoc vel praecipue, ut prudenter ab Origene est annotatum libro contra Celsum secundo, inter illa erat quae ipsi Apostoli ferre nondum poterant, et quamobrem venire debebat Spiritus qui eos *duceret in omnem veritatem*, Ioh. 16: 13.

19. *Τῶν ἐντολῶν τούτων, de mandatis istis*] Hieronymus ad verba Legis refert; melius alii veterum ad mandata Regni coelorum, quae sunt τὸ πλήρωμα τοῦ νόμου [*implementum Legis*]. Ideo non dicit Christus ἐκείνων [*illis*] sed τούτων [*his*], respiciens tum ad praecedentia, in quibus sub beatitudinis descriptione compendium quoddam eorum mandatorum erat traditum, tum ad sequentia, quae fusiorem eorum explicationem continent. Est autem talis Christi argumentatio: Si Legem rumpere nulli licet, multo minus impune feret qui ea ruperit quibus praeparandis Lex ancillatur. Vide Hebr. 2: 2. Sua autem esse talia ostendit in sequentibus, λέγω γὰρ ὑμῖν [*dico enim vobis*], et deinceps.

Τῶν

Τῶν ἐλαχίστων, minimis] Subauditur κἂν [*vel*]. Sensus enim est: Si quis vel id contemserit quod minimum est in his praeceptionibus. Ita infra 25: 40, *ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μοῦ τῶν ἐλαχίστων* [*ex his fratribus meis minimis*], valet κἂν ἐλαχίστων [*vel minimis*]. Discant hinc Christiani, nullum esse in his Christi sermonibus praeceptum tam leve quod sine salutis detrimento liceat adspernari.

Καὶ διδάξῃ οὕτω, et docuerit sic] Hoc est διδάξῃ λύειν *docuerit solvere*]. Positum est autem καὶ [*et*] pro ἢ [*vel*]. Nam coniunctionem saepe pro disiunctione accipi et Grammatici et Iurisconsulti notant. Sensus est: Qui contra fecerit quive contra facere docuerit, minimi erit pretii. Clarum hoc faciunt quae sequuntur verba his verbis directe opposita.

Ἐλάχιστος κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, minimus vocabitur in Regno coelorum] De verbo καλεῖσθαι [*vocari*] diximus supra: illud autem ἐν hic positum arbitror ad temporis designationem. Plane ut apud Lucam 14: 14, *ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων* [*in resurrectione iustorum*]. Nam et alio loco idem Lucas quod dixerat ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ [*in Regno Dei*] 22: 16, mox exponit ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ [*donec Regnum Dei veniat*], 18. Neque de Ecclesia haec interpretanda iudico, sed de summa illa patefactione Divinae maiestatis in fine temporum, propter id quod sequitur, *non intrabitis in Regnum coelorum*. Scriptor Responsionum ad Orthodoxos: *Βασιλείαν Θεοῦ οἶδεν ἡ θεία γραφὴ λέγειν οὐ τὴν ἀνάστασιν ἁπλῶς, ἀλλὰ τὴν μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἀποκατάστασιν, ἐν ᾗ γίνεται κολαζομένων τε καὶ δοξαζομένων ἡ διαίρεσις* [*Regnum Deï solet Scriptura dicere non nude ipsam resurrectionem, sed restitutionem eam quae est post resurrectionem in qua fiet discrimen eorum qui punientur, et qui honorabuntur*]. Sensus ergo huius loci est, eum qui contra fecerit docueritve minimi habitum iri, tunc cum Regni coelestis consummatio advenerit.

Ὃς δ' ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, qui autem fecerit et docuerit] Quanquam haec praecipue Apostolos spectant, non ita tamen ad eos adstringenda sunt ut alii excludantur. Nam Christianorum omnium est non modo exemplo praeire aliis, sed et alios verbis commonefacere, Rom. 15: 14;

14, Col. 1: 28, ubi haec ipsa vox διδάσκειν [*docere*] reperitur.

20. *Ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν πλεῖον, nisi abundaverit iustitia vestra plus*] *Δικαιοσύνης* voce *obedientiam* significari supra diximus. Illud autem περισσεύσῃ πλεῖον Latine uno verbo vertere possis *superaverit*.

Τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, quam Scribarum et Pharisaeorum] *Legisperitos* Christus nominat ut Iudaeorum eruditissimos; Pharisaeos ut peculiaris sanctimoniae famæ nobiles, et quorum secta erat in Iudaismo ἀκριβεστάτη [*accuratissima*], Act. 26: 5. Hinc autem intelligi datur quam necessaria esset novae huius doctrinae promulgatio, cum qui sapientissimi ac religiosissimi inter Iudaeos habebantur, tum a sapientia tum a religione tam longe aberrarent, ipsique *filii Levi* aliorum purgatores *purgandi essent*, Mal. 3: 3. Multum autem ad horum verborum et eorum quae sequuntur intellectum refert, recte noscere quale fuerit de obedientia praestanda Deo dogma Legisprudentium et Pharisaeorum. A quo autem potius hoc discemus quam a Paulo Apostolo, qui et doctrinam Iudaicam a summo Legisperito Gamaliele hauserat, et Pharisaicae sectae nomen dederat? Is igitur eo tempore vixisse se ait *inculpatum, quod iustitiam attinebat eam quae est in Lege*, Gal. 3: 16. Ubi *Legis* nomen palam est ita usurpari quomodo retulimus a Seneca dictum, *exiguum esse quiddam ad legem bonum esse*. Quare et Legem hanc idem Apostolus passim discriminis causa *Legem factorum* vocat, eam nimirum Legem indicans quam in cognoscendis causis Hebraei Iudices sequi tenebantur: qui neque animum poterant introspicere, neque vero ad punienda omnia secus facta, sed ea duntaxat quae societatem civilem praecipue laederent, potestatem acceperant. Quo sensu et Clemens Alexandrinus cordis delictum vocat ἁμαρτίαν νόμῳ οὐχ ὑποπίπτουσαν [*peccatum quod Legi non subiacet*]. Sed Paganos tali quadam innocentia contentos vixisse minus mirum est, quos cum Christianis comparans Tertullianus ita loquitur; *Nos ergo soli innocentes? quid mirum, si necesse est. Enimvero necesse est: innocentiam a Deo edocti et perfecte eam novimus ut a perfecto Magistro revelatam, et fideliter custodimus ut*

ab

ab incontemtibili dispectore mandatam. Vobis autem humana aestimatio innocentiam tradidit, humana item dominatio imperavit: unde nec plenae nec adeo timendae estis disciplinae ad innocentiae veritatem. At de Iudaeis minus id videtur credibile, ut qui scirent Legem latam a Deo mentium inspectore, qui et ex animo se diligi vellet et pravas cupiditates interdiceret. Sed nimirum ita res fuit, quia talibus praeceptis poena nulla diserte erat apposita, ideo eam interpretabantur in consilii magis partem quam in Legis necessitatem, aut certe, partim quotidianis victimis partim annuo sacro piaculari, ita putabant eas labes expurgari ut nulla earum memoria apud Deum restaret. Verum esse quod dico, docet nos idem ille Paulus, qui se attenta demum Legis consideratione didicisse ait, pravas cupiditates in peccati esse censu, cum alioqui id ipsum fuisset ignoraturus, Pharisaicis nimirum praeiudiciis impeditus, Rom. 7: 7. Hinc est quod Tryphon Iudaeus adversus Iustinum disputans, ait tam magna tamque admiranda sibi videri τὰ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ παραγγέλματα [*praecepta quae sunt in Euangelio*] ut plane videantur a nemine posse praestari; interioris nimirum innocentiae mandata et eorum, quae pro parvis haberi solent vitiorum, fugam intelligens. Sed nihil apertius dici potuit eo quod scriptum reliquit Hebraeorum doctissimus David Kimchi, qui verba ista Ps. 66: 18. *Iniquitatem si vidissem in corde meo, non exaudisset Dominus*, plane contra Scriptoris sententiam ita interpretatur: *Etiamsi viderim iniquitatem in corde meo, quam vel paratus essem in actum perducere, utut illa sit coram Deo ac si eam labiis protulissem, tamen non audiet eam Dominus, quasi dicat non ducet mihi eam sceleri: cogitationem enim pravam Deus non habet vice facti, nisi concepta fuerit in Dei fidem atque religionem.* En quam manifeste omnia animi decreta, etiam quae quominus implerentur penes hominem non stetit, excepta sola defectione a Iudaismo, ait a Deo non imputari neque pro peccatis duci. Et hanc ipsam sententiam a multis Hebraeis probatam notat ad Decalogum Abenesdra. Quin et Iosephus in Pharisaismo, ut ipse fatetur, accurate institutus Polybium nobilissimum historiarum scriptorem

 re-

reprehendit, quod mortem Antiochi adscribat cogitato quidem sed non perpetrato sacrilegio, subiiciens, τὸ γὰρ μηκέτι ποιῆσαι τὸ ἔργον βουλευσάμενον οὐκ ἦν τιμωρίας ἄξιον [*nam cum nondum actu implesset id quod destinaverat, non erat ea res poena digna*]. Haec igitur est illa innocentia Pharisaica, quam Christus contra receptam tunc sententiam apud Deum non sufficere pronuntiat. Clemens Alexandrinus Pharisaicam et Christianam iustitiam hoc modo explicat: Ἐὰν μὴ πλεονάσῃ ὑμῶν ἡ δικαιοσύνη πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, τῶν κατὰ ἀποχὴν κακῶν δικαιουμένων, σὺν τῷ μετὰ τῆς ἐν τούτοις τελειώσεως καὶ τῷ τὸν πλησίον ἀγαπᾷν καὶ εὐεργετεῖν δύνασθαι, οὐκ ἔσεσθε βασιλικοί [*Nisi abundaverit vestra iustitia plus quam Scribarum et Pharisaeorum, qui iustitiam ponunt in mali abstinentia, nempe ut praeter talium implementum etiam proximum amare eique benefacere noritis, non eritis Regales*]. Quod eodem ferme recidit. Nam Lex dilectionis, quanquam factis impletur, tamen non venit ex certo praescripto, sed ex ubere animi bonitate. Sapientissimo autem consilio Christus verae sanctimoniae praecepta suis instillaturus primum amovet dogmata quae eius necessitatem conspici vetabant. Nam, ut recte ait Seneca, praemitti debent praeceptis decreta quaedam, ut illis decretis praecepta velut infixa penitius animo haereant.

Οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, *non intrabitis in Regnum coelorum*] Βασιλεία τῶν οὐρανῶν [*Regnum coelorum*], ut iam diximus, diversas notiones habet. Hic tamen non de doctrina aut coetu piorum, sed de praemiis aeternis has voces accipi aequissimum est. Primum, quia ferme, ubicunque in his libris invenitur *Regnum coeleste* iunctum *intrandi* verbo, gloria illa coelestis intelligitur, Matth. 7: 21, 18: 3, 19: 23, 24, Marc. 10: 23, 24, Luc. 18: 24, 25, Ioh. 3: 5. Act. 14: 22. In quibus locis, ut in hoc nostro, tacita est allusio ad comminationes illas in Lege, *Non intrabitis in Terram*, Num. 14: 30, Ps. 95: 11. Deinde quia in ipsius sermonis continuatione Christus τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*Regnum Dei*] opposuit *Gehennae*, ut palam videre est apud Marc. 9: 47. Hieronymus adversus Pelagium, qui dixerat Regnum coelorum in Veteri Testamento repromitti, *perspicu-*

cuum esse, inquit, *Regnum coelorum primum in Euangelio praedicari.* Cui convenit illud Chrysostomi: *Legens Legem, legens Prophetas, legens Psalterium, nunquam Regnum coelorum audivi nisi in Euangelio.* Quibus consentit Augustinus: *Denique quod non temere dixerim, nescio utrum quisquam in illis libris inveniet nomen Regni coelorum, quod tam crebro nominat Dominus.* Et hoc quidem dictum sit quod vocem ipsam attinet. De re vero ipsa agens adversus Pelagium Augustinus in libro de gestis Synodi Palaestinae, distinguit nomen *Veteris Testamenti:* nam eo intelligi ait aut pactum illud quod in monte Sinai factum est, aut omnia quae in Mose et Prophetis continentur. Pactum in Sinai monte factum, quod et saepe *Legem* vocant, promissa dicit habuisse terrena, et quidem terrena tantum: quod saepe probat verbis Pauli ad Gal. 3: 12, *qui fecerit ea* (scilicet opera Legis) *vivet in eis*, id est habebit praemium ne ista morte moriatur, ne lapidationem, gladium vel aliquid huiusmodi patiatur. Nihilominus fatetur et Augustinus et Christiani Scriptores alii, etiam Legis tempore non defuisse qui maiora terrenis bonis sperarent. Sed hoc haustum aiunt non ex Lege sed ex Patribus, quibus Deus multis indiciis spem maioris boni fecerat: in quo indiciorum genere non minimum est et illud, quod multi eximie boni terrestris felicitatis expertes vixerunt, quod argumentum late prosequitur Scriptor ad Hebraeos cap. 11. Addunt iidem Scriptores terrena illa promissa data Legi operum, signa fuisse eorum bonorum quae Legem spiritus sequebantur; sed hoc intellectum a paucis: qui scilicet quanquam Veteris Testamenti tempore vixerunt, ad gratiam tamen pertinebant eam, quae Novi Testamenti temporibus revelata est. Philo in historia Legationis suae: *Ἦ οὐκ ἐνετράφης, οὐδ' ἐνησκήθης τοῖς ἱεροῖς γράμμασιν; ἐλπίδων εἰσι πλήρεις οἱ ὄντως εὐγενεῖς· καὶ οἱ νόμοι τοῖς ἐντυγχάνουσι μὴ χείλεσιν ἄκροις ἐλπίδας ἀγαθὰς δημιουργοῦσιν* [*An non educatus exercitatusque es in Sacris Literis? Pleni sunt spei illi qui vere sunt generosi: ipsaeque Leges iis, qui non summis tantum labiis eas delibant, spes optimas efficiunt*]. Iosephus Albo Iudaeus hac de re disputans ait: *Diserte quidem in Mosis Lege non promitti spiritualem fe-*

felicitatem; sed signis tamen quibusdam et involucris eam indicari: idque factum quia Lex non tantum data est doctis et sapientibus, sed universo populo, in quo rudes perspicacioribus erant permixti: quare in communi promulgatione ea poni debuisse quae ab omnibus percipi omniumque animos movere possent; esse autem eiusmodi αἰσθητὰ [sensibus obnoxia], *cum τὰ νοητὰ* [quae intelliguntur] *apud sapientes tantum valeant, vulgi autem iudicio ne credibilia quidem videantur. Hac*, inquit, *de causa Lex res corporales atque conspicuas et in vulgi notitiam cadentes explanate proposuit, ea vero quae solo intellectu capiuntur sub signorum involucris.* Haec ille acerrimi iudicii Iudaeus. Nimirum id quod mente sola percipitur tale est quale dixit Xenophanes:

Οὐκ ἔςιν πελάσασθ' οὐδ' ὀφθαλμοῖσιν ἐφικτὸν
Ἡμετέροις, ἢ χερσὶ λαβεῖν· ἧπερ τε μεγίςη
Πειθοῦς ἀνθρώποισιν ἀμαξιτὸς εἰς φρένα πίπτει.
[*Res ad eas non est accedere, sed neque nostris*
Usurpare oculis manibusve prehendere fas est,
Ducit ad humanas via quae certissima mentes.]

Talia autem esse bona vitae alterius aperte pronunciat Paulus 1 Cor. 2: 9. Non mirandum igitur, si populo crasso, et, quod ex omni historia apparet, valde σαρκικῷ [*carnali*] Deus non aperte proposuit ea quae captum illorum excederent; sed ipsorum ingenio se accommodans rerum adspectabilium commodis atque incommodis imminuere voluit adultam peccandi consuetudinem. Sicut nimirum parentes primae aetatis liberos non alliciunt spe hereditatis, quam non intelligunt, sed partim verberum metu a delinquendo absterrent, partim, ut ait ille,

——— *pueris dant crustula blandi*
Doctores, elementa velint ut discere prima.

Neque tamen per haec rudimenta exercitis via erat adempta profectus melioris. Aderant quippe Prophetae, qui obtecta evolverent et singulis tantum aperirent, quantum captus ipsorum et utilitatis ratio ferebat. In publicis autem concionibus Prophetae ac sapientes ita loquebantur, ut nec in contemtum adducerent arcana sanctioris disciplinae, et tamen auditorem attentum ad investigandi sollicitudinem excitarent. Bene Iustinus: *Ὅσα εἶπον καὶ ἐποί-*

ησαν

πάλαι οἱ προφῆται παραβολαῖς καὶ τύποις ἀπεκάλυψαν, ὡς μὴ ῥᾳδίως τὰ πλεῖςα ὑπὸ πάντων νοηθῆναι, κρύπτοντες τὴν ἐν αὐτοῖς ἀλήθειαν, ὡς καὶ πονέσαι τοὺς ζητοῦντας εὑρεῖν καὶ μαθεῖν [*Quae dixere et fecere Prophetae ea comparationibus et figuris involverunt, ut non facile pleraque ab omnibus intelligerentur: ideo vero absconderunt veritatem, ut laborandum haberent qui illam invenire ac discere cuperent*]. Quem sequitur Origenes contra Celsum VII: Οἱ μὲν οὖν προφῆται ὅσα ἦν αὐτόθεν νοηθῆναι τοῖς ἀκούουσι χρήσιμα καὶ συμβαλλόμενα τῇ τῶν ἠθῶν ἐπανορθώσει χωρὶς πάσης ἐπικρύψεως κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Θεοῦ εἰρήκασιν· ὅσα δὲ μυςικώτερα ἦν καὶ ἐποπτικώτερα, καὶ ἐχόμενα θεωρίας τῆς ὑπὲρ τὴν πάνδημον ἀκοὴν, ταῦτα δι' αἰνιγμάτων καὶ ἀλληγοριῶν καὶ τῶν καλουμένων σκοτεινῶν λόγων καὶ τῶν ὀνομαζομένων παραβολῶν ἢ παροιμιῶν ἀπεφήναντο, ἵνα οἱ μὴ φυγοπονοῦντες, ἀλλὰ πάντα πόνον ὑπὲρ ἀρετῆς καὶ ἀληθείας ἀναδεχόμενοι, ἐξετάσαντες εὕρωσι, καὶ εὑρόντες, ὡς λόγος αἱρεῖ, οἰκονομήσωσιν [*Prophetae ea, quae facile percipi poterant esse audientibus utilia et ad mores sanandos conducentia, sine ullis involucris secundum voluntatem Dei dixere; quae vero magis erant mystica atque recondita, et considerationem requirentia supra quam fert vulgaris auditus, haec per scirpos et locutiones aliud sonantes, per sermones qui dicuntur obscuri, per ea quae parabolae et adagia nominantur, extulerunt: ita ut qui segnes non essent, sed laborem quemvis veri piique causa susciperent, quaerendo invenirent, et inventis ut ratio poscit, uterentur*]. Atque hinc natum arbitror discrimen antiquitus inter Iudaeos celebratum, ut ex Iosepho, Philone, aliisque apparet, scriptae Legis et Legis vocalis, תורה שבעל פה [*Lex quae per os*], quam et קבלה [*traditionem*], hoc est παράδοσιν, vocant: utramque dicentes a Mose profectam: quod ea quae Lege scripta occultius continebantur, studiosis indagatoribus enodaret accurata interpretatio. Et haec quidem docendi ratio apud populum crassior, limatior apud τοὺς προκόψαντας [*eos qui multum profecerant*] obtinuisse videtur ad ea tempora quae Babylonicum exsilium sunt secuta. Tum vero gravi periculo imminente, ne populus solitus ea tantum audire quae in sensum caderent, ablato splendore

Iu-

Iudaici imperii, gemens sub externo dominatu, damni; cruciatus, mortis denique metu sollicitus deficeret a Iudaismo, primus omnium Daniel *resurgendi* verbo usus est, ambiguo quidem, sed in quo magnum aliquid latere crederetur. Danielem secutus Ezechiel. Ad quod respiciens Scriptor Paraeneseos ad Graecos, inter opera Iustini, quae de iudicio post hanc vitam habet Plato, ait e Prophetis hausta. Hinc incipiunt Sapientes, quos חכמים vocant, qui humanitus non Divinitus eruditi, Prophetis, sed impari auctoritate, successerunt. Hi quoque necessarium iudicarunt ex Danielis verbis sublimius intellectis populum adversus tentamenta praemunire. Quod fieri satis non poterat, nisi palam Dei causa morientibus proposita spe vitae melioris. Itaque ea tum doctrina velut e latebris educta et certis vocibus obsignata est. Hinc illud Taciti de Iudaeis: *Animas praelio aut suppliciis peremtorum aeternas putant. Hinc moriendi contemtus.* Numenius quoque libro primo de Bono, inter nationes Platoni de animorum immortalitate consentientes posuit Brachmanas, Iudaeos, Aegyptios. Neque vero animarum tantum immortalitatem, sed et resurrectionem, id est, quandam corporis recuperationem, palam traditam creditamque, tum ex Scriptoris ad Hebraeos cap. 11 tum ex Act. 23: 8, manifestissime apparet. Quibus addendi loci illustres duo ex historia Maccabaica lib. II, cap. 7, quorum prior sic habet: Ὁ τοῦ κόσμου βασιλεὺς ἀποθανόντας ἡμᾶς ὑπὲρ τῶν αὐτοῦ νόμων εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς ἡμᾶς ἀναστήσει [*Rex Mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit*]; alter vero ita: Οἱ μὲν γὰρ νῦν ἡμέτεροι ἀδελφοὶ βραχὺν ὑπενέγκαντες πόνον, ἀεννάου ζωῆς ὑπὸ διαθήκην Θεοῦ πεπτώκασιν [*Fratres nostri, modico nunc labore sustentato, sub testamento Dei vitae aeternae ceciderunt*]. Statum piarum animarum post mortem, ab horto illo in quo Adam initio constitutus fuerit גן עדן Hebraice, Graece παράδεισον [*Paradisum*] appellarunt, ut apud Philonem etiam et Iosephum videre est. At statum post resurrectionem excellentiori vocabulo dixerunt Hebraice מלכות אלהים [*Regnum Dei*] aut מלכות השמים [*Regnum coelorum*], Graece βασιλείαν τοῦ Θεοῦ aut βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, quo pertinet inter caetera locus ille

Si-

Sirachidae: *Δίκαιοι δὲ εἰς αἰῶνα ζῶσι, καὶ ἐν Κυρίῳ ὁ μισθὸς αὐτῶν, καὶ ἡ φρόντισις αὐτῶν παρὰ ὑψίστῳ· διὰ τοῦτο λήψονται τὸ βασίλειον τῆς εὐπρεπείας καὶ τὸ διάδημα τοῦ κάλλους ἐκ χειρὸς Κυρίου* [*Iusti autem in sempiternum vivunt, et in Domino merces eorum, et cogitatio ipsorum apud Altissimum: idcirco accipient Regnum decoris et diadema speciei de manu Domini*]. Hoc dogmate animati Maccabaicis temporibus plurimi prae Legis studio exquisitissimas mortes pertulerunt, ut illorum temporum Annales nos docent, et a Scriptore ad Hebraeos sapienter annotatum est. Et Chaldaeus Paraphrastes ad Genesin, qui ante Christum fuisse creditur, iudicii post hanc vitam, tum alibi tum in Abelis historia apertam facit mentionem.

Quae cum ita sint, haud immerito quaeritur, quo igitur sensu Christus *vitam atque immortalitatem per Evangelium in lucem produxisse* dicatur, 2 Tim. 1: 10. Nimirum, sicut inter Graecos Philosophos immortalitatem animorum alii asserebant, alii negabant, Socrates vero id tanquam in medio relinquebat, quem secutus videtur Aristoteles multum hic haesitans, ut et Latinorum Cicero et Seneca: ita apud Iudaeos *δόγμα* [*placitum*] tanti ad pietatem momenti erat *τῶν ἀμφισβητουμένων* [*inter controversa*]. Aiebant Pharisaei, sed negabant Sadducaei, quippe nihil recipientes nisi quod totidem verbis in Mose expressum invenirent. Pharisaeis contra ferme nihil habentibus quo probarent quod contenderent praeter traditionis auctoritatem, inter diversae Scholae certamina fluctuabant multorum animi. De impiorum exitu res erat plane incerta, ut et nunc est apud Iudaeos: nam alii resurrecturos credebant, contradicentibus aut distinguentibus aliis. Christus his tam controversis atque caliginosis attulit definitionis suae lucem, et poenas impiorum et piorum praemia non tantum diuturna, ut multi putaverant, sed et aeterna, et quidem non qualiacunque, sed quae in Angelorum consortio et Dei ipsius conspicua ac singulari praesentia consisterent, ut rem certam minimeque dubiam, publice omnibus annuntians. Cui doctrinae obsignandae cum mortuos in vitam palam revocaverit, ipse se post mortem obitam vivum multis ostenderit, quosdam etiam per Apostolos vitae reddi curave-

verit, nihil iam potuit ab aequis animis amplius ad fidem ei rei faciendam desiderari.

Ex his quae diximus apparet, verum quidem esse quod dixerant citati a nobis Scriptores, vocem *Regni Divini* aut *coelestis* hoc sensu a Mose et Prophetis non usurpari, attamen non eam a Christo primitus repertam, sed desumtam ex sermone populari, unde et *Paradisi* et *Gehennae* nomina accepit. His si iungamus ea quae modo de Pharisaica Legis obedientia dicta a nobis sunt, iam clare apparebit fons eius erroris qui hic et omni consequenti sermone a Christo tam diligenter refellitur. Innocentia enim illa factorum habebat suam δικαίωσιν [*iustificationem*], sed apud homines; et proderat ad temporalem felicitatem. At Regnum coelorum a Deo spiritu, non isti corporali innocentiae, sed spirituali iustitiae erat destinatum, cuius fons est fides vera quae in animo sita est. Nam Lex illa exterius spectata non poterat τελειοῦν τὴν συνείδησιν [*conscientiam perfectam facere*], Hebr. 9: 9, sed proderat πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα [*ad emundationem carnis*], ibid. 13. Ex hoc pernicioso errore illud etiam sequebatur, quod cum facta illa externa crederent non minus apud Deum quam apud homines sufficere, de serio expetenda peccatorum remissione non erant solliciti, neque vero expurgandis animis, exstirpandisque vitiis illis quae inter homines dissimulari solent, operam navabant; neque Messia tali opus sibi putabant qui medicinam afferret ei parti quam ipsi aegrotare non sentiebant. Et hoc est quod multis locis Christus illis exprobrat, et Paulus ad Romanos Epistola, dilucide ostendens hoc esse illis exitiale, quod *Dei iustitiae*, quae est spiritualis, *se non subiicerent*, *quaerentes stabilire suam* quandam, hoc est humanam, *iustitiam*. Erant et alii errores Pharisaeorum, ut quod hominum constitutiones Divinis mandatis aequarent, interdum praeferrent etiam; quod saepe ne exteriorem quidem illam innocentiam praestarent, intenti frigidis quibusdam ceremoniis, quibus etiam gravia delicta expiari posse confiderent: sed istos hoc loco Christus non attingit. Nam benigne illis largiens praestari ab ipsis eam innocentiam quae poenas in Lege expressas effugeret, ostendit inde falso ab ipsis concipi spem adipi-

pi-

piscendi Regni coelestis. Aliam enim longe obedientiam ab iis requiri qui tantae gloriae essent candidati. Bene Clemens Alexandrinus: *Τῷ τελείῳ οὐκ ἐν συμβολαίοις πολιτικοῖς, οὐδὲ ἐν ἀπαγορεύσει νόμου, ἀλλ' ἐξ ἰδιοπραγίας καὶ τῆς πρὸς Θεὸν ἀγάπης ἡ δικαιοσύνη* [*Homini perfecto iustitia sita est non in Civilibus contractibus, aut in Lege interdictis, sed in sponte factis et Dei dilectione*]. Haec si quis diligenter consideraverit, facile animadvertit ea quae deinceps dicturus est Christus in hoc sermone, non relinquere consilii libertatem, sed intra certos fines imponere praecepti necessitatem, neque ad solos Apostolos et Episcopos, sed vero ad omnes eos qui Regni coelestis participes fieri expetunt pertinere.

21. *Ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, dictum esse antiquis*] De horum quoque verborum sensu, qui non parum ad consequentium intelligentiam facit, variant Interpretes. Alii enim *τοῖς ἀρχαίοις* positum putant pro *ὑπὸ τῶν ἀρχαίων* [*ab antiquis*], alii pro *πρὸς τοὺς ἀρχαίους* [*ad antiquos*]; rursum *ἀρχαίους* alii referunt ad Mosis tempora, alii ad aetatem quae Esdrae et Christi tempora intercessit. Ego pro comperto habeo dandi casu non eos qui verba fecerant, sed eos ad quos verba facta erant, indicari. Evidens enim est oppositio, *Dictum est antiquis; Ego autem dico vobis:* quare quomodo hoc *vobis*, ita et illud *antiquis* sumendum est. Ac passim videre est in his libris nomina *δοτικῆς πτώσεως* [*casus dativi*] adiuncta verbis quae dicendi habent notionem hoc sensu usurpari: nec Graecorum qui in hunc locum scripsere quisquam aliter est interpretatus. Superest videamus ad quae tempora antiquitas haec sit referenda. Cur eorum accedam sententiae qui ab ipso Mosis tempore hanc antiquitatem repetunt, has causas habeo. Primum quod vox illa *ἀρχαῖος* et plerumque apud Graecos longaevam quandam vetustatem significat, et apud Novi Testamenti Scriptores eundem ferme usum habet. Nam excepto eo loco qui est Act. 21: 16, alibi ad Prophetarum aut Mosis aetatem aut etiam ulterius refertur, ut videre est Luc. 9: 8, 19, Act. 15: 7, 21, 2 Cor. 5: 17, 2 Petr. 2: 5, Apoc. 12: 9, 20: 2. Deinde verba quae recitat Christus, ea ipsa sunt quae in Lege reperiuntur, interdum nulla interpretatione

adiecta, ut infra 27, 31, 33, 38. Et quod hic adiicitur *obnoxius erit iudicio*, quodque infra additur commate 45, *hostem odio habebis*, non esse extra Legis sententiam infra explanabitur. Adde iam quod plerumque Apostoli comparationem instituunt inter eos qui Mosem doctorem ducemque habuerunt, et Christi sectatores, et ita quidem ut his maiorem multo quam illis lucem affulsisse testentur, 1 Cor. 10, Hebr. 2. Quin et pactum hoc Novi Foederis ostendunt multis partibus praestare ei pacto quod in monte Sinai promulgatum est, Gal. 4: 24, Hebr. 8: 6 et deinceps. Quare videtur Christus de iure Mosaico hic agere eo sensu quo de eo iure loquebantur Legis periti et Pharisaei, et quomodo id ius in iudiciis forensibus vigebat, ad quae Christum alludere ex commate proxime sequenti manifestum est. Et vero credibile est etiam Mosis tempore multos de populo illo, ut erant σαρκικοὶ [*carnales*], nec penetrasse in ea quae sub umbra latebant, nec multum attendisse ad ea mandata quae contra facientibus nullum supplicium minabantur. Sensus ergo est: Maioribus quidem vestris ista dicta sunt, quae illi ut erant σαρκικοὶ non nisi σαρκικῶς [*carnaliter*] interpretabantur: At ego, qui colligere volo populum spiritualem, sicut clare et sine involucris praemia vobis propono spiritualia, et poenam quae non sit huius vitae contumacibus denuntio, ita etiam aperte atque explicate vobis dictabo praecepta, quorum vim potissimam in ipso spiritu consistere minime obscurum sit.

Ὃς δ' ἂν φονεύσῃ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει, *qui autem occiderit, reus erit iudicio*] Non exstat quidem hoc totidem verbis in Lege, sed sensus est apertus, Lege praecipi ut homicida deducatur ad Iudices et ex eorum sententia condemnatus capitali supplicio afficiatur, Levit. 24: 21, Num. 35: 16, 17, 30. Unde apparet ut hoc, ita et sequenti commate κρίσιν [*iudicium*], quod Matthaeus dixit דין non esse consessum Triumvirorum sive pedaneorum Iudicum, sed auditorium Iudicum qui in portis cuiusque civitatis ius super causis maioribus reddebant, et in homicidas etiam lege agere solebant, de quibus agitur Deut. 16: 18, 21: 2. Quanquam enim capitalia iudicia iam eo tempore cum Christus haec diceret Iudaeis erant ad-

ademta, erat tamen mos ille iudiciorum notus omnibus et in recenti memoria. Cum autem consessum istorum Iudicum Hebraei omnes dicant fuisse viginti trium, mirum multis videtur quod Iosephus, quem patrii moris nihil latuit, septem solos statuere videtur: ita enim ait in Legum descriptione: Ἀρχέσθωσαν δὲ καθ' ἑκάστην πόλιν ἄνδρες ἑπτὰ, οἱ καὶ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν περὶ τὸ δίκαιον σπουδὴν προησκηκότες [*Praesint autem civitati cuique homines septem, qui in virtute et aequi studio ante exerciti fuerint*]. Sed mihi ipse Iosephus hunc nodum solvere videtur, cum verbis sequentibus dicit: Ἑκάστῃ δὲ ἀρχῇ ἄνδρες δύο ὑπηρέται διδόσθωσαν ἐκ τῆς τῶν Λευιτῶν φυλῆς [*Cuique autem Magistratui bini attribuantur administri ex Levitica Tribu*]. Nam ἀρχὴν intelligit singulos magistratum gerentes, quibus singulis bini erant additi assessores periti iuris, quos Iosephus ὑπηρέτας vocat, quod est Hebraice שוטרים. Septem ergo municipes loci erant Iudices, praeterea Adsessores XIV qui ex Levitis maxime sumebantur. His supernumerarii accessisse videntur unus et alter.

22. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, *ego autem dico vobis*] Sapientissime Christus delicta omnia refert ad eiusdem generis praecepta. Nam quia ex ira atque convitiis nasci solent homicidia, ut modo ex Aristotele recitabamus, ὁ θυμὸς πάθος φόνων αἴτιον [*ira affectus est qui caedibus causam dat*], ideo iram eiusque propagines ad praeceptum de homicidio refert.

Ὁ ὀργιζόμενος, *qui irascitur*] In hac tractatione diligenter distinguenda sunt τὸ πάθος, ἡ ὁρμὴ, ἡ συγκατάθεσις [*innata qualitas, impetus, consensus*]. Πάθος est facultas illa qua irascimur, τὸ θυμοειδὲς, quod a natura nobis insitum evelli nequit, et in rebus est mediis quibus recte aut secus uti liceat. Quia autem pars ista animi in qua sunt τὰ πάθη [*qualitates innatae*] per se est ἄλογος [*rationis expers*], inde fit ut non exspectato rationis iudicio ὁρμαὶ [*impetus*] se exserant: quae nisi diligenter refraenentur, solet sequi συγκατάθεσις [*consensio*], cum scilicet pars illa quae data est moderandis affectibus, habenis remissis trahi se patitur. Est igitur, ut Gellius dicit, συγκατάθεσις voluntaria, fitque hominis arbitratu. Sed et pri-

primi illi motus, quos Philosophi comparant oculorum nictibus, ne aut durent diu aut invalescant, diligenti attentione atque exercitatione, ante omnia vero Dei Spiritu, obtineri solet. Oportet igitur, ut Plutarchus loquitur, *τὰς ἑκάςοτε προσπιπτούσας ὀργὰς διορθοῦσθαι καὶ διανεύειν* [*iras subinde incidentes corrigere et detorquere*]. Deinde addit, *ἀλλ' ἐπιμελείας εἰς αὐτὰ δεῖ καὶ μελέτης* [*sed has ad res cura et exercitatione opus*]. Alii *ὁρμὰς* [*impetus*] vocant *προπαθείας*, easdem autem adultas vocant *πάθη*. Hieronymus epistola ad Demetriadem: *Difficile quin potius impossibile perturbationis initiis carere quempiam, quas significantius Graeci προπαθείας vocant.* Idem ad Eustochium De custodia virginitatis: *Ille laudatur, ille praedicatur qui ut coeperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, et allidit ad petram. Petra autem Christus est.* Ipsa quoque *πάθη* gradibus quibusdam distingui solent. Egregius est ad hoc argumentum pertinens locus Senecae libro de Ira II. cap. 4. *Et ut sciat quemadmodum incipiant affectus, aut crescant, aut efferantur; est primus motus non voluntarius, quasi praeparatio affectus, et quaedam comminatio; alter cum voluntate non contumaci, tanquam oporteat me vindicari, cum laesus sim, aut oporteat hunc poenas dare, cum scelus fecerit; tertius motus est iam impotens, qui non, si oportet, ulcisci vult; sed utique, qui rationem evicit. Primum illum animi ictum effugere ratione non possumus; sicut ne illa quidem quae diximus accidere corporibus, ne nos oscitatio aliena sollicitet, ne oculi ad intentionem subitam digitorum comprimuntur. Ista non potest ratio vincere; consuetudo fortasse et assidua observatio extenuet. Alter ille motus, qui iudicio nascitur, iudicio tollitur.*

Τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ, fratri suo] Id est, alteri cuivis. Hebraismus. Nam Hebraei ita loqui solent: Gen. 26: 31, Ioel. 2: 8, etiam de rebus inanimis, ut Exod. 26: 3, Ezech. 1: 9 et 23, 3: 13. Hic igitur *frater* est homo quivis. Sic infra: *Nisi remiseritis hominibus.*

Εἰκῇ, inconsulto] Merito hoc additum. Neque enim iracundus est quisquis irasci solet, sed qui *οἷς οὐ δεῖ, καὶ ἐφ' οἷς οὐ δεῖ, καὶ μᾶλλον ἢ δεῖ* [*quibus non oportet,*

et

et ob quae non oportet, et plusquam oportet], ut Aristoteles loquitur. Est igitur εἰκῆ aut *sine causa*, aut etiam *sine modo*. Illa ira optimam causam habet quae concipitur ex dolore laesi Numinis, qualis illa fuit Christi Marc. 3: 5. Sed et in humanis rebus honesta esse potest ira, praesertim cum non tam nostra quam aut virtutis ipsius, aut etiam hominum aliorum res agitur: cumque dicere licet illud Sosiphanis:

Νῦν σοι πρὸς ὄψιν θυμὸς ἡβάτω, γέρον·
Νῦν δεῖ γὰρ ὀργὴν, ἡνίκ' ἔνδικον, λαβεῖν.
[*At nunc tibi ira purpuret vultum, senex:*
Quum ius et aequum poscit, irasci decet.]

Sed tunc quoque oportet nos παραδεξαμένους τὸν θυμὸν ὡς σύμμαχον ἀρετῆς, ἀπολαύειν ὅσον χρήσιμόν ἐςι· τὸ δὲ πολὺ αὐτοῦ καὶ τὸ ἐπιπόλαιον ἐκκρίνειν καὶ ἐκβάλλειν τῆς ψυχῆς [*accepta ira velut propugnatrice virtutis uti, quatenus expedit; at nimium eius et supervacuum excernere et ex animo eiicere*], ut Plutarchi utar verbis. In modo autem comprehenditur tum ne plus aequo irascamur, tum ne aequo diutius. Adversus priorem partem huius cautionis delinquunt οἱ ὑπὸ μικρῶν ἁμαρτημάτων ἀνυπερβλήτως ὀργιζόμενοι [*qui ob modica delicta supra modum irascuntur*], qui, ut aiebat Philosophus Apollonius, non permittunt delinquentibus scire quando plus minusve deliquerint. In alteram partem peccant illi, qui plumbeas, et, quod dici solet, immortales iras gerunt, quos Arianus comparat τοῖς λεπτῶς πυρέττουσι [*tenuiter febrientibus*]. Haec est nimirum radix illa πικρίας [*amaritiae*] in corde germinans, quam caveri praecipit Scriptor ad Hebr. 12: 15, quo et illud Pauli monitum pertinet, cum nos ita vult irasci ut ne peccemus, id est, ne aequi modum excedamus, quod ipse ita explicat, ne ad Solis occasum producamus iram, Eph. 4: 26. Et haec dicta sunto quo rectius intelligatur vis vocis εἰκῆ, quam quidem Syrus interpres tam propriam atque significantem hoc loco existimavit, ut retinere eam maluerit quam vertere. Quominus accedendum Hieronymo hanc vocem eradenti ex quorundam exemplarium fide, praesertim cum et Graecos interpretes eam legisse appareat, et Iustinus ipse ita proferat hanc sententiam Epistola ad Zenam et Serenum;

 dein-

deinde et Irenaeus duobus locis lib. II. cap. 56, et lib. IV. cap. 31. Multo credibilius est, inductam ab iis qui metuebant ne hic omnis ira ex iusta aliqua causa procedens probari videretur, cum vox εἰκῆ, ut diximus, latius pateat.

Ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει, *reus erit iudicio*] Legisperiti, inquit, Christus, ea tantum pro delictis habent quae solent legitimis poenis coerceri: ideoque ab homicidio absterrent homines, quia homicidas gladio feriri Lex imperat. At ego etiam iracundiam volo caveatis, certo persuasi ei quoque propositam esse poenam in seculo altero, non minus gravem quam ea est quam hic homicidae sustinent. Quod si quis iracundiae maledicentiam adiunxerit, is poenam istâ graviorem feret, qualis est poena lapidationis; aut etiam, si atrocior fuerit maledicentia, exquisitiores cruciatus sentiet, quales esse illorum solent qui in valle Hinnomi lentis ignibus ustulantur. Haec mihi simplicissima videtur huius loci παράφρασις [*uberior explicatio*], cuius rationes membratim reddemus. Κρίσις [*iudicium*], ut commate praecedenti didicimus, est Consessus XXIII virum, quanquam et Magnus Senatus, de quo post acturi sumus, vocatus est דין, unde is qui alter erat a principe Senatus vocari solebat אב בית דין ὁ πατὴρ τοῦ οἴκου τῆς κρίσεως [*Pater domus iudicii*], sicut et vicissim Consessus XXIII Iudicum appellabatur συνέδριον [*Synedrium*], sed distinctionis causa videtur usu receptum ut Consessus ille singularum civitatum κρίσις, summus autem ille συνέδριον vocaretur. Κρίσεως autem poena usitatissima erat gladius, quia de homicidis inibi cognoscebatur, ut et Moses nos docet, et Christus commate antecedente. Volens autem indicare Christus poenarum gradus futuros in altero seculo, pro delictorum gradibus, ei rei explicandae similitudinem adhibuit diversarum mortium quae populo notae, cruciatus magnitudine differebant.

Ὃς δ' ἂν εἴπῃ, *qui autem dixerit*] Repetendum ἀπὸ κοινοῦ [*ut communiter dictum*] quod praecessit εἰκῇ ὀργιζόμενος [*inconsulto irascens*]. Agit enim de eo qui temerariae iracundiae indulgere solitus etiam ad maledicta prorumpat. Nam ut Ariston dixit, τὴν κακολογίαν ἡ ὀργὴ φαί-

φαίνεται ἀπογεννῶσα, ὥςε ἡ μήτηρ οὐκ ἀςεία [*videtur ira maledicentiam ex se gignere, ut inelegans mater*]. Vox *Rica*, quod mutata vocali Syrorum sermo *raca* pronuntiat, ut apparet, minus aliquid est quam μωρὲ [*fatue*]. Significationem autem habet *vani*, quod et Latinis in convitio, ut, *vane Ligur*, *senior vanissime*. Non est autem in ipsa voce crimen positum. Quippe et ἄνθρωπε κενὲ [*homo inanis*] dixit Iac. 2: 20, quod est proprie *Rica* (nam et Graeci quidam interpretes quod est Iudic. 11: 3, אנשים ריקים verterunt ἄνδρες κενοὶ [*vani homines*], et Hesychius ῥακά· κενός [Raca, *vanus*]) et illud quod diximus μωροὶ [*stulti*] ad Pharisaeos Christus extulit infra 23: 17, 19, et ἀνοήτους [*stultos* sive *vecordes*] discipulos suos vocat Christus Luc. 24: 25, et Galatas Paullus Gal. 3: 1, 3, ut iam omittam quae duriora sunt, ut, *progenies viperarum*, *simulatores*, atque alia eiusmodi. Sed nimirum dicta sunt haec ab iis quibus alios castigandi officium incumbebat, quique nihil in eo privatim spectabant, ex causis gravissimis, atque eo proposito ut aliorum animi talibus stimulis ex veterno excitarentur. At Pharisaei non tantum modum non servabant, sed innocentissimum quemque convitiis impetebant animo malevolo, quod Christus et ipsius sectatores saepissime sunt experti. Nimirum hic quoque morbus ab aliquoties iam indicato errorum fonte processerat. Lex enim Mosis id genus iniurias non exsequebatur, nisi quis aut parentibus aut Principi maledixisset.

Ἔνοχος ἔςαι τῷ συνεδρίῳ, reus erit Concilio] Quia hic primum haec vox occurrit, quanquam ab aliis multa satis dicta sunt, addam tamen quae historiae lucis aliquid afferant. Sicut in memoriam duodecim. liberûm marium primi gradûs quos genuerat Iacobus, factae sunt Tribus duodecim et Phylarchae totidem: ita in memoriam eorum capitum quae Iacobus in Aegyptum adduxerat, Israelitae, ut qui a caeteris seorsim habitarent, viros septuaginta (aut potius septuaginta duos, qua de re dicemus ad Lucam) sibi praefecerunt, qui res eorum curarent ac moderarentur quantum Regia imperia permittebant. Hi ab aetate ex qua legebantur *Senes* sunt vocati, unde et

apud Graecos γερουσίας, et apud Romanos *Senatus* vocabulum. Sed et apud Homerum est:

Βουλὴν δὲ πρῶτον μεγαθύμων ἷζε γερόντων.

[*Coge prior conventum magnanimûm seniorum.*]

Apud hos Senes ante alios iubetur Moses exponere mandata quae a Deo acceperat, Exod. 3: 16, quod et fecit, Exod. 4: 29. Ex horum numero et illi videntur fuisse a quibus Aegyptii ἐργοδιῶκται [*operum exactores*] quotidiani laboris rationem exigebant, 5: 14. Postea cum soceri consilio Moses Iudices constituisset qui lites minores diiudicarent, causarum maiorum cognitio penes Mosem solum mansit, ad quem et de minoribus causis difficiliores controversiae referebantur, Exod. 18: 22. Ergo ad id tempus Septuaginta illi nullam habebant iudicandi potestatem: cuius rei indicium est quod Moses iussus cum Aarone, Naddabo, Abihu et illis Septuaginta (nam numerus iste diserte exprimitur) ad montem accedere, cum deinde solus a Deo in montis verticem sevocaretur, iussit inferius subsistere Septuaginta Senes. *Sunt*, inquit, *vobiscum Aaron et Hur, si quis aliquid habet controversiae, illos accedat*, Exod. 24: 14, ubi aperte Moses pro absentiae suae tempore suas iudicandi partes, non illis Septuaginta, sed Aaroni et Huri delegat. Aliquanto demum post tempore cum quereretur Moses isti quoque supremorum iudiciorum ac relationum oneri se non sufficere, ita ad eum locutus est Deus, Num. 11: 16. *Sume tibi e senibus Israelitis septuaginta, quos scis populi Senatores et moderatores.* Habebant ergo iam tum curam rerum populi: deinde eos Deus spiritu novo, iudiciali scilicet, instruens, iubet partem oneris ferre, quod solus Moses hactenus sustinuerat; id autem est, ut diximus, supremorum iudiciorum et relationum. Eorum autem verborum quae Deuteronomii leguntur 17; 8, haec videtur esse sententia. Cum Sacerdotes opimo fruentes otio omnibus sapientiae partibus praeter caeteros operam darent, aequum erat ex horum numero aliquammultos allegi in ordinem illum, cui iam suprema etiam iudicia credita fuisse diximus; quanquam neminem fuisse qui originis dignitate eum locum sibi posset vindicare, scripsit Maimonides, atque adeo ne Pontificem quidem Maximum

n eo adlectum, nisi de sapientia ipsius probe consta-
: quam in rem instituta erat δοκιμασία [*exploratio*],
e manuum impositione obsignabatur. Sed, ut dixi,
entibus Hebraeorum rebus fieri aliter non poterat,
ı in Sacerdotum classe plurimi reperirentur digni eo
›. His addebantur alii, qui in aliis Tribubus doctrina
anctimonia eminebant. Ita enim vox ראשי [*principes*]
pienda videtur 2 Paral. 19: 8. Quamobrem Moses
t. 19: 17, de falsi testimonii cognitione agens et Se-
ım hunc describens, *Sacerdotes* et *Iudices* nominat.
›i autem, ubi agitur de exploranda diligentia Iudicum
riorum in conquirendo homicida, soli Sacerdotes,
uam eius Senatus pars praecipua, nominantur; addi-
ue ex eorum praescripto omnes controversias et vul-
ım quaestiones definiendas. Quoties autem Deus coe-
i indicio aliquem populo praefecerat, qualis fuit Iosua,
eon, Iephthes, Samson, Samuel, eis etiam citra Se-
ım iudicandi ius erat, ut apparet Iudic. 8. Vocaban-
autem tales Reipublicae liberae summi Magistratus ac
ıt Interreges שופטים, quod nomen etiam vicinae gentes
rparunt. Nam et apud Tyrios Interreges ita vocaban-
: ex quorum Archivis haec adfert Iosephus: *Μετὰ*
ον δικαςαὶ κατεςάθησαν καὶ ἐδίκασαν· Ἐκνίβαλος Βασ-
ν μῆνας δύο, Χέλσης Ἀβδαίου μῆνας δέκα, Ἄββαρος
ερεὺς μῆνας τρεῖς, Μύτγονος καὶ Γεράςρατος τοῦ Ἀβδη-
υ δικαςαὶ ἔτη ἕξ [*Post hunc Iudices constituti sunt*
udicarunt: Eonibalus Baslachi menses duos, Chelses
laei menses decem, Abbarus Pontifex menses tres,
gonus et Gerastratus Abdelimi filius annos sex], ubi
ςὰς [*Iudices*] haud dubie Iosephus vertit quos Tyrii
abant שופטים. Nam et Tyriorum coloni Carthaginien-
idem nomen retinuerunt, quod Romani Scriptores
Fetem pronuntiant, litera Schin emollita, quomodo E-
aimitae in eam partem vergentes pronunciabant. Iose-
s talem a Deo excitatum Praesidem etiam *Prophetam*
at, quia Prophetiae dono, ut Iosua et Samuel, aut
› non dissimili ipsos animante et successus dante,
efulgere solebant, quod et Maimonides notat Ducis
›itantium lib. II. cap. 45. Iisdem quanquam minus pro-
› ob potestatem ἀνυπεύθυνον [*nemini subditam*] et *Re-*

gum datur nomen Iudic. 9: 6 et 18: 1. Quibus vero temporibus neminem talem Deus exciverat, recurrendum omnino erat ad Senatum, in quo ferme eminebat Pontifex Maximus. Nam et Moses, ut modo diximus, cum abesse a populo cogeretur Aaroni partes suas mandabat. Hoc iure Heli Sacerdos Summus principatum in Republica obtinuit, idemque observatum fuit Asmonaeorum temporibus. Vult igitur Deus a Iudicibus civitatum, si quid incidisset obscurius, quod aut iuris subtilioris, aut etiam Medicinae peritiam desideraret, adiri Pontificem Maximum, ut eruditione praestantem; sive eum qui a Deo excitus Suffetis dignitatem obtineret. Ad utraque enim tempora Deus sermonem accommodat. Horum responso parere omnes tum minores Iudices, tum privati iubebantur, proposita etiam mortis poena in contumaces. Indicat autem Deus sedem eius Senatus fore in loco publicorum conventuum, qui primum habiti sunt Silunte, postea Hierosolymis. Quod ergo dicitur commate 9, *Adibis Sacerdotes Leviticos et Suffetem*, explicandum est ex eo quod sequitur commate 12, *Sacerdoti vel Suffeti.* Nam in Hebraismo non minus quam in linguis omnibus receptum est ut coniunctiva vim habeat disiungendi. Neque vero alia fuerunt iudicia Sacerdotis, alia Senatus; id enim omnes Hebraeorum Magistri constanter negant. Iosephus, qui patriae suae morem ignorare non potuit, clare ostendit eundem fuisse consessum: ita enim loquitur secundo adversus Appionem: *Καὶ γὰρ ἐπόπται πάντων καὶ δικαςαὶ τῶν ἀμφισβητουμένων οἱ ἱερεῖς ἐτάχθησαν* [*Inspectores rerum omnium et controversiarum Iudices constituti sunt Sacerdotes*]. Idem nos docet Philo: *Συνήδρευον μὲν οἱ ἱερεῖς* [*assidebant Sacerdotes*], libro De vita Mosis. Et in libro de Principe constituendo: *Ὅταν οὖν ἀμαυρὰν ποιῆται τὴν ἀντίληψιν τῶν πραγμάτων ἀσάφεια καὶ πολὺ σκότος ἀπεργαζομένων, παραιτείσθω τὰς κρίσεις, καὶ ἀναπεμπέτω πρὸς ἀκριβεςέρους δικαςάς· οὗτοι δὲ τίνες ἂν εἶεν ἢ ἱερεῖς καὶ ὁ τῶν ἱερέων ἔξαρχος ἡγεμών;* [*Ubi igitur difficilem faciet inspectionem rerum obscuritas et factorum multa caligo, excusent notionem et mittant ad exactiores Iudices: hi autem qui potius quam Sacerdotes et Sacerdotum Ductor eximius?*] Qui omnes quanquam in tam nota historia testes haberi de-

ben

locupletes, tamen idem veritatis discendae cupidis
ıcro Codice demonstrare non est difficile. Nam pri-
hoc ipso loco non distinguuntur causarum genera,
: vero causae ullae nominantur, quae proprie videri
ıt sacerdotales, sed si quid controversi incidisset,
›micidio, de lite, de vulnere, iubentur adiri Sacer-
, aut is quem Suffetem diximus nominari. Rursum
ullo causarum discrimine, quod hi pronuntiaverint,
ınes iubentur exsequi. Poena in nec parentes eadem.
le vero constat, tam inter Hebraeos quam inter re-
ɔres Interpretes, a Iosaphato Rege restituta fuisse
a ad vetus instar. Esdras autem, aut quisquis est
ipomenôn Scriptor, primum narrat ab optimo Rege
itutos Iudices civitatium, suique officii admonitos.
pergens: *At Hierosolymis*, inquit (nempe in urbe
corum conventuum, ut Lex iubebat), *constituit Io-
ıt e Levitis et Sacerdotibus* (quia inter eos, ut di-
s, maximam hominum peritorum copiam erat repe-
*et ex praecipuis Israeliticarum gentium ad iudicia
et ad lites, qui redierunt Hierosolyma. Iudicia Dei*
otissimo Hebraismo iudicia significat quae non huma-
rbitratu sed ex Legis iussu peragenda sunt. Sequitur
storia: *Praecepit autem eis Rex in hunc modum:
agite, religiose, fideliter, atque sincero animo:
cunque lis ad vos relata fuerit a popularibus ve-
qui in civitatibus morantur, de discrimine homici-
ım, de Lege, de praecepto, de institutis, de iudi-
m ordine, admonete eos ne rei Deo teneantur, Dei-
vehemens ira vobis popularibusque vestris incumbat.
, inquam, agite, ne sontes sitis.* Ecce quam aperte
s illos quos Hierosolymis constituerat de omni cau-
n genere vult cognoscere. Neque his obstat quod
tur: *Enimvero Amarias Sacerdos, princeps vester
mni negotio Dei, et Sabadias filius Ismaelis dux
ıs Iudae in omni negotio Regio, et magistri Levitae
adsunt. Estote bono animo, et hoc agite. Deus
aderit.* Nam primum hinc quoque apparet in eodem
tu fuisse agitatas res Dei, id est Legis, et res Re-
: ei autem Senatui interfuisse et Amariam, sive is
ifex Maximus sive alius Sacerdos fuerit, et Sabadiam.
Ne-

Neque posse per *Dei negotia* res solis Sacerdotibus mandatas intelligi, palam est ex altero eius historiae loco, ubi Hebronitae quidam narrantur a Davide praefecti partibus Rubenis, Gadis et Manassis, impositique omni negotio tum Dei tum Regis. Solebant ergo utriusque generis negotia, tum iudiciorum tum deliberationum politicarum, a Senatu tractari. Sed nimirum haec est dicto loco *παράφρασις* [*ulterior explicatio*]. Nolite animum despondere quasi pares non sitis tanto oneri, inopia eruditionis quae ad res tantas desideretur. Habetis viros egregios qui vobis consilio praelucere possint; qualis est princeps vestri Senatus Amarias Sacerdos, vir in iudiciis versatissimus: quod si quid inciderit ad Civilem magis prudentiam quam ad Iuris cognitionem pertinens, adest vobis Sabadias Ismaelites, qui in eo deliberandi genere primas obtinet: deinde habetis assessores Levitas multarum artium peritia excellentes. Tantum bene animati este et aequo bonoque operam date. Deus caetera secundabit. Videtur omnino Sabadias fuisse princeps Senatus. Nam vocem נגיד Hebraei per נשיא exponunt. Ita autem constat appellatum Senatus principem. Ex his quae diximus apparet etiam Regno constituto magnam fuisse Senatus auctoritatem et Regiae velut parem: quippe, ut Hebraei Magistri recte notant, Rex ipse de quibusdam causis non iudicabat, et sua iudicia non nisi gladio exsequebatur. Atque huc pertinere videtur quod dicit Sedecias, Senatoribus Ieremiam Prophetam ad mortem deposcentibus, *Rex contra vos nihil potest.* Quin ne venisse quidem Regem in Senatum, ne sua sententia aliis censendi adimeret libertatem, Hebraei notant; excepto Davide. Quod diximus cum Iosepho, Philone, cumque ipsis Sacris literis, in summo hoc Senatu fuisse Sacerdotes, non refellitur historia Ieremiae quae est libri eius cap. 26, ubi Sacerdotes videntur accusare Ieremiam, et Senatores absolvere. Nam ut taceam posse videri magis esse disputationem collegarum inter se, qualis describitur Ioh. 7: 50, et Act. 5: 35, quam legitimam accusationem iudicantibus aliis, certum est multos fuisse Sacerdotes extra Senatum, et si qui eorum accusatoris personam susceperint, sibimet iudicandi ademisse potestatem. Erant quidem munia Sa-

dotalia, docere populum universum et singulos contes tum de rebus aliis, tum praesertim de iis omniuae ad sacra ceremoniasque pertinerent, Levit. 10: 1, Ezech. 44: 23, Agg. 2: 12, 13. Praeterea sicut Tribus suos habebant moderatores qui Tribus comι curarent: ita et in Levitica Tribu Sacerdotum imi Tribus suae rebus erant praepositi, per quos atur perceptio et erogatio decimarum aliarumque ιtionum, quae Sacerdotum ac Levitarum alimentis, ılique usibus erant destinata, ut videre est 2 Reg. 22, Paral. 34, et apud Iosephum pluribus locis. Sed omnia nihil ad Iudiciariam potestatem pertinebant, non erat penes collegium aliquod mere Sacerdotale ıeviticum, sed penes Senatum quem dixi, cuius bona ex Sacerdotibus constabat, ut aliquot petitis ex Mose ıoniis supra probatum est. Ideo de Sacerdotibus ut Senatu praecipuis per Ezechielem dicitur: *In causis scendis Ius servanto, secundum Iura Legesque et* *:a mea iudicanto*, 44: 24. Idem vero Ezechiel alio ante, describens corruptos mores populi, speciaaeminerat Senatus magni, *Septuaginta Senes* nomi-, et eorum principem *Iaazaniam* 8: 11. In exsilio lonico hos Septuaginta auctoritatem suam apud Iuretinuisse non est dubitandum. Imo et iudicia caa ab hoc Senatu exercita concessu Regum Persarum nt Hebraei. Domum autem reversis iudiciaria poconcessa est a Rege Artaxerxe, Esdr. 7: 25, 26. a armis adversus Antiochum reddita libertate, sumerum penes hunc Senatum fuit, unde et sceptrum .m in curia asservabatur. Erat autem curia in ipso ılo parte Austrina, vocabaturque לשכת הגזית *conclave* *: lapidis*. Mansit is ordo continua surrogatione, per ım, ut diximus, impositionem, ad Herodem usque um, cuius potentiam atque audaciam magis magis:ontra leges insurgentem, cum non in tempore seveut oportuit, iudiciis repressissent Senatores, Deo ›s disponente, graves neglecti muneris poenas deinterfecti ab Herode omnes, extra unum Sameam, talia monentem saepe contemserant. In peremtolocum Herodes alios surrogavit, suam haud dubie

fa-

Neque posse per *Dei negot* ... ad Sacerdotia aut
datas intelligi, palam es' ... ante non parum im-
ubi Hebronitae quidam ... auctoritas, cum r
tibus Rubenis, Gadis ... aeses alios o
gotio tum Dei tum R ... te, Hier
ris negotia, tum iu ... olymi
rum, a Senatu tr
παράφρασις [*ulteri*
dere quasi pares ... icae quam
quae ad res t ... ciorum causa, sub
qui vobis cor ... Quin et extra Palaestinam
vestri Sena ... ynedrii Senatus suos habebant
tissimus: ... Iudaeorum Alexandriae habitan
dentiam ... apud Philonem. Ipse Iosephus simili
bis Sal ... ero γερουσίαν in Galilaea constituit, cum
primas ... praefectus esset. At Senatus Hierosolymitani
rum ... acta est potestas Augusti temporibus, cum pars
et ... ae potior in provinciam esset redacta, constituto,
V ... ferme in omnibus provinciis Romani Imperii, ne Se-
natus quenquam mortis supplicio afficeret nisi Romani
Praesidis consensu: servata ei reliqua iudiciaria potestate.
Et hoc est quod aiunt Thalmudici titulis de Synedrio et de Sabbato, *iudicia animarum*, id est capitalia, *ablata fuisse ab eo Senatu* XL *annis ante excidium Urbis*. Nam excisis demum a Tito Hierosolymis simul et is Senatus plane interiit. Nomen usitatissimum huius Senatus fuit συνέδριον, non quod alii quoque Iudicum coetus non ita appellarentur, sed quod ob excellentiam proprie maximus ille Consessus eo nomine honestaretur, qui et Athenis atque in aliis Graecis civitatibus usus erat eiusdem nominis. Postquam Macedones illis in partibus praepolluerant, ut multae aliae voces Graecae, ita haec quoque in Hebraeorum sermonem migravit. Itaque Thalmudistis vocatur hic Senatus modo סנהדרין simpliciter, modo cum additamento סנהדרין גדולה [*Magnus Senatus*] τὸ συνέδριον τὸ μέγα. Vox haec συνεδρίον pro *Senatu*, aut etiam pro *Senatûs curia* posita conspicitur multis in locis in Euangelica historia et Actis Apostolicis. Vocatur et γερουσία in edicto Antiochi et alibi apud Iosephum, Iudith. 11: 14, 1 Macc. 12: 6, 2 Macc. et 3 Macc. non longe ab initio,

item-

Act. 5: 21, qu... Item πρεσβυτέρ... 66, ut disti... πρεσβυτέρια ... vocantur ... [prin... res ... ii causa ... ῆς βουλῆς [Scriba... Aristaeum quendam eo ho...

διδάξαι διὰ συμβόλων, ὅπ τε ... ἢ εὐχαριστήσοντες, μηδὲν ... ψυχῇ [Vult eos docere ..., precum aut gratia-... bi in animo secum ... risaei sacrificia et ... expiationem om-... t, etiam citra ..., ut modo

Passim videmus eum Senatum ... Id est, ...i, Praecipuis Sacerdotibus, Senibus aliis, ... eadem His explicatis ad Christi verba veniamus. Si ... ημφὴν advertat ad ea crimina quae soli summo Synedrio ... Col. vabantur, inveniet gravissimis eorum poenam lapidationis aut usu aut Lege esse constitutam; quae ad ipsos etiam falsos Prophetas et perduellionis reos pertinebat, Deut. 17: 5, 1 Reg. 21: 10. Quare hanc poenam ut gladio graviorem in secundo gradu positam arbitror.

Εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός, *gehennae ignis*] Hîc iam tertius sequitur gradus. Ut autem priores duo gradus enuntiati sunt per comparationem adspectabilium cruciatuum, ita et hic tertius. Cum autem supra lapidationem nulla poena in usu Iudaico esset (nam ignis poena non erat lenti vivicomburii, sed immisso in viscera candente ellychnio) quaesivit Christus aliunde nomen horrendi cruciatus, qui et gladium et lapidationem excederet. Nota autem res erat Iudaeis omnibus, quomodo extra urbem Hierosolyma Maiores ipsorum, turpiter imitati crudelem Phoenicum superstitionem, instituissent miseros infantes ignibus ad mortem usque cruciare, circumstrepentibus interim tibiis tympanisque, ne dolore expressus clamor exaudiretur. Locus tam saevo sacro dicatus *Tophet* dicebatur: ipsius loci locus amplior, *Vallis filiorum Hinnomi* גי הנם, quod posteriorum temporum pronuntiatio extulit γέεννα. Quod autem ex Hebraeis Magistris affertur in eundem locum delata fuisse cadavera, cum Ieremiae vaticinio congruit 7: 32, coeptumque id fieri temporibus Iosiae, 2 Reg. 23: 10. Nam is legitur eum locum pol-

factionem, ex iis qui beneficio ipsius ad Sacerdotia aut honores alios pervenerant. Sed et ante non parum imminuta erat Senatus Hierosolymitani auctoritas, cum post Pompeii victoriam Gabinius Syriae Praeses alios quatuor consessus erexisset Gadaris, Amathunte, Hierichunte, Sephoris, sed non pari iure cum Hierosolymitano. Nam Herodes nondum Rex de rebus in Galilaea gestis causam dixit apud Senatum Hierosolymitanum. Fuerunt ergo consessus illi curandae magis Reipublicae quam iudiciorum causa instituti, aut si et iudiciorum causa, sub Senatu tamen Hierosolymitano. Quin et extra Palaestinam Iudaei ad exemplum huius Synedrii Senatus suos habebant. Ita γερουσίας [*Senatus*] Iudaeorum Alexandriae habitantium mentio est apud Philonem. Ipse Iosephus simili Senatorum numero γερουσίαν in Galilaea constituit, cum bello inibi praefectus esset. At Senatus Hierosolymitani arctior facta est potestas Augusti temporibus, cum pars Iudaeae potior in provinciam esset redacta, constituto, ut ferme in omnibus provinciis Romani Imperii, ne Senatus quenquam mortis supplicio afficeret nisi Romani Praesidis consensu: servata ei reliqua iudiciaria potestate. Et hoc est quod aiunt Thalmudici titulis de Synedrio et de Sabbato, *iudicia animarum*, id est capitalia, *ablata fuisse ab eo Senatu* XL *annis ante excidium Urbis*. Nam excisis demum a Tito Hierosolymis simul et is Senatus plane interiit. Nomen usitatissimum huius Senatus fuit συνέδριον, non quod alii quoque Iudicum coetus non ita appellarentur, sed quod ob excellentiam proprie maximus ille Consessus eo nomine honestaretur, qui et Athenis atque in aliis Graecis civitatibus usus erat eiusdem nominis. Postquam Macedones illis in partibus praepolluerant, ut multae aliae voces Graecae, ita haec quoque in Hebraeorum sermonem migravit. Itaque Thalmudistis vocatur hic Senatus modo סנהדרין simpliciter, modo cum additamento סנהדרין גדולה [*Magnus Senatus*] τὸ συνέδριον τὸ μέγα. Vox haec συνεδρίου pro *Senatu*, aut etiam pro *Senatûs curia* posita conspicitur multis in locis in Euangelica historia et Actis Apostolicis. Vocatur et γερουσία in edicto Antiochi et alibi apud Iosephum, Iudith. 11: 14, 1 Macc. 12: 6, 2 Macc. et 3 Macc. non longe ab initio, item-

itemque Act. 5: 21, quo nomine etiam Spartiatae utebantur. Item *πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ* [*Senatus populi*], Luc. 22: 66, ut distinguatur a consessibus civitatum, qui itidem *πρεσβυτέρια* vocabantur. Senatores ipsi modo communiter vocantur *πρεσβύτεροι* [*Senes*], aut etiam *ἄρχοντες τοῦ λαοῦ* [*principes populi*], Iosepho etiam *γηραιοὶ τοῦ δήμου* [*Seniores populi*], modo distincte ita appellantur hi qui Senatores erant extra Sacerdotes. Adsidebant his consilii causa Legisperiti, ut ante diximus *οἱ γραμματεῖς τῆς βουλῆς* [*Scribae Curiae*] ut Iosephus loquitur, qui Aristaeum quendam eo honoris nomine indigitat: unde passim videmus eum Senatum hisce partibus describi, praecipuis Sacerdotibus, Senibus aliis, et Legisperitis. His explicatis ad Christi verba veniamus. Si quis recte advertat ad ea crimina quae soli summo Synedrio reservabantur, inveniet gravissimis eorum poenam lapidationis aut usu aut Lege esse constitutam; quae ad ipsos etiam falsos Prophetas et perduellionis reos pertinebat, Deut. 17: 5, 1 Reg. 21: 10. Quare hanc poenam ut gladio graviorem in secundo gradu positam arbitror.

Εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός, *gehennae ignis*] Hic iam tertius sequitur gradus. Ut autem priores duo gradus enuntiati sunt per comparationem adspectabilium cruciatuum, ita et hic tertius. Cum autem supra lapidationem nulla poena in usu Iudaico esset (nam ignis poena non erat lenti vivicomburii, sed immisso in viscera candente ellychnio) quaesivit Christus aliunde nomen horrendi cruciatus, qui et gladium et lapidationem excederet. Nota autem res erat Iudaeis omnibus, quomodo extra urbem Hierosolyma Maiores ipsorum, turpiter imitati crudelem Phoenicum superstitionem, instituissent miseros infantes ignibus ad mortem usque cruciare, circumstrepentibus interim tibiis tympanisque, ne dolore expressus clamor exaudiretur. Locus tam saevo sacro dicatus *Tophet* dicebatur: ipsius loci locus amplior, *Vallis filiorum Hinnomi* גי הנם, quod posteriorum temporum pronuntiatio extulit *γέεννα*. Quod autem ex Hebraeis Magistris affertur in eundem locum delata fuisse cadavera, cum Ieremiae vaticinio congruit 7: 32, coeptumque id fieri temporibus Iosiae, 2 Reg. 23: 10. Nam is legitur eum locum pol-

polluisse, illatis nimirum cadaveribus. Mos enim erat Iudaeis loca veritis ceremoniis usurpata eo modo impura atque abominanda efficere, ut videre est dicto capite 23, commate 16. Sic Samaritas narrat Iosephus odio Iudaici templi *διαῤῥιψιν ἀνθρωπείων ὀςῶν ἐν ταῖς ςοαῖς ποιῆσαι* [*ossa humana disiecisse per porticus*], Originum XVIII. 3. Sed hoc ad verborum Christi explicationem non pertinet. Apparet enim a Christo cruciatum et quidem gravissimum indicari. Sicut autem hic graviora futuri seculi supplicia Gehennae ignibus comparantur, ita alibi, comparatione in consuetudinem migrante, hoc ipso nomine poenae aevi alterius significantur. Et hoc sensu vox haec invenitur in paraphrasi Hierosolymitana Geneseos 3.

23. *Προσφέρῃς, offers*] Id est offerre cupias, oblatum eas, ut sequens comma ostendit. Nam proprie fit oblatio cum res altari imponitur.

Δῶρόν σου, munus tuum] Syrus קורבנך. Significatur autem eo nomine alibi quidem pecunia quae in gazophylacium mittebatur, hic vero sacrificium voluntarium, cuius ritus praescribitur Levit. 1: 2, ubi eandem vocem Hebraeam reperire est. Idem plenius vocatur *δῶρον τὸ ἐπάνω τοῦ θυσιαςηρίου* [*donum quod est super altare*] infra 23: 18. Est et ubi id quod ex imperio legis offerebatur venit *δώρου* [*muneris*] nomine, ut infra 8: 4. Duo autem sunt quae per hunc *χαρακτηρισμὸν* [*hanc vivam descriptionem*] Christus nos docet: Primum, quanquam vera in Deum religio caeteris officiis praestat, id tamen non protendendum ad rituum observationem. Caritatis enim benevolae officia rituali curae antevertenda: quod latius infra prosequitur 9: 13, 12: 7. Deinde ne placere quidem Deo sacra quantumvis sumtuosa aut operosa quae animo celebrantur ira aut odio aestuante, quod clare nobis ob oculos ponit Caini historia: nimirum quia, ut Seneca etiam vidit, *non in victimis, licet opimae sint auroque praefulgeant, Dei sit honos, sed in pia ac recta voluntate venerantium.* Plato Alcibiade secundo: *Δεινὸν εἴη εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοί, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ* [*Durum sit si ad dona et sacrificia nostra respiciant Dii, et non ad animum, nempe si quis sit pius ac iustus*]. Philo De vi-

victimis: *Βούλεται αὐτοὺς ἀναδιδάξαι διὰ συμβόλων, ὅπ' τε προέρχοιντο εἰς βωμοὺς, ἢ εὐξόμενοι ἢ εὐχαριςήσοντες, μηδὲν ἀῤῥώςημα ἢ πάθος ἐπιφέρεσθαι τῇ ψυχῇ* [*Vult eos docere per signa, ubi ad aras accederent, precum aut gratiarum causa, ne quid labis aut morbi in animo secum ferrent*]. At contra Legisperiti et Pharisaei sacrificia et dona Templo oblata valere putabant ad expiationem omnium culparum quas Iudices non puniunt, etiam citra animi emendationem.

Ὁ ἀδελφός σου, frater tuus] Id est *alter*, ut modo dictum est.

Ἔχει τὶ κατὰ σοῦ, habet aliquid adversum te] Id est, habet quod de te queri posset. Ita enim locutio eadem sumitur Apoc. 2: 4, 12, 20, pro quo Paulus dicit *μομφὴν πρός τινα ἔχειν* [*querelam adversus aliquem habere*] Col. 3: 13. Videntur mihi haec cum praecedentibus hoc modo cohaerere: Cum iam intellexeritis quantopere Deo displiceat irascendi et convitiandi libido, primum quidem fuit ab omni tali delicto diligenter sibi cavere; quod si quid tamen per humanam infirmitatem tale tibi evenerit, superest *πλοῦς ὁ δεύτερος* [*altera navigatio*], nempe ut celeri poenitentia id ipsum eluas. Id fiet si qui prior offendisti prior quoque ineas pacis viam: et id quidem properiter adeo, ut nihil sit, quantumvis speciosum, quod ei curae praevertendum putes.

24. *Διαλλάγηθι, reconciliator*] Non est semper *διαλλαγῆναι*, quod vult Scholiastes ad Thucydidem, *τὸ δι' αὐτοῦ τοῦ ἐχθροῦ παρακληθῆναι καὶ φιλιωθῆναι αὐτῷ* [*ab ipso inimico invitari et sic amicum ei fieri*]. Nam et hic ei tribuitur qui de restituenda amicitia sollicitus est, quomodo et *καταλλάττεσθαι θεοῖς* [*cum Dis redire in gratiam*]. Etiam Latini utrovis sensu dicunt *redire in gratiam*. Sensus autem est, dandam operam ut cum eo quem atrociore vultu aut facto offendimus, redeamus in gratiam: id autem fieri solet testando nolle nos factum, quod Latini vocant *satisfacere*. Eventus enim non semper in nostra est manu. Sed ut hic eum qui laesit ad quaerendam pacem Christus excitat, ita apud Marc. 11: 25 eum qui laesus est monet, ne difficilem se praebeat ad condonandam iniuriam; quod dilucide explicat Paulus Col. 3: 13.

Ἐλθὼν, veniens] *Παρέλκει* [*abundat*] haec vox, ut apud Diphilum *ἅρπαζ᾽ ἀπελθὼν* [*facesse hinc abiens*], et in his libris saepe.

Πρόσφερε τὸ δῶρόν σου, offer munus tuum] Id est, consumma oblationem, munus imponendo altari; ante enim dixerat, *relinque munus pro altari.*

25. *Ἴσθι εὐνοῶν, esto consentiens*] Plane idem est quod ante dictum erat *διαλλάγηθι*. Est sententia frequens apud Thalmudicos אגב ארחך לבעל דבבך אשתמע [*Dum es in via obedito inimico tuo*]. Errant autem qui haec trahunt ad *ἀλληγορίας* [*sensûs inversiones*] obscuriores, cum haec dicta Christi sint admodum popularia. Tantum id notandum est, ex eo quod inter homines fieri videmus, doceri nos coniecturam capiendam quid a Deo sit exspectandum, quod aperte indicat Luc. 12: 58. Inter homines benignioribus conditionibus depaciscitur qui cedit in tempore. At qui pertinaciter iudicio contendit, is in solidum condemnatur, et sine gratia cogitur iudicatum facere. Sic et apud Deum, in quem praecipue delinquunt etiam quorum iniuria directe hominem alterum petit, matura poenitentia veniam impetrat, dilata severitatem provocat. Haec sine dubio verborum sententia; sed quia satis manifestum est quo tendat comparatio, ideo hic, ut alibi saepe, *ἀνταπόδοσις* [*quod respondet*] subticetur. Caeterum non alienum forte ab hoc loco est quod ex libro Tanaith discimus, Hebraeis creditum a mortuis accusari apud Deum vivos eos quibus in hac vita conciliati non fuere.

Ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ ὑπηρέτῃ, Iudex tradat te ministro] *Τῷ πράκτορι* [*exactori*] Luc. 12: 58. In Hebraeo fuerit לשוטר, Latine dicendum est *viatori*. Ita enim in Iure Romano appellantur exsecutores litium, ut explicat ipse Tribonianus Institutionibus de Actionibus, § Tripli. Graeci Iurisconsulti vocant *ἐκβιβαστάς*. Est autem vocis *παραδιδόναι* [*tradere*] usus valde similis apud Aristiden Pro arte oratoria: *Ὁ μὲν γὰρ ἐλέγχει τὰ ἀδικήματα ῥήτωρ καὶ παραδίδωσι τῷ δικαστῇ· ὁδ᾽ ἀκούσας καὶ μαθὼν παραδίδωσιν αὐτὸν ὑπηρεταῖς* [*Orator patefacit crimina, traditque Iudici; Iudex autem, ubi ea audiit ac didicit, tradit hominem ministris*].

Εἰς

Εἰς φυλακὴν βληθήσῃ, in carcerem mittaris] Hinc apparet apud Iudaeos, itidem ut apud Graecos Romanosque, solitos fuisse in carcerem coniici, qui se aere alieno non exsolvebant. Vide L. I. C. Qui bonis cedere possint. Adde quod infra est 18: 29.

26. *Κοδράντην, quadrantem*] Quadrans minimum in nummorum genere. Plutarchus Cicerone: *Τὸ λεπτότατον τοῦ χαλκοῦ νομίσματος κουαδράντην ἐκάλουν* [*Minimum in nummis aereis quadrantem vocabant*]. Iuvenalis:

——— *Pieria quadrans tibi nullus in arca.*

Hinc *meretrix quadrantaria*. Apud Horatium:

——— *et qui nondum aere lavantur*,

tanti enim plebeii lavabantur in balneis.

27. *Οὐ μοιχεύσεις, non moechaberis*] לא תנאף; quod Hebraei plerique explicant de concubitu cum femina nupta, de quo agitur Deut. 22: 22. Abenesras putat latius protendendam significationem ad omnem Venerem non coniugalem. Et sane sicut *πορνεία* [*fornicatio*] interdum *μοιχείαν* [*adulterium*] significat, ut infra versu 32 et 19: 9, ita novum non est *μοιχείαν* dici quae *πορνεία* proprie diceretur. Ita Danaen Iupiter dicitur *μοιχεῦσαι* [*adulterasse*] apud Lucianum, et Ovidius Medeam vocat *adulteram virginem*. Fuit autem in Iudaico populo etiam *πορνεία* hactenus vetita, quod neque meretriciam vitam agere puellae permittebantur, et qui innuptam stupraverat, ducere eam, aut si parentes nollent dotare cogebatur; et quae polluto corpore nupserat, aut sponsa cum esset alteri se substraverat, lapidationis poenam subibat: quae omnia videre est Deut. 22. Et hoc est quo nomine Legis Hebraicae puritatem eximiam praedicat Origenes: *Θαυμαστὸν δὲ καὶ τὰ τῶν νέων ὑπεκκαύματα τὰς ἑταίρας ἀναιρεῖσθαι ἀπὸ τῆς πολιτείας αὐτῶν* [*Admirandum hoc est quod incitamenta iuvenum, scorta, ex ipsorum republica aberant*]. Et Philo, cuius ad hanc rem insignis est locus De vita Iosephi: *Τοῖς δ' ἄλλοις ἐφεῖται μετὰ τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην ἡλικίαν πόρναις καὶ χαμαιτύποις καὶ ταῖς ὅσαι μισθαρνοῦσιν ἐπὶ τῷ σώματι μετὰ πολλῆς ἀδείας χρῆσθαι· παρ' ἡμῖν δὲ οὐδ' ἑταίρᾳ ἔξεστιν, ἀλλὰ κατὰ τῆς ἑταιρούσης ὥρισται δίκη θανάτου· πρὸ δὴ συνόδων νομίμων ὁμιλίαν ἑτέρας γυναικὸς οὐκ ἴσμεν, ἀλλ' ἁγνοὶ γάμων ἁγνοῖς*

 παρ-

παρθένοις προσερχόμεθα, προτεθειμένοι τέλος οὐχ' ἡδονὴν, ἀλλὰ γνησίων παίδων σποράν [*Aliis permittitur post annos quatuordecim cellulariis et fornicariis aliisque feminis quaestum corpore facientibus impune uti; at apud nos ne amica quidem uti licet: sed contra feminam talem mortis poena constituta est. Ante igitur legitimum thalamum nullius feminae habemus notitiam, sed puri cum virginibus puris nuptias auspicamur, propositam in eo habentes non voluptatem, sed liberûm sationem*]. Verumtamen servanda potius videtur vocis proprietas, quae solet *μοιχείαν ἀπὸ τῆς πορνείας* discernere, ut apparet infra 15: 19, Gal. 5: 19, Hebr. 13: 4, quomodo et Hebraei discernunt נאף et זנה, ut videre est Oseae 4: 14, quia in Decalogo non omnia delicta, ne ea quidem quae Lege Civili puniuntur, comprehensa sunt, sed ea duntaxat quae in quoque genere summam habent atrocitatem; neque enim vulnerationis fit mentio sed homicidii; neque omnis lucri cum iactura alterius, sed furti; neque omnis perfidiae, sed falsi testimonii. Accedit huc quod Iudaeorum haud pauci ita Legem de meretricatu interpretabantur, ut censerent id vitae genus puellis Hebraeis interdictum, non etiam vetitum ne peregrinae in populo habitantes, sed a Iudaismo alienae, quaestum corpore facere sinerentur; imo et cum bello capta primum concubitum censent impune habitum; neque vero virili sexui legem positam existimabant: nimirum, ut in Comoedia est, *non esse flagitium scortari hominem adolescentulum*; ex Catonis etiam sententia:

Nam simulac venas inflavit dira libido
Huc iuvenes, aequum est descendere.

Haec opinio cum moribus etiam invaluisset (nam et coram Salomone iudicio se stitisse eius quaestus feminas legimus) factum inde est ut זרה, quod *peregrinam* significat, ad meretricem denotandam usurparetur, ut Prov. 5: 3. Sic et veteri iure Attico, quod ex Hebraeo derivatum diximus, nulli civi Atticae prostare licebat: et si quis virginem Atticam vitiasset ducere eam cogebatur, ut Comoediae etiam nos docent. Neque tamen meretrices deerant, quas propterea similiter, ut Hebraei, appellabant *ξένας*, quod secutus est et Terentius, cum *peregr-*

grinam Andriam dixit. Sed quod de aliis rebus iam ante diximus, etiam hic repetendum est, non omnino fuisse excusandam hanc Iudaeorum sibi blandientium supinitatem. Satis enim constare ipsis poterat, multa Deo non placere quae tamen erant extra Legum poenam. Instituerat Deus nuptias liberûm quaerendûm et honeste educandûm gratia. Non poterat cum eo instituto non pugnare concubitus, qui et a matrimonio arcet, et sui natura efficit ut aut proles incerti sit patris, aut certe non ita uti par est communi parentum studio educetur. Apparet enim causam vetandi fuisse ipsam facti turpitudinem. Merito igitur Apostolus Paulus stragem illam tot millium, cuius mentio est Num. 25 evenisse refert ob crimen πορνείας, 1 Cor. 10: 8, scilicet id vel solum, etiamsi falsorum Deorum cultus non accessisset, satis dignum eo supplicio meritum existimans. Neque sane debebant Iudaei Lege adiuti nescire quod multos in Gentibus sola ratio ac recta institutio docuerat. Iob suam non a nuptis tantum sed et ab innuptis abstinentiam praedicat. Epictetus iubet καθαρεύειν τῶν ἀφροδισίων πρὶν τοῦ γάμου [*abstinere a Venere ante nuptias*], idemque aliquot argumentis probat Dion Chrysostomus. Sed imprimis praeclara sunt ista Musonii: Ὅσαι συμπλοκαὶ μοιχείας ἐκτὸς οὖσαι πρὸς θηλείας εἰσὶν, ἐξερημέναι τοῦ γίνεσθαι κατὰ νόμον, καὶ αὗται πᾶσαι αἰσχραί· πράττονται γὰρ δι' ἀκολασίαν, ὡς μετά γε σωφροσύνης οὐκ ἂν ἑταίρᾳ πλησιάζειν ὑπομένειέ τις οὔτ' ἂν ἐλευθέρᾳ γάμου χωρὶς, οὔτε, μὰ Δία, θεραπαίνῃ τῇ αὑτοῦ· τὸ γὰρ μὴ νόμιμον μήτ' εὐπρεπὲς τῶν συνουσιῶν τούτων, αἶσχος δὲ καὶ ὄνειδος μέγα τοῖς θηρωμένοις αὐτάς [*Quicunque sunt extra adulterium cum femina congressus, ideo quod non secundum legem fiunt, itidem omnes turpes sunt: fiunt enim ob intemperantiam, cum vereoundia enim nemo possit ad amicam accedere, sive ea libera innupta sit, sive ipsius ancilla. Quod enim in tali concubitu lege vacat, vacat etiam honestate: ideoque dedecus et probrum adfert se quaerentibus*]. Eiusdem hoc: Χρὴ δὲ τοὺς μὴ τρυφῶντας ἢ μὴ κακοὺς μόνα μὲν ἀφροδίσια νομίζειν δίκαια τὰ ἐν γάμῳ καὶ ἐπὶ γενέσει παίδων [*Oportet eos qui nec delicati sunt nec mali solum iustam censere Venerem in matrimonia*]. Charondas vero:

Γυναῖκα δὲ τὴν κατὰ νόμους ἕκαστος στεργέτω, καὶ ἐκ ταύτης τεκνοποιείσθω, εἰς ἄλλο δὲ μηδὲν προϊέσθω τέκνων τῶν αὐτοῦ σπορὰν· μηδὲ τὸ φύσει καὶ νόμῳ τίμιον ἀνόμως ἀναλισκέτω, καὶ ὑβριζέτω· ἡ γὰρ φύσις τεκνοποιΐας ἕνεκεν, οὐκ ἀκολασίας, ἐποίησε τὴν σπορὰν [*Feminam legitime ductam quisque amet et ex ea liberos quaerat, alio autem ne proiiciat id quod serendae proli datum est; neque id quod et natura et lege pretiosum est inique prodigat et contumelia afficiat: natura enim sobolis, non intemperantiae, causa semen dedit*]. Porphyrius de non esu Animantium IV: *Ἐπεὶ οὐδ' ἑταίραις ὁμιλεῖν ἀπαγορεύει τοῖς πολλοῖς* (nempe *ὁ νόμος ὁ πολιτικός*), *ἀλλὰ καὶ πραττόμενος τὰς ἑταίρας τὸ μίσθωμα ἐπονείδιστον ἡγεῖται τοῖς μετρίοις ἀνδράσι καὶ αἰσχρὰν τὴν πρὸς ταύτας ὁμιλίαν* [*Lex enim Civilis ad amicas accedere non vetat; sed cum tales prostare faciat, tamen honestis viris indignum iudicat ex lupanari quaestum et turpem talem concubitum*]. Haec naturalis suggestio obstitit quo minus vaga Venus uno impetu aut etiam sine discrimine pudoris septa perrumperet. Est enim memoria non indignum quod ea de re Chrysippus prodidit: *Πρῶτον μὲν ἔξω πόλεως καὶ προσωπεῖα περικείμεναι αἱ ἑταῖραι ἐξεμίσθουν ἑαυτὰς τοῖς βουλομένοις· εἶθ' ὕστερον καταφρονήσασαι ἀπέθεντο τὰ προσωπεῖα; καὶ ὑπὸ τῶν νόμων μὴ ἐπιτρεπόμεναι εἰσιέναι εἰς τὰς πόλεις, ἔξω ἦσαν αὐτῶν* [*Primum meretrices extra urbes et personas sibi imponentes volentibus sui faciebant copiam; postea inverecundiores abiecere personas: attamen Legibus non sinentibus eas in urbes ingredi, extra eas se tenebant*]. Quae verba eo libentius refero, quia quod dicit antiquitus meretrices non in urbibus sed in agro (moris cuius vestigia etiam apud ipsos Peruanos et Tartaros reperta sunt) neque aperto sed obtecto vultu prostitisse, verissimum esse ex ipsius Mosis narratione apparet, Gen. 38: 14. Apud Romanos qui virginem ingenuam stupraset poena capitali afficiebatur. Neque meretricia vita permittebatur nisi eam vitam professis, quas Leges existimabant, ut inquit Tacitus, satis ipso pudore cruciari. Quare quod ad Iudae ac Thamaris historiam Hebraei notant, scorti usum ante Legem permissum fuisse, concedi potest si de impunitate est quaestio; non

item

item si de eo agitur quod sine turpitudine fieri potuit. Atque adeo etiam primum cum bello capta congressum illicitum censuit Rabbinus Iohannes Maimonidae memoratus. Gerundensis vero et alii censent dissimulatum magis quam probatum. In libro qui inscribitur Constitutiones Clementis refertur decretum Apostolicum quod exstat Act. 15 hisce verbis: Ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς τοῦ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν ἐθνῶν, εἰδωλοθύτου καὶ αἵματος καὶ πνικτοῦ καὶ πορνείας, ἅπερ καὶ τοῖς πάλαι ἐνενομοθέτητο τοῖς πρὸ τοῦ νόμου φυσικοῖς, Ἐνὼς, Ἐνὼχ, Νῶε, Μελχισεδὲκ, Ἰὼβ καὶ εἴτις τοιοῦτος ἐγεγόνει [*Mandare eis ut abstineant a Gentium inquinamentis, immolatitiis et sanguine et fornicatione: quae praecepta data fuerant etiam illis qui ante Legem Naturae Iure vixerunt, Enoso, Enocho, Noae, Melchisedeco, Iobo, et si qui alii tales*]. Adde quae dicentur infra 15: 19.

28. Ὅτι πᾶς ὁ βλέπων, *quia omnis qui viderit*] Quia nimirum

—— *oculi sunt in amore duces*,

ut ille ait; aut ut Plato loquitur ἄρχει τοῦ ἔρωτος ὅρασις [*principium amori dat adspectus*]. Apud alium est: Ἡ ἐπιθυμία διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἔρχεται [*Cupido per oculos intrat*], quod ipsum exsequitur Platonem sequens Plutarchus Symposiacôn III. 6. Bene Salvianus dixit, *fenestras quodammodo esse nostrarum mentium lumen oculorum, et omnes cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales cuniculos, intrare*. Hinc *oculi pleni adulterii* apud Petrum 2 Epist. 2: 14. Tertullianus De Pudicitia: *Carnem spiritu librare, animum fide moderari, oculum metu temperare Christiani est.*

Γυναῖκα, *mulierem*] Potest de quavis muliere sumi, ita ut quod sequitur μοιχᾶται [*moechatur*] sumatur laxius: atque adeo vetetur hic etiam τῆς πορνείας [*fornicationis*] prolusio. Simplicius tamen est ut γυναῖκα [*mulierem*] intelligamus τὴν γαμετὴν [*nuptam*], quomodo saepe ea vox sumitur, ut et Latina *mulieris*: non quod non etiam τὴν πορνείαν [*fornicationem*], quippe etiam Iudaeis non probatam, vehementer improbet Christus, sed quod in eodem peccandi genere intraque easdem personas maluerit

consistere, quo apertior esset actuum internorum atque externorum comparatio.

Πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, ad concupiscendum eam] Hoc est proprie quod dicit Iob 31: 7. *Si animus oculos est insecutus*. Hebraei posteriores id vocant זן עיני מן השרה *pascere oculos illicito spectaculo: ὁρᾷν ἀκολάςως* [*adspicere intemperanter*] Chrysostomus VIII ad Roman. Apparet ergo a Christo eum hic notari qui, impuro amori animum mancipans, vulnus suum fovet adspectu. Petulcos impudicorum hominum intuitus hic notari ait Salvianus. Tertullianus de Velandis Virginibus: *Christianus salvis oculis feminam videt, animo adversus libidinem caecus est*. Quintilianus pater: *Tu alienam matronam aliter quam Leges permittunt adspexisti*. Lactantius lib. VI. cap. 23. *Non tantum adulterium esse vitandum praecipit Deus, sed etiam cogitationem, ne quis adspiciat alienam et animo concupiscat*. Quamvis autem τὸ ἐπιθυμεῖν [*concupiscere*] soleat et in bonam partem accipi, hic tamen ut multis aliis in locis in vitio ponitur, ut *cupere* apud Afranium: *Amabit sapiens, cupient caeteri*. Iustinus τὸ ἐπιθυμεῖν exponit τῆς ὀρέξεως ἀναθυμίασιν [*appetitus exhalationem*]. Idem ad Zenom. Πάσης οὖν ἐπιθυμίας καὶ ὀρέξεως σαρκικῆς ἐκτὸς δεῖ εἶναι τὸν πιςόν [*Debet ergo vir fidelis esse extra omnem concupiscentiam et appetitum carnalem*]. Clemens paulo subtilius: Ἐὰν εἰς κάλλος σώματος βλέψῃ τις, ὁ Λόγος φησὶ, καὶ αὐτῷ ἡ σὰρξ εἶναι κατ' ἐπιθυμίαν δόξῃ καλὴ, σαρκικῶς ἰδὼν καὶ ἁμαρτητικῶς, δι' οὗ τεθαύμακεν, κρίνεται [*Si ad formam corporis quis respexerit, ait Sermo, et ei caro pulchra visa fuerit secundum concupiscentiam, quia carnaliter et vitiose adspexit, per id ipsum quod contemplatus est, damnatur*]. Athenagoras: Ἡμεῖς δὲ τοσοῦτον ἀδιάφοροι εἶναι ἀπέχομεν ὡς μηδὲ ἰδεῖν ἡμῖν πρὸς ἐπιθυμίαν ἐξεῖναι [*Nos tantum abest ut talia ponamus in rebus mediis, ut ne adspicere quidem ad concupiscentiam nobis liceat*]. Posset et ἐπιθυμῆσαι hic interpretari *sollicitare*, quomodo et חמד Hebraicum sumi solet. Sic in Canone IV Synodi Neocaesariensis: Ἐὰν πρόθηταί τις ἐπιθυμῆσαι γυναικὸς, συγκαθευδῆσαι μετ' αὐτῆς [*Si quis proposuerit sollicitare feminam ad concubitum*].

Ἤδη

"Ηδη ἐμοίχευσεν αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, iam moechatus est eam in corde suo] Homines qui de animo nisi ex signis exterioribus iudicare non possunt, delicti nomen actui ultimo imponunt. Et tamen ipsi Iurisconsulti fatentur animum distinguere maleficia. Itaque si telum manu fugit, qui hominem occidit homicida non est: Contra Romanis Legibus etiam is homicida est qui hominis occidendi causa cum telo ambulavit, quod et ad Mosis Legem trahit Philo: *Καὶ ἂν ἐξ ἐνέδρας μέν τοι τις ἐπιχειρήσας ἀνελεῖν τινα, μὴ δυνηθῇ κτεῖναι, τῇ τῶν ἀνδροφόνων οὐδὲν ἧττον ὑπόχος δίκῃ καθέστηκεν, ὡς ὁ γραφεὶς περὶ τούτων δηλοῖ νόμος· ἐὰν γάρ φησι τὶς ἐπιθῆται τῷ πλησίον, ἀποκτεῖναι αὐτὸν δόλῳ, καὶ καταφύγῃ ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου, λήψῃ αὐτὸν θανατῶσαι. καὶ τοι ἐπιτίθεται μόνον, οὐκ ἀνῄρηκεν, ἀλλ' ἴσον ἡγήσατο ἀδίκημα τῷ κτεῖναι τὸ βουλεῦσαι τὸν φόνον* [*Si quis ex insidiis conatus aliquem interficere, non potuerit, is nihilominus homicidarum poenae subiacet, ut ostendit de eo scripta Lex: Si quis, inquit, insidiatus sit proximo, ut eum dolo necet, et profugiat ad altare, capies eum ut occidas. Atqui insidiatus est, non occidit; sed par iudicavit crimen hoc egisse ut occideret, et occidisse*]. Ostendunt nimirum Leges quid cupiant; sed quod cupiunt plene praestare non possunt. Bene Tertullianus: *Mediocritas humana de factis solum iudicat, quia voluntatis latebris par non est. Latro est*, inquit Seneca, *etiam antequam inquinet manus. Exercetur atque aperitur opere nequitia non incipit.* Eiusdem est: *Fecit quisque quantum voluit.* Aristophanes: *Δύναται γὰρ ἴσον τῷ δρᾶν τὸ νοεῖν* [*Par est facere et voluisse malum*]. Apud Deum, mentium exploratorem, qui voluit scelus is fecit. Vide apud Herodotum de Glauco historiam, quae et apud Iuvenalem exstat cum hoc epiphonemate:

Has patitur poenas peccandi sola voluntas.

Eiusdem est:

Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

In ipso hoc adulterii crimine verum hoc esse vidit magister nequitiae, plane idem de muliere dicens quod hic de viro dicitur:

 Si-

Si qua metu demto casta est, ea denique casta est.
Quae quia non liceat non facit, illa facit.
Ut iam servaris bene corpus adultera mens est:
Omnibus exclusis intus adulter erit.

Quod imitatus Lactantius dixit, *adulteram fieri mentem, si vel imaginem voluptatis sibi ipsa depinxerit.* Seneca: *Non immerito in numerum peccantium refertur qui pudicitiam timori praestitit, non sibi.* Pater Seneca: *Incesta est etiam sine stupro, quae cupit stuprum.* Praecipue autem hoc dictum Christi locum habere post τὴν συγκατάθεσιν [*consensionem*] prudenter vidit Scriptor Responsionum ad Orthodoxos, cuius haec sunt verba: *Οὔτε εἰ ἡ γνῶσις ἐξυπνίσει τὸ τῆς ἐπιθυμίας πάθος, οὐδ' οὕτως πόρνος ἐςίν· ἐὰν δὲ συγκατατίθηται τῷ πάθει ἡ προαίρεσις, τότε ἐςὶ πόρνος ἢ κατὰ τὴν πρᾶξιν ἢ κατὰ τὴν διάθεσιν* [*Si notitia excitaverit cupiendi affectum, non utique erit scortator; at si voluntas affectui consenserit, tunc erit talis aut actu aut animi proposito*]. Tertullianus De Poenitentia: *Voluntas facti origo est, quae ne tunc quidem liberatur, cum aliqua difficultas perpetrationem eius intercepit: ipsa enim sibi imputatur, nec excusari poterit per illam perficiendi infelicitatem, operata quod suum fuerat.* Pertinet huc quod Iudaei olim dixerunt teste libro Alcath Rochel, *Messiam ablaturum ab homine* יצר הרע *malum fomentum*, τὴν ἐπιθυμίαν [*cupiditatem*].

29. *Εἰ δὲ ὁ ὀφθαλμός σου ὁ δεξιός, quod si oculus tuus dexter*] In hunc quoque locum, ni valde animi fallor, multa congeruntur subtiliora quam ferat sermonis popularitas. Mihi tum illud εἰ δὲ, tum quod haec verba non praeceptorum congeriem sequuntur, sed indivulsâ continentiâ annectuntur ei quod de adulteris amoribus dictum est, praeterea vero repetitum *oculi* nomen quod paulo ante praecesserat, planum facere videntur huius sententiae, quamvis eius vis latius se porrigat, occasionem natam ex his quae dicta erant commate antecedente, ita ut ad tacitam quandam obiectionem responderetur, argumento ab eo quod maius est ducto hunc in modum. Dicat forte aliquis haec audiens, feminae praesertim formosiores sunt ἀλγηδόνες ὀφθαλμῶν [*dolores oculorum*], quod de Persicis dici solebat; et natura ita est com-

comparatum ut difficile sit non amare quod pulchrum est. Quapropter

casso saltem delectamine
Amare liceat si potiri non licet.

Respondetur ex duobus incommodis eligendum esse id quod est minus; nempe ut modo citatus Poëta hoc argumentum ex prudentiae non ex pietatis praescripto tractans dixerat:

Dura aliquis praecepta vocet mea: dura fatemur
Esse, sed ut valeas multa dolenda feres.

Si gangraena aut morbus similis partem corporis quamvis caram occupasset, aequum esset ut patereris eam praecidi potius quam proserpens malum toti corpori exitium crearet; ut apud Plutarchum est: *Καὶ τὸν πόδα καὶ τὴν χεῖρα ὁ γεννήσας ἐποίησεν· ἀλλ' ὅταν σαπῇ, μισθὸν δίδωσι τῷ ἀποκόπτοντι* [*Pater et pedem et manum filii effecit; sed si ea putuerint, dat ultro abscindenti mercedem*]. Quanto iustius id faciendum esset ubi aeterna animi corporisque pernicies imminet ni antevertas. Simili ferme modo argumentatur idem ille quem dixi:

Ut corpus redimas ferrum patieris et ignes,
Arida nec sitiens ora levabis aqua.
Ut valeas animo quicquam tolerare negabis?

Subticetur autem id quod ab auditore facile suppleri potest in hunc sensum. Atqui cum maius sit periculum quod tibi monstro quam huius vitae mortalis iactura, minus tamen est quo vitari id periculum potest. Deberes, si aliter te servare non posses, vel oculum tibi eruere; at mihi satis est si eum a vultu illecebroso avertas: manum deberes tibi praecidere; ego nihil amplius postulo quam ut eam arceas ab impudicis contrectationibus. Eorum qui pedem sibi abscindi passi sunt habemus exempla; mihi sufficit ut alio, quam ubi mali fomenta sunt, gressum dirigas:

Perfer et invitos currere coge pedes.

Non dissimile est dictum apud Senecam: *Proiice quaecunque cor tuum laniant, quae si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis evellendum erat.* Sensus hic ipse quem dicimus late fuseque tractatus exstat apud Porphyrium libro primo circa finem De abstinentia ab ani-

animalibus. Ostendit enim et ille, cum corporis servandi causa tam dura patiamur, multo maiora patienda ut divina immortalitas animis paretur; et hanc tamen plerumque minoris constare, nempe voluptatum abscissione. Philo: *Ἐὰν κάλλος ἰδὼν αἱρεθῇς αὐτῷ καὶ μέλλῃς πταίειν περὶ αὐτὸ, φύγε λαθὼν ἀπὸ τῆς φαντασίας αὐτοῦ* [*Si conspecta pulchritudine ab ea captus sis et inde labi pericliteris, clam fuge ab ista imagine*]. In hac circumlocutione pedum quoque memini, quia et eorum fit mentio infra 18: 8 et Marc. 9: 45, quibus in locis id quod hic occasione eius affectus qui solet esse impotentissimus dictum erat, generaliter omnibus vitiis aptatur. Est enim eadem ratio. Hinc Iob cap. 31 de fuga tam iniustitiae quam obscoeni amoris agens ait, *fedus se cum oculis pepigisse, manibus nihil adhaesisse iniqui, pedem suum non festinavisse ad dolum.* Summa igitur huius praecepti est: Vitanda pravarum cupiditatum alimenta. Cupiditas enim actum parturiens, si eum eniti prohibeatur, abortum faciens, ipsa quoque interit. Neque vero dubito quin et hoc Christus, minime novandi cupidus, sumserit ex veterum Hebraeorum praeceptis, unde et Philo haec hausit: *Διόπερ ἑλέσθαι ἂν μὲν δοκοῦσιν οἱ μὴ τελείως ἀπαίδευτοι πεπηρῶσθαι μᾶλλον ἢ τὰ μὴ προσήκοντ' ὁρᾷν, κεκωφᾶσθαι μᾶλλον ἢ βλαβερῶν ἀκούειν λόγων, καὶ ἐκτετμῆσθαι γλῶτταν ὑπὲρ τοῦ μηδὲν τῶν ἀῤῥήτων, ἐκλαλῆσαι* [*Ideoque homines non plane imperiti, potius optabant excaecari quam illicita cernere, potius obsurdescere quam noxios audire sermones, et linguam excindi quam dicere non dicenda*], et quae sequuntur. Chrysostomus de Ieiunio sermone secundo, praeceptum hoc Christi, quod durum videtur, ait esse mitissimum: durum futurum fuisse, si iussisset nos adesse feminis, eas adspectare et abstinere. Adde si id praecepisset quod Xenocratem praestitisse narrat Valerius Maximus.

Ὁ δεξιὸς, dexter] Id est, *κἂν ὁ δεξιὸς* [*quamvis dexter*]; quod ideo dictum quia, ut ait Aristoteles, *φύσει βέλτιον τὸ δεξιὸν τοῦ ἀριστεροῦ* [*natura dextrum sinistro melius*].

Σκανδαλίζει σε, scandalizat te] יקש לך, ut loquuntur Prophetae. Nam quod inde venit מוקש *σκάνδαλον* vertunt LXX Ps. 69: 23, 106: 36, 140: 6, quos sequitur Paulus Rom.

Rom. 11: 9. Et certe respondet primitiva significatio. Nam σκανδάληθρον apud Aristophanem interpres exponit τὸ ἐν τῇ παγίδι ἐπικαμπὲς ξύλον [*obliquum in pedica lignum*], Pollux τὸ ἐν ταῖς μυιάγραις ἐνιστάμενον παττάλιον [*stantem in muscipulis paxillum*]. Idem autem esse σκάνδαλον docet nos Hesychius. Sed et σκώλου nomine res eadem significatur, qua voce מוקש interdum transferunt LXX interpretes. Per tralationem designat haec vox omne id quod exitii causam praebet, ut Ps. 140: 6, ἐχόμενα τρίβου σκάνδαλα ἔθεντό μοι [*iuxta iter scandalum posuerunt mihi*], quo sensu reperitur et Iudith. 5: 20 et 12: 2. Ac proinde etiam id quo quis ad delinquendum incitatur, uti Deut. 7: 16, et passim apud Novi Federis Scriptores. Sensum affinem, quanquam aliunde ducta similitudine, habet vox מכשל, quod proprie est πρόσκομμα [*offendiculum*], cuius vocis additamento vocem σκάνδαλον interpretatur Paulus Rom. 14: 13. Quare mirum non est quod Syrus hic σκάνδαλον vertit מכשלא, cum et LXX מכשל verterint σκάνδαλον, Levit. 19: 14. Id ipsum *offensam* dixit Seneca, *per huiusmodi*, inquiens, *offensas emetiendum est confragosum hoc iter.*

Βάλε ἀπὸ σοῦ, proiice abs te] *Proiice*, quo verbo Latini quoque rei contemtum indicant.

Συμφέρει γάρ σοι, expedit enim tibi] Ἀγαθὸν γὰρ ἀντὶ μείζονος κακοῦ ἐλάττονος λῆψις [*Bonum enim est minoris mali sumtio pro maiori*], ut inquit Aristoteles Rhetoricorum I. cap. 6.

Καὶ μή, et non] Hebraismus ולא, quod valet *ne*. Quare ita optime verteris: *Expedit enim tibi unum membrorum tibi perire, ne totum corpus proiiciatur in gehennam.*

Γέενναν, gehennam] Vox ista, quae modo comparate supplicia alterius seculi figurabat, nunc translate eadem notat. Et Matthaeus quidem nihil ultra addidit, quippe Palaestinae habitatoribus scribens, apud quos pridem vox ista eum sensum acceperat: ut ex veterum Hebraeorum libris apparet. Marcus vero, ut et qui ei vocabulo minus sueti erant vim eius intelligerent, apposuit πῦρ τὸ ἄσβεστον [*ignem inexstinguibilem*]. Ponitur autem in his libris ubique pro suppliciis post resurrectionem, non pro statu qui mortem et resurrectionem intercedit.

31.

31. *Ἐῤῥέθη δὲ, Dictum est autem*] Nimirum a Mose, iussu Divino, non privato Mosis consilio, quod sensit Origenes et eum secutus Ambrosius; quem errorem in Ptolemaeo quodam graviter accusat Epiphanius: nisi hoc potius sensisse putemus Origenem et Ambrosium, a Mose haec et alia quaedam huius generis pro prudentia sua excogitata et relata ad Deum, qui ea deinde ut isti populo et temporibus commoda probaverit. Certe Deut. 1: 3, 5: 1, 6: 1, aperte dicitur Moses populo proposuisse ea quae Deus praeceperat: inde autem ad caput usque de divortio unus est atque continens sermo. Neque vero credibile est Mosem, qui de specie controversa iuris hereditatium respondere nihil voluit Deo inconsulto, in re momenti multo maioris quicquam constituisse Dei iniussu. Neque movere quemquam in contrariam sententiam debuit, quod Mosi hoc factum ascribit Christus infra 19: 8. Nam passim ea etiam quae a Deo profecta nemo dubitat, Moses, quippe lectus in eam rem a Deo minister, dixisse ac praecepisse memoratur, ut infra 8: 4, Marc. 1: 44, 7: 10, Luc. 5: 14.

.*Ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, quicunque dimiserit uxorem suam*] Nam maritis id ius concessum, non vicissim mulieribus, ut apud Romanos. Prima enim apud Iudaeos Salome Costobari uxor contra antiquos mores eam licentiam usurpavit, teste Iosepho. Differentia haec originem habuit ex iure maritali. Nam uxores iure Hebraeo in manu erant coniugis, ut multis indiciis apparet. Recte autem verteris *ἀπολύσῃ repudiaverit*, quia id actum animi maxime denotat quem testatur libellus, unde sequitur divortium. Neque enim recepit usus, ne Iurisconsultorum quidem, ut divortium post nuptias, repudium tantum ante nuptias dicatur, sed ipsa renuntiatio sive ante nuptias sive post eas ita appellari solet. Caius Iurisconsultus: *In repudiis autem, id est in renuntiatione, comprobata haec sunt verba*, Tuas res tibi habeto. *Item haec*, Tuas res tibi agito. *In sponsalibus quoque discutiendis placuit renuntiationem intervenire oportere, in qua re haec verba probata sunt*, Conditione tua non utar. — Paulus: *Per calorem misso repudio si brevi reversa est uxor nec divortisse videtur.* Iustinus Martyr ad

ad Senatum Romanum, τὸ καλούμενον παρ᾽ ὑμῖν ῥεπούδιον [*id quod a vobis dicitur repudium*], de matrimonio dirimendo agens.

Δότω αὐτῇ ἀποςάσιον, det illi libellum repudii] Infra, βίβλιον ἀποςαδίου. Iosepho γραμματεῖον ἀπολύσεως. *Libellum divortii dare*, dixit Papinianus; *libellum repudii tradere*, Imperator Diocletianus. Origo nominis ab ἀφίςασθαι, quod est *discedere*. *Divortere* autem et *discedere* proprie in Latino sermone uxor dicitur quae sponte sua matrimonium dirimit: quod Attici vocabant ἀπολείπειν. At feminis Iudaeis, ut diximus, id non licebat. Virorum autem proprie est τὸ ἀποπέμπεσθαι [*dimittere*], qua voce et Iosephus utitur: Hebraeis גרש. Recte autem libellus divortii aut discessionis dicitur etiam is quo maritus iubet uxorem a se divortere aut discedere. Id autem continebat expresse, continetque etiamnum hodie Iudaici libelli formula, quae talis est: *Mea sponte, nullius coactu te uxorem hactenus meam dimittere a me, deserere ac repudiare decrevi; iamque adeo te dimitto, desero ac repudio, atque a me eiicio, ut tuae sis potestatis, tuoque arbitratu ac lubitu quo libet discedas: neque id quisquam ullo tempore prohibessit. Atque ita dimissa esto ut cuivis viro nubere tibi liceat.* Veterem esse hanc formulam Iosephus nos docet cum ait: Γυναικὶ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ᾽ ἑαυτὴν ἔξεςι γαμηθῆναι μὴ τοῦ πρότερον ἀνδρὸς ἀφίεντος [*Mulieri vero ne quidem si divorterit suo arbitratu nubere permittitur, sed ita demum si vir suus eam a se dimiserit*]; et alibi: Λάβοι γὰρ ἂν οὕτως ἐξουσίαν συνοικεῖν ἑτέρῳ [*Ita enim facultatem accipiet nubendi viro alteri*]. Et hinc est quod hic actus dicitur ἀπόλυσις [*dimissio*]. *Domo egredi iussa*, inquit Quintilianus; et Iuvenalis:

Collige sarcinulas dicet libertus et exi.

Martialis, *uxor vade foras*. Titinnius, *aedibus facessat*. Varro, *foras betere iussit*. In Epistola Medeae ad Iasonem, *cede domo*. Sed et *eiiciendi* verbum, quod Iudaei usurpant, Latinus sermo eodem sensu recepit. Cicero, *mimam exegit*. Hebraea vox ספר כריתות ad verbum si reddas, erit *libellus abscissionis*, id est χωρισμοῦ. Nam et χωρίζεσθαι pro *divortium facere* dixit Paulus 1 Cor. 7: 10,

10, 11, 15. Iustinus, τῆς συζυγίας χωρίζεσθαι [*a coniugio abscindi*]. *Dissolvere, separare, dirimere matrimonium* dicunt Latini Iurisconsulti. Errare autem eos qui putant Iudaeis non licuisse uxorem dimittere nisi causa apud Iudicem probata, satis ex hoc loco apparet. *Dictum* enim *esse* ait Christus, *qui uxorem dimissam vult, libellum det repudii*. Dubitationem omnem nobis Iosephus eximit, qui de se agens ita ait: *Καθ' ὃν δὴ καιρὸν καὶ τὴν γυναῖκα μὴ ἀρεσκόμενος αὐτῆς τοῖς ἤθεσιν ἀπεπεμψάμην* [*Quo tempore et uxorem dimisi quod eius mores mihi non placerent*]. Verum tamen est hunc actum non minus quam hereditatis cessionem atque alios solenniores solitos coram Iudicibus peragi, quod nos Digesta Thalmudica docent: sed erat hoc iurisdictionis voluntariae, non contentiosae, quomodo manumissio apud Praetorem Iure Romano. Cognitionem igitur suam Iudex non interponebat, nisi de dote aut donatione propter nuptias controversia inciderat; plane ut et apud Romanos. Nam Romano veteri Iure instituta erat de moribus actio, qua victa mulier dotem aut totam aut partem eius amittebat. Sed et postulare mulier poterat si innocentiae suae confideret, ut scripto testaretur aut maritus aut Iudices nullius se flagitii compertam. Alioqui quoties, ut Romani loquebantur, bona gratia fiebat divortium, nulla opus erat cognitione. Exemplum huius illustre est apud Iosephum Originum XVII. 1. *Ἐν τούτῳ δὲ καὶ τὴν Ἀρχελάου θυγατέρα τοῦ βασιλέως Ἡρώδης ὡς τὸν αὐτῆς πατέρα ἐξέπεμψεν Ἀλεξάνδρῳ συνῳκηκυῖαν, ἐκ τῶν αὐτοῦ τὴν προῖκα ἀποδοὺς, ὥστε ἀμφισβήτημα αὐτοῖς μηδὲν εἶναι* [*Hoc ipso tempore Herodes Regis Archelai filiam Alexandri uxorem ad patrem emisit, de suo dotem reddens ne quid esset controversiae*]. Sed et illos falli apertum est, qui apud Mosen ערות דבר [*propter aliquam foeditatem*] ad stupri suspicionem trahunt: quanquam ea non nova est sed vetus Sameae interpretatio, dissentiente Hillele quem *Pollionem* Iosephus appellat. Nam si Moses in ea duntaxat specie divortium concessisset in qua eam concedit Christus, non diceret Christus, eam concessionem factam *ob duritiem* Iudaeorum contra originale institutum, ad quod ipse nos revocat, infra 19: 8, Marc. 10: 5. Neque-

re-

recte tum dixisset Moses; *Si non sit gratiosa apud eum*. Quid enim id opus dicere de adultera? Ex diversis igitur Scholae auctoribus nata illa quaestio, *An liceret viro uxorem dimittere κατὰ πᾶσαν αἰτίαν* [*ex quavis causa*], infra 19: 3. Hodie Iudaei neque Sameam sequuntur neque Hillelem. Probant enim divortium non *κατὰ πᾶσαν αἰτίαν*, ut Hillel, sed ob multas tamen causas ἐκτὸς τῆς πορνείας [*extra stuprum*], quae enumerantur in Digestis Thalmudicis, et nunc quoque a Magistris anxie expenduntur. At Sameae sententiam ille sequebatur cuius hoc proverbium exstat de uxore: *Os quod tibi contigit rode.*

Huic quae de vocum istarum explicatione est quaestioni adhaeret altera inter Sacrorum librorum interpretes multum agitata, an scilicet ius illud in Deuteronomio constitutum effecerit ut recte id de quo agitur fieret, an duntaxat ut fieret impune. Quin Deus potuerit introductum a se matrimonii vinculum relaxare, si vellet; quin etiam potuerit manente vinculo Iudicibus dissimulationem imperare, dubitari non potest: sola ergo voluntatis coniectura est. Mihi id quod posterius dixi vero similius videtur. Primum, quia ob duritiem Iudaeorum permissionem hanc factam Christus docet, nimirum ne duriori tractationi aut etiam veneficiis daretur occasio. Ad talem autem finem sufficit sola impunitatis concessio: neque solet malitia hominum privilegiis sublevari. Accedit huc, quod consuetudo, legis interpres, nullam a marito causam diremti matrimonii exegerit. Alioqui enim non potuisset Iosephus Mariam clam dimittere. Potuit igitur maritus dicere, quod Romae dixit Paulus Aemilius, *sibi optime notum qua calceus urgeret.* Atqui aut nulla aut levissima de causa uxorem dimittere, ut iam de primaeva Dei institutione nihil dicam, vel sola caritatis lex prohibebat, sive uxorem respicias, quae veluti supplex ad mariti tutelam confugit, sive communes etiam liberos. Non potuit igitur factum quavis ex causa divortium rectum probumque censeri. Unde sequitur permissionem hanc, saltem in nonnullis casibus, a poena, non a vitio liberasse. Quin ne exemplum quidem ullius laudati viri, qui licere id sibi voluerit, invenitur. Et Romani, cum nulla lex repudium vetaret, annos tamen quingentos et vi-

viginti sine exemplo repudii egerunt. Nec quisquam ferme scriptorum est qui non graviter reprehendat M. Tullium Ciceronem, quod levibus de causis Terentiam dimiserit. Voluit igitur Deus vocibus illis ערות דבר, quae *probrum* aut, ut LXX verterunt, *ἄσχημον πρᾶγμα* significant, admonere Hebraeos ne temere uxores dimitterent: caeterum, ut graviora mala evitarentur, et veritatem et gravitatem causae noluit ad alienum arbitrium referri, sed ipsius mariti animo id aestimandum permisit. Quod mirum non est, cum veterum Gallorum aliarumque gentium leges ius vitae ac necis in uxores maritis concesserint. At notum est quosvis Iudices, quorum summae ac liberrimae potestati res aliqua permittitur, insontes non esse si ab aequi bonique regula discedant. Ius ergo fuit ut quavis de causa uxorem maritus posset expellere, sed ea notione qua Praetor *ius reddere* dicitur etiam cum iniuste decernit, ut Paulus Iurisconsultus loquitur: qui et alibi dixit *non omne quod licet honestum esse*. *Licere* enim in communi usu aliquid dicitur quod extra poenam est, et quominus fiat a nemine impediri potest. Ita licebat ante Antonini tempora dominis servos occidere indicta causa; sed tamen qui id facerent ob causas non admodum graves eorum inhumanitas bonis odio erat: et Augustus narratur Senatori cuidam eo nomine succensuisse. Seneca optime: *In mancipio cogitandum est non quantum illud* IMPUNE *pati possit, sed quantum tibi permittat* AEQUI BONIQUE *natura*. Sed Iudaei et humanitatis et caritatis immemores, quod Lex dissimulabat, in eo nihil a se peccari arbitrabantur, aut certe causas quantumvis futiles admittebant in morositatis suae patrocinium. De loco Mal. 2: 15, qui est obscurior, illis assentior qui כי שנא שלח interpretantur *si odisti, dimitte*. Fert hanc interpretationem Hebraea constructio: nempe potius quam ut uxorem Hebraeam velut mancipium tractes in gratiam extranearum mulierum. De hac duritie ait Propheta feminas apud Deum conqueri: et ut ostendat facti iniquitatem, exemplo utitur Abrahami, viri cordatissimi, qui cum iustissimo teneretur desiderio prolis, tamen eam noluit habere nisi ex piis matribus. Nam אחד [*Unum*] Abrahamum vocari solere Iudaei magno consen-

su

su tradidere. Videtur autem nomen illud אחד Abrahamo adhaesisse ex eo quod unus ex tanto hominum numero a Deo esset electus auctor sancti et immensi generis. Indicare hoc videtur Scriptor ad Hebr. 11: 12. *Διὸ καὶ ἀφ' ἑνὸς ἐγεννήθησαν* [*Propter quod et ab Uno orti sunt*], ubi *ἀφ' ἑνὸς* [*ab Uno*] est כאחד, quo trahi potest illud eiusdem Scriptoris 2: 11. *Ὅ τε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες* [*qui enim sanctificat et qui sanctificantur ex Uno omnes*]. Nam mox sequitur, *σπέρματος Ἀβραὰμ ἀντιλαμβάνεται* [*semen Abrahami apprehendit*]. Sicut autem Abrahamus אחד, ita filius eius Isaacus cognomento vocatus creditur יחיד, id est, *μονογενής* [*unigenitus*], Genes. 22: 2, Hebr. 11: 17. Sanchuniatho in Phoeniciis: *Ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς τῶν κινδύνων ἀντὶ τῆς πάντων φθορᾶς τὸ ἠγαπημένον τῶν τέκνων τοὺς κρατοῦντας ἢ πόλεως ἢ ἔθνους εἰς σφαγὴν ἐπιδιδόναι, λύτρον τοῖς τιμωροῖς δαίμοσι· κατεσφάττοντο δὲ οἱ διδόμενοι μυστικῶς· Κρόνος τοίνυν, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι, βασιλεύων τῆς χώρας, καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ Κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας νύμφης Ἀνωβρὲτ λεγομένης υἱὸν ἔχων ΜΟΝΟΓΕΝΗ, ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλουν, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι, κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφότων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν, βωμόν τε κατασκευασάμενος κατέθυσεν* [*Mos fuit antiquis ut, ubi magna pericula supervenerant, is qui in civitate aut gente regnaret dilectissimum filiorum in caedem daret, velut pretium Diis Ultoribus pro communi exitio. Saturnus igitur, quem Phoenices Israel vocant, in ea regione regnans, qui et post vitae exitum in Saturni stellam consecratus est, filium habens* Unigenitum *ex Nympha indigena dicta Anobret, quem ob id Iehud vocabant, quo nomine etiam nunc Phoenices unigenitum appellant, cum maxima ex bello pericula eam regionem invasissent, filium ornatum regaliter altari exstructo mactavit*]. Quibus verbis homo Tyrius multis modis Sacram historiam depravans, quod fere omnibus contigit non Iudaeis qui res Iudaicas tradiderunt, Israelem pro Abrahamo, hoc est nepotem pro avo nominasse putatur, eundem dicens esse *Saturnum*, nimi-

rum quia posteri eius Saturni die feriabantur: Ἀνωβρὲτ autem, id est הנבחרת ἐκλεκτὴν [*electam*], vocasse Saram. Nam Ἰεοὺδ pro Ἰεεὶδ dialectus magis est quam corruptio vocabuli. Sic et Orpheus μουνογενῆ [*unigenitum*] posuit ἀντὶ τοῦ ἑνὸς [*pro uno*], יחיד pro אחד, id est, Isaacum pro Abrahamo, cum ei dicitur nemo fuisse qui Deum verum recte cognosceret:

> *Εἰ μὴ μουνογενής τις ἀποῤῥὼξ φύλου ἄνωθεν*
> *Χαλδαίων· ἴδρις γὰρ ἔην ἄστροιο πορείας.*
> [*Unigena ille nisi Chaldaeo sanguine cretus,*
> *Norat enim Solis qua se astrum lege rotaret.*]

Nam sideralis scientiae famam Abrahamus habuit, non Isaacus. Berosus: *Μετὰ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ Χαλδαίους τις ἦν δίκαιος ἀνὴρ καὶ μέγας καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος* [*Post Diluvium generatione decima apud Chaldaeos vir fuit iustus et magnus et coelestium peritus*]. Eupolemus: *Γενέσθαι Ἀβραὰμ γενεᾷ εὐγενείᾳ καὶ σοφίᾳ πάντας ὑπερβεβηκότα, ὃν δὴ καὶ τὴν ἀστρολογίαν καὶ Χαλδαϊκὴν εὑρεῖν* [*Fuisse hoc tempore Abrahamum nobilitate et sapientia supra caeteros eminentem, qui et Astrologiam et Chaldaicam artem invenerit*]. Artapanus: *Τὸν δὲ Ἄβραμον τὴν ἀστρολογικὴν ἐπιστήμην παιδευθέντα πρῶτον μὲν ἐλθεῖν εἰς Φοινίκην, καὶ τοὺς Φοίνικας ἀστρολογίαν διδάξαι· ὕστερον δὲ εἰς Αἴγυπτον παραγενέσθαι* [*Abrahamum institutum Astrologicâ disciplinâ primum venisse in Phoenicen, ubi Phoenicas Astrologiâ instituerit, inde ivisse in Aegyptum*]. Nicolaus Damascenus: *Θαυμασθεὶς οὖν ἀπ᾽ αὐτῶν* (Abrahamus scilicet ab Aegyptiis) *ἐν ταῖς συνουσίαις ὡς συνετώτατος καὶ δεινὸς ἀνὴρ ὢν ἂν ἐπιχειρήσειε διδάσκειν, τήν τε ἀριθμητικὴν αὐτοῖς χαρίζεται, καὶ τὰ περὶ ἀστρολογίαν παραδίδωσι· πρὸ γὰρ τῆς Ἀβραάμου παρουσίας Αἰγύπτιοι τούτων εἶχον ἀμαθῶς· ἐκ Χαλδαίων γὰρ ταῦτ᾽ ἐφοίτησεν εἰς Αἴγυπτον· ὅθεν ἦλθε καὶ εἰς τοὺς Ἕλληνας* [*Cum ex colloquiis admirati illum essent, ut qui peritissimus esset et aptissimus ad ea quae vellet alios docenda, ipse eis et Arithmeticam et Astrologiam tradidit: nam ante Abrahami adventum ignorabant ista Aegyptii. A Chaldaeis quippe ista in Aegyptum, inde ad Graecos pervenerunt*]. Orpheus igitur, quem in Aegypto fuisse docet nos Diodorus Siculus, ibi de Abrahamo de-

que

que Mose ea intellexerit quae deinde aut ab ipso aut (quod Tatiano placet) ex ipsius libris ab Onomacrito in versus relata sunt. Haec quidem ita probabiliter de illo Philonis Byblii loco secundum alios dicta sunto. Ego enim magis credo *Ἰσραὴλ* errore apud Eusebium scriptum pro *ῑλ*, quia tali compendio *ῑλ* Graecis Christianis *Ἰσραὴλ* notabatur: *ῑλ* autem apud Philonem Byblium nomen fuerit Regis, cuius vocabulum datum fuerit sideri Saturni. Nam et alibi idem Philo Byblius *Ἶλον* ait Phoenicibus dici qui *Κρόνος* [*Saturnus*] est Graecis; איל [*fortitudo, virtus*] scilicet, pro quo alii אל.

32. *Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ego vero dico vobis*] Quod ante diximus, nullam iuris per Mosem promulgati partem a Christo infringi, at praecepta interim dari meliora quam Lex illa, praesertim quatenus in iudiciis observabatur, exigebat, ei tamen Divinae voluntati convenientia cuius vestigia in Mose et Prophetis apparerent, hic in memoriam revocandum est. Sensus enim est: Lex Mosis ne quid gravius eveniret, tibi de uxore iudicium indulsit: tu vide ut tanta potestate humane utaris, certus nulla Deo placere divortia nisi quae summa necessitas extorsit. In expositione sententiarum Bensyrae legitur: *Si quis uxorem habeat morosam et eam non repudiet, eum non venire in iudicium*, id est, eâ patientiâ Deum obtinere propitium.

Παρεκτὸς λόγου πορνείας, excepta fornicatione] *Εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ*, infra 19: 9. לבר מן מלתא רזניותא Syrus hoc loco, id est, *extra causam stupri;* altero loco דלא גורא, *quae non sit adultera. Praeter crimen adulterii* dixit Lactantius. *Πορνείας* [*fornicationis*] nomine omnem modum imminutae pudicitiae intelligi posse pridem diximus: quomodo et Plautus aliique *stuprum* pro *adulterio* posuerunt. At sunt qui *πορνείας* vocem imitatione Hebraismi latius porrigi velint, ad ea etiam delicta quae ad pudicitiae damnum non pertinent. Argumentum sumunt ex loco Iud. 19: 2, ubi de concubina Levitae dicitur ותזנה עליו, quo significari videtur non concubinam cum ipso Levita consuesse (id enim nihil novi, neque concubina apud Hebraeos stupri aut lege aut infamia tenebatur, cum a matre familias tantum dignitate dista-

 ret,

ret, et eo quod liberis ex ea natis ius non esset succedendi patribus in rebus soli: unde Iosephus παλλακίσι [concubinis] directe opponit εὐγένιδας [nobiles feminas], et alibi τὰς διασήμων θυγατέρας [virorum illustrium filias]), sed potius eam ipsi contumaciter immorigeram fuisse, ac tandem (quod sequitur) fuga deseruisse ipsius contubernium. Quam interpretationem et constructio vocum exigere videtur, et clare exprimit Chaldaeus interpres. LXX verterunt ὠργίσθη αὐτῷ [irata ei fuit]. Iosephus, ἀλλοτρίως εἶχε [alieno fuit animo a viro], deinde, καταλιποῦσα τὸν ἄνδρα [cum virum deseruisset]. Alterum quod affertur de falsorum Deorum cultu, qui eodem nomine indicari solet, minus firmum est, cum in ea tralatione maneat adulterii significatus, quia nimirum fedus cum Deo initum matrimonii habet similitudinem. Ego, cum vox πορνείας, et quae huic sunt παρώνυμα [agnata], tum apud Graecos tum apud horum librorum Scriptores perpetuam impudicitiae significationem habeat, ne hic quidem recedendum ab usu et proprietate vocis existimem. Interim, ut huius loci sensus recte accipiatur, observandum est Christum toto hoc sermone non Leges constituere Civiles, sed animis singulorum dare praecepta: et hic nominatim ab eo exponi, quo casu vir bonus Legis communis ad divortia spectantis beneficio uti possit. Quare cum Lex ipsa maritum ad Iudicem non remittat, ne Christus quidem id facere censendus est. Et sane si maritus paratus esset probare adulterium Iudici, iam non de dirimendo matrimonio, sed de punienda adultera ageretur. Quod ergo stuprum iusta esse divortii causa dicitur, id referri debet aut ad maritos lenes, qui ad poenam deposcere uxores nolunt, qualis erat Iosephus Mariae coniunx; aut ad eos qui quod ipsi credunt aut forte etiam certo compererunt probare tamen se in iudicio posse diffidunt, quo illud Hieronymi pertinet: *Ubicunque est fornicatio et fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur.* Quod tamen non ita accipiendum est ut quivis motus animi suspicacis ad pie sancteque faciendum divortium valere debeat; sed ne ad Legum subtilitatem res exigatur. In isto autem quaestionum genere nihil certi definire potest: sed omne hoc ex aequo bonoque aestimandum est

me-

medio itinere inter anxiam credulitatem et crassam supinitatem. Theodosius iunior Imperator Christianus, et pius et Episcoporum quotidiano usus consilio, in quaestione divortii, impudicitiae coniecturas ad sui seculi mores temperans, sufficere iudicavit si mulier viro ignorante vel nolente extraneorum virorum convivia appeteret; si ipso invito, sine iusta et probabili causa, foris pernoctaret nisi apud suos parentes, vel si circensibus theatralibusve ludis aut arenarum spectaculis ipso prohibente gauderet. Quibus istas addidit Iustinianus: Si uxor de industria abortum fecerit; si commune lavacrum cum viris habuerit; si dum est in matrimonio cum alio viro de matrimonio egerit. — Restat difficilis quaestio, an quod hic dicitur *extra adulterii causam* tam rigide sit accipiendum ut nulla alia causa animum possit tranquillum reddere. Qui in hac sola causa consistunt urgent verba ἐκτὸς [*extra*], εἰ μὴ [*nisi*], et, quod dici solet, eam esse vim exceptionis ut positae definitionis generalitatem adstruat. Sed contra notat Origenes verba haec poni magis enuntiando quam iubendo. Neque rarum est ut in tali sermone id quod ex occasione dicitur exempli magis quam adstringendi vim habeat. Non enim in humanis tantum sed et in Dei legibus palam est saepe facti aliquam speciem frequentiorem exprimi, ex qua deinde caetera colligi debeant, ut Exod. 21: 18, 19, 20, 26, Deut. 19: 5. Atque ea interpretatio multo facilius procedet, si παρεκτὸς λόγου πορνείας hic interpretemur *cum nulla subsit causa adulterii*, et si infra 19: 9 cum codice Complutensi legamus non εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ sed μὴ ἐπὶ πορνείᾳ id est *non ob adulterii causam*. Nam tales locutiones (quas utroque loco de industria Syrus videtur expressisse) speciem facti declarant magis quam strictam exceptionem. Sed etsi ponamus esse exceptionem, potest eadem manere sententia. In omnibus enim Legibus, etiam maxime odiosis, quales sunt quae poenam irrogant, receptum est, ut ubi eadem est ratio Ius idem valeat: in benignioribus autem Legibus etiam a paribus ad paria procedit interpretatio. Quod si diligenter advertamus ad naturam omnium Christi praeceptorum, reperiemus et originem eorum et consummationem in caritate consiste-

 re,

re, quae ita nos vult aliis consulere ut ne in nos ipsos crudeles simus, quemadmodum docet Paulus 2 Cor. 8: 13. Quavis de causa uxorem protrudere, saevum est, inhumanum est. Ciceroni exprobat Antonius ἐκβαλεῖν αὐτὸν γυναῖκα παρ' ᾗ ἐγήρασε [*quod uxorem eiecisset cum qua consenuerat*]. Dictum prudenter a Varrone:

Uxoris vitium tollas opus est, aut feras.
Qui tollit vitium, uxorem commodiusculam
Sibi praestat; qui fert, sese meliorem facit.

Ad quem locum apposite Gellius *vitium* ait *ferendum esse quod ferri scilicet a viro honeste potest: vitia enim flagitiis leviora esse.* Quanto autem hoc iustius a Christiano patientiae disciplinam professo exigitur? qui in ipsos inimicos benignus esse iubetur, is in sociam vitae erit implacabiliter iracundus? Hîc statim succurrit: Nullane igitur de causa dimittere licet, nequidem si alienae libidini se substraverit? Imo vero eadem aequitas quae uxori consuluerat, hîc et viro consulit, ne retinere cogatur impudicam. In Clementis Constitutionibus legitur: Ὁ κατέχων τὴν παραφθαρεῖσαν, φύσεως θέσμου παράνομος· ἐπεί περ ὁ κατέχων μοιχαλίδα ἄφρων καὶ ἀσεβής [*Qui impudicam retinet, in naturae leges est iniurius: nam qui adulteram retinet et imprudens est et impius*]. In canone VIII Synodi Neocaesariensis: Ἐὰν μετὰ τὴν χειροτονίαν μοιχευθῇ (γυνή τινος) ὀφείλει ἀπολῦσαι αὐτήν [*Si post ipsius ordinationem uxor ipsius moechetur, debet eam dimittere*]. Eliberini Concilii canon LXV: *Si cuius Clerici uxor fuerit moechata, et scierit eam maritus suus moechari, et non statim eam proiecerit, nec in fine accipiat communionem: ne ab his qui exemplum bonae conversationis esse debent, ab eis videantur scelerum magisteria procedere.* Et haec caussa videri potest, cur Marcus 10: 11 et Paulus 1 Cor. 7: 10, hoc Christi praeceptum commemorantes, verbis utantur generalibus, nulla exceptione apposita: nimirum quia tales exceptiones ex naturali aequitate venientes tacite insunt Legibus quantumvis generaliter pronuntiatis. Videndum ergo est, an eadem aequitas non possit etiam in aliis casibus, quanquam minus frequentibus, ideoque memoratu haud aeque necessariis, locum habere. Quid si

enim

enim uxor veneno vitae mariti insidiata fuerit? quid si, quod ponit Origenes, communia pignora interfecerit? aut abortum sibi procuraverit, quod ad Ius divortii valere voluit Imperator Leo? Dicat hic forte aliquis adulterium magis quam caetera crimina pugnare cum fine matrimonii. At enim non prolis solius, sed et mutui auxilii causa coniugium est institutum: nec quicquam potest contractui tam arctae societatis magis esse adversum quam quod in vitam committitur. Romani veteres distinguebant in divortiis inter mores graviores et leviores: ac forte putet aliquis tale discrimen a Christo respici et notissimo exemplo declarari. Christiani quos dixi Imperatores extra adulterium aliquot scelera enumerant, quibus probatis maritus sine ullo damno uxorem repudiet: et quod est amplius, ea si probare nequeat, non simpliciter repudium vetant, sed in arbitrio mariti relinquunt, malitne uxorem retinere, an dotem reddere et amittere quod propter nuptias donavit. Feminis Iudaeis non licebat sponte sua a marito divortere. Neque Christus quicquam de illis pronuntiat, ne quidem in adulterii casu. At legibus Romanis par erat ius mariti et feminae, quos propterea pari sorte componit Paulus Apostolus 1 Cor. 7: 15. Iustinus Martyr Apostolicis temporibus proximus in Oratione ad Senatum Romanum laudat feminam Christianam quae, usa Romano legis beneficio, marito ultra fas libidinanti repudium misit et ab eo divortit: *ὅπως μὴ κοινωνὸς τῶν ἀδικημάτων καὶ ἀσεβημάτων γένηται, μένουσα ἐν τῇ συζυγίᾳ καὶ ὁμοδίαιτος καὶ ὁμόκοιτος γινομένη* [*ne participaret ipsius flagitia et impietatem, si in coniugio maneret vitae ei et cubilis consors*]. Sed additur, fecisse hoc illam postquam diu monendo precandoque nihil apud eum profecerat. Viri autem scortantis uxorem eam ob causam discedere a matrimonio non potuisse, observatum perpetuo inter Christianos notant Graeci ad Canonem Apostolicum XLVIII, et Basilius Responso IX. Idemque in Occidente observatum apparet ex Eliberino canone IX. *Femina fidelis, quae adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur ne ducat: si duxerit, non prius accipiat communionem nisi quem reliquerit prius de seculo*

 exi-

exierit. Haec aliaque huius generis cogitatu sunt non indigna. At mihi expendenti ea quae Paulus ad Corinthios scribit, certum fit Christi haec verba non ulterius extendenda quam ad coniuges quorum uterque Christi disciplinam profitetur. De his enim Paulus praeceptum Dominicum ait exstare; de aliis diserte aliquid a Domino praeceptum negat. Augustinus Epistola LXXXIX. *Ambobus quippe Christianis Dominus praecepit, ne quisquam dimittat uxorem, excepta causa fornicationis:* quae distinctio maximi est momenti. Nam inter tales, etiamsi quid peccatum sit gravius, non est desperanda reconciliatio, quamdiu uterque manet in eadem professione. Sunt enim communes monitores quorum aequis consiliis parere debeant. Ab hac professione non vitium quodlibet sed praefracta in vitiis contumacia excludit: *Qui enim,* ut Tertullianus loquitur, *excedunt de regula disciplinae, desinunt haberi Christiani.* Quo recte expenso cessare videntur praecipuae quas movimus difficultates. Esto enim, deliquerit coniunx in coniugem: debet esse poenitentiae, debet et veniae locus. Iracundia et ultionis cupiditas abesse debent. Quid igitur obstat, quominus in matrimonio retineatur ea quam serio facti poenitet, nisi pudicitia sit imminuta? Quo tamen ipso casu multi Christianorum ab altero matrimonio abstinebant, quod ipsum ita probare videtur Clemens Alexandrinus ut tamen non exigat quasi necessarium. Quidam etiam, ut Hermas, putabant mulierem post unum delictum vera poenitentia tactam recipi iterum debere; atque ob eam spem ab altero matrimonio abstinendum. Quam sententiam ex bonitate peculiari magis ortam quam ex communi receptaque lege tum ex aliis tum ex Tertulliano apparet, qui non uno loco ostendit solitos suo tempore ad matrimonium alterum admitti qui ob adulterium uxorem dimisissent. Idem suo tempore a quibusdam Episcopis permissum narrat Origenes: sed et serius Conciliis Eliberino et Aurelianensi et Arelatensi primo et Venetico decretum est id licere; quod nunc quoque Graeci observant. Vide Chrysostomum Oratione altera De his qui cum Iudaeis ieiunabant, circa finem. Etiam Lactantius dixit, *adulterum esse qui a marito dimissam duxerit, et eum qui*

prae-

praeter crimen adulterii uxorem dimiserit ut alteram ducat. Vide notas doctissimas Iacobi Sirmondi ad Aviti Epistolam XLIX.

Ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι, facit eam moechari] Lex per Mosem data feminae dimissae libertatem concedit migrandi ad alteras nuptias; sed post eas contractas vetat eam ad priorem maritum redire, ne scilicet specie divortii alii aliis uxores darent usurarias, quod profani etiam scriptores in Lacedaemoniis et Catone reprehendunt. Et libellus ipse, ut diximus, continet expressam eius libertatis mentionem. Neque hic potest dici, quod modo de marito dicebamus, permitti quidem ipsi arbitrium, sed quo debeat ex bono et aequo uti. Nam marito liberum est uxorem retinere; uxori autem non semper liberum est ad maritum reverti. Neque poterat maritus iudicio cogi ut dimissam reciperet. Nec cuiquam interdictum erat repudiatam ducere praeterquam Sacerdoti, cuius uxor, ut ille dicebat, non culpa tantum sed et culpae suspicione vacare debebat, Levit. 21: 7, Ezech. 44: 22. Caeteris ergo rite nubebat. At Christus, quod maioris mali vitandi causa Lex Mosis dissimulabat, ex naturali aequitate prohibet sua instituta sectantibus. Quomodo autem qui dimittit uxorem adulteram eam efficiat videamus. Nimirum fieri poterat fiebatque saepe apud Iudaeos (quos *proiectae libidinis* Tacitus notat), ut mulier ignominia divortii notata et ut Moses loquitur *polluta* maritum alterum non inveniret, atque ita deiecta a spe nuptiarum tandem ad vagos concubitus delaberetur; nam eos quoque *μοιχείας* [*moechiae*] voce indicari solere iam ante indicatum est. Eius autem mali culpam merito Christus in eum reiicit qui levi de causa suae fidei tutelaeque traditam, neque dum ullius talis flagitii compertam, a se inclementer amoverat. Quin etiamsi casu forte eveniret ut illibata maneret mulieris pudicitia, tamen quia per illum non stetit quo minus res pessime verteret, merito illi quod fieri potuit pro facto imputatur. Hunc sensum recte mihi videtur attigisse Ambrosius: *Quam periculosum,* inquit, *si fragilem adolescentulae aetatem errori offeras!*

Καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ, μοιχᾶται, et qui dimissam duxerit, adulterat]. Abfuisse hanc particulam a quibus-

busdam exemplaribus testatur Augustinus. At nunc in omnibus legitur, ut et infra cap. 19. Videtur autem Christus agere de ducente dimissam a viro qui tamen disciplinae eiusdem maneat, ac cuius proinde ingenium haberi debeat sanabile. Nam de talibus coniugiis a Christo agi Paulus, ut dictum est, nos docet. Alioqui manente Mosis Lege, ut certe manebat eo tempore, durum fuisset sine discrimine tanquam adulteros damnari qui dimissam duxissent. Quid si enim feminam aliena iniuria proculcatam et de pudicitia periclitantem misericordia motus aliquis in matrimonium suscepisset? Intelligendum hoc ergo de illis qui dimissas excipiebant, non tentatis prius omnibus viis ad reconciliandum prius matrimonium, quod omnino faciendum docet Paulus 1 Cor. 7: 11, aut quod peius est, alienis uxoribus inhiantes per divortia sibi nuptiis sternebant viam. Neque alio mihi spectare videntur pleniora verba quae infra legimus 19: 9, ubi dicitur *committere adulterium* maritus prior, hoc addito *si aliam duxerit;* atque itidem *committere adulterium qui dimissam ducit:* ut scilicet in illum recidat adulterii crimen qui novo matrimonio interiecto spem restituendae concordiae abrupit. Clemens Strom. II. Οὐ μόνον δὲ ὁ ἀπολύσας αἴτιος γίνεται τούτου, ἀλλὰ καὶ ὁ παραδεξάμενος αὐτὴν, ἀφορμὴν παρέχων τοῦ ἁμαρτῆσαι τῇ γυναικί· εἰ γὰρ μὴ δέχοιτο, ἀνακάμψει πρὸς τὸν ἄνδρα [*Non solum is qui dimisit culpam hanc contrahit, sed et is qui eam recipit, peccandique occasionem dat mulieri: nam si eam nemo reciperet, rediret ad maritum*]. Canon decimus Concilii Eliberini sic habet: *Quod si fuerit fidelis quae ducitur ab eo qui uxorem inculpatam reliquit, et cum scierit illum habere uxorem quam sine causa reliquit, placuit huic nec in fine dandam communionem.* Hac scilicet de causa Theodosii Lege constitutum fuit, ut mulier quae viro misisset repudium, intra quinquennium nubendi non haberet potestatem: et Anastasii Lege, ne etiam bona gratia sive communi consensu facto divortio intra annum liceret mulieri ad secundas nuptias convolare. Nec longe abit quod Athenis mulier a viro divertere volens non per aliam sed per se ipsa ferre libellum ad Magistratus debuit, eoque virum vocare, ut Plutarchus Alcibiade notavit.

vit. Quae omnia sicut prudenter ac salutariter sunt constituta ad fovendam spem reconciliationis, et ne per divortiorum facilitatem adulteria nuptiis agglutinarentur: ita durum visum est Imperatoribus eam quae a viro sit dimissa, nullo unquam tempore ac ne quidem post tentata omnia quae ad reconciliationem faciebant, exploratamque insanabilem et indignam Christiano homine mariti contumaciam, ad alteras nuptias admitti. Itaque Constantini Lege uxor mariti absentis, post interventum annorum quatuor, nullo sospitatis eius accepto indicio nubere alteri permittitur: quod quanquam sublatum est ab Imperatore Iustiniano, aliud tamen ab eodem constitutum est in quo multo minus est aequitatis, nimirum ut marito aliquanto tempore in captivitate detento solvi possit matrimonium. Quod vero Paulus ait 1 Cor. 7: 39, manere feminas maritis obnoxias vita manente, ad divortiorum quaestionem non pertinet, cum nihil aliud ibi probare instituerit Paulus quam ultra mortem mariti coniugale vinculum non extendi, ac proinde secundas nuptias non recte damnari. Quin idem Apostolus alibi, quanquam diverso fine, idem enuntiatum usurpans Legem Mosis citat auctorem Rom. 7: 1. At Lege Mosis dubium non est etiam ante mortem posse divortio connubium dirimi. Sed ad Christi verba redeamus. Dicit is adulterii crimine teneri eum qui dimissam arripit, non modo quia festinatae post divortium nuptiae suspectae esse solent retro adulterii; quo spectans Martialis dixit:

toties quae nubit adultera lege est:
Offendor moecha simpliciore minus.

Et Mimus:

Habent locum maledicti crebrae nuptiae.

Verum etiam quia adulterium est apud Deum quicquid matrimonio adversatur, neque multum refert amorem quis coniugi debitum in se derivet (quod adulterium esse etiamsi actus non sequatur iam ante apparuit), an vero sesemet interponat ne post frigusculum amor redintegretur. Sed haec quae de divortiis dixi post Erasmum, Caietanum, Catharinum et alios, eo dixi animo ut piis et eruditis occasionem darem rei diligentius excutiendae. Nihil definio, nihil certi pronuntio. Valeat in dubio ea sen-

ten-

tentia quae quam maxime sanctam et inconcussam vult esse matrimonii fidem, ne temere rumpamus vinculum a Deo institutum.

33. *Οὐκ ἐπιορκήσεις, non periurabis*] Quid sit τὸ ἐπιορκεῖν, de eo non idem Philosophi existimarunt: atque inter alios duo nobiles Magistri Porticus diversa tradiderunt. Cleanthis erat sententia, *τὸν ὀμνύοντα εὐορκεῖν ἢ ἐπιορκεῖν καθ' ὃν ὄμνυσι χρόνον· ἐὰν μὲν γὰρ οὕτως ὀμνύῃ, ὡς ἐπιτελέσων τὰ κατὰ τὸν ὅρκον, εὐορκεῖν· ἐὰν δὲ πρόθεσιν ἔχων μὴ ἐπιτελεῖν, ἐπιορκεῖν* [*eum qui iurat, sancte agere aut periurare quo tempore iurat; nam si eo animo iuret, ut effecturus id quod iurat, sancte eum iurare: sin proposito id non efficiendi, periurare*]. At longe aliter sentiebat Chrysippus: aliud enim esse τὸ ἀληθορκεῖν [*verum iurare*], aliud τὸ εὐορκεῖν [*sancte agere in iureiurando*]; item aliud τὸ ἐπιορκεῖν [*periurare*], aliud τὸ ψευδορκεῖν [*falsum iurare*], quod ita explicat; verba enim ipsa apponam, quia ad horum verborum intellectum apprime faciunt: *Τὸν μὲν γὰρ ὀμνύντα καθ' ὃν ὀμνύει καιρὸν πάντως ἢ ἀληθορκεῖν ἢ ψευδορκεῖν· τὸ γὰρ ὀμνύμενον ὑπ' αὐτοῦ ἢ ἀληθὲς εἶναι ἢ ψεῦδος, ἐπειδὴ ἀξίωμα τυγχάνει ὄν· τὸν δὲ ὀμνύντα μὴ πάντως καθ' ὃν ὀμνύει χρόνον ἢ εὐορκεῖν ἢ ἐπιορκεῖν, ὅτε μὴ πάρεστιν ὁ χρόνος εἰς ὃν ἡ ἀναφορὰ τῶν ὅρκων ἐγίγνετο· ὃν τρόπον γὰρ λέγεταί τινα εὐσυνθετεῖν ἢ ἀσυνθετεῖν, οὐχ ὅτε συντίθεται, ἀλλ' ὅτε οἱ χρόνοι ἐνίστανται τῶν κατὰ τὰς ὁμολογίας, οὕτω καὶ εὐορκεῖν τις καὶ ἐπιορκεῖν ῥηθήσεται, ὅταν οἱ καιροὶ παραστῶσι καθ' οὓς ὡμολόγησεν ἐπιτελέσειν τὰ κατὰ τοὺς ὅρκους* [*Nam eum qui iurat quo tempore iurat, omnino aut verum aut falsum iurare; nam quod iuratur aut verum esse aut falsum, cum sit enuntiati genus. At eum qui iurat non semper quo iurat tempore aut sancte observare iusiurandum, aut periurare, ubi tempus nondum adest ad quod se refert iuratio. Sicut enim dicitur aliquis pacta servare aut frangere, non cum paciscitur, sed cum dies advenit pacto praefinitus: sic et servare sancte iusiurandum aut periurare quis dicitur, postquam advenerit tempus quo se impleturum iurata dixerat*]. Quibus verbis significat Chrysippus verba iuramenti promittentis in futurum tempus concepta veritatem suam aut falsitatem habere non ex eventu qui sit in-

incertus, sed ex animo iurantis; quare verbum *hoc faciam* ita accipiendum, *dico ex animi sententia me facturum.* Nam ita si proferatur enunciatio, iam hoc ipso tempore aut vera est aut falsa: quia vero per talem prolationem iuratam voluntas ante soluta ita colligatur ut perseverare debeat, eo fieri ut cum ab eo proposito disceditur, quod apparet ubi implendi tempus advenit, dicatur tum demum periurium committi. Et hanc sententiam amplexus est Cicero De officiis tertio. Caeterum communior usus non tam subtiliter ista distinguens promiscue usurpat ἐπιορκεῖν [*periurare*] et ψευδορκεῖν [*falso iurare*] tum de eo iuramento quod fallendi animo committitur, tum de levitate eius qui promissa non implet. Quare quod hic est οὐκ ἐπιορκήσεις Syrus vertit ולא תדגל במומתך *non mentieris in iureiurando.* Omnino autem arbitror hoc loco a Christo usurpata ipsa Decalogi verba: לא תשא את שם יהוה אלהיך לשוא [*Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*]. Nam שוא, quod Philo vertit ἐπὶ ματαίῳ [*in vanum*] (quomodo et LXX), Hebraeorum doctissimi, quos inter Rabbinus Abraham, interpretantur *falso*, ut nimirum proprie ac primario vetetur omnis disconvenientia aut animi aut facti cum iureiurando. Sane שוא et שקר, quod *mendacium* denotat, pro eodem poni ex ipso etiam Decalogo apparet. Nam quod in Exodo est לא תענה ברעך עד שקר [*non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*], id ipsum in Deuteronomio scribitur לא תענה ברעך עד שוא. Utroque autem loco LXX verterunt οὐ ψευδομαρτυρήσεις κατὰ τὸν πλησίον σου μαρτυρίαν ψευδῆ [*non loqueris contra proximum tuum testimonium vanum*]. Sic Exod. 23: 1 לא תשא שמע שוא [*non suscipies vocem vanam*] Hierosolymitanus interpres vertit דשקר [*mendacii*] quo ipso loco LXX cum vertant ἀκοὴν ματαίαν [*sermonem vanum*], satis ostendunt sibi ματαίαν idem valere quod ψευδῆ [*falsum*]. Sic et in Ps. 12: 3, שוא ידברו μάταια ἐλάλησεν ἕκαστος, haud dubie est *mentiti sunt:* sequitur enim χείλη δόλια [*labia dolosa*].— Zach. 10: 2, חלמות השוא iidem LXX vertunt ἐνύπνια ψευδῆ [*somnia falsa*]. Sic et Ps. 24 in descriptione eius qui in Domini montem esset adscensurus, cum dixisset לא נשא לשוא נפשי οὐκ ἔλαβε ἐπὶ ματαίῳ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ [*non accepit in vano animam su-*

suam] (respicitur formula iurisiurandi, *Ita vivam*) statim explicat ולא נשבע למרמה *καὶ οὐκ ὤμοσεν ἐπὶ δόλῳ* [*nec iuravit dolose*]. Hieronymus etiam שוא voce *mendacii* aliquoties reddidit: unde apparet non satis certam esse eorum sententiam qui dictis Decalogi verbis directe putant vetari iuramenta ob causas non satis graves. Nam, ut modo dixi, Decalogus summa peccata nominat, caetera ex mente auctoris vult colligi.

Ἀποδώσεις δὲ τῷ Κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου, reddes autem Domino iuramenta tua] Expositio est eius quod praecessit: nam qui nolit peierare, eum oportet implere fidem iurisiurandi. Sed et verba prope eadem exstant Num. 30: 2. Vocem *ἀποδιδόναι* [*reddendi*] eodem sensu de voto usurpat Aristides ubi ait: *Si totum persolvi nequeat, certe partem persolvendam: οὐ γὰρ ἐκλειπτέον οὐδὲν εὐκταῖόν φασιν, ἀλλὰ πᾶν ὁτιοῦν ἀποδιδόμενον κρεῖττον ἢ καθάπαξ ἐκλειφθέν* [*nihil omittendum, aiunt, de eo quod quis voverit: sed quidvis redditum melius est quam si totum omittatur*]. Deo autem persolvi dicitur id quod iuratum est, quia etiam qui homini aliquid promittit Deum testem et perfidiae ultorem invocans, simul Deo se obligat. Ideo dicto Numerorum loco coniunxit Moses Votum et Iusiurandum. Apparet hinc proprie Christum hoc loco agere de Iuramento quod Promissorium dicitur. Nam de Iureiurando Testimoniali exstat alterum Mosis praeceptum: quanquam verum est quae de illo dicuntur etiam ad istud ex paritate rationis intra certos limites et posse et debere aptari. Vir bonus Ps. 15 inter alia hac nota depingitur, *quod iuratus aliquid, etiam cum damno suo id praestet*. Sapienter a Seneca notatum est quaedam non recte facta extra fori cognitionem poni debere, quo magis in voluntariis actionibus eluceat virtutum vitiorumque discrimen; atque ideo in ingratos nullam apud plerosque populos prodi Actionem. Plato De Legibus undecimo, venditori qui de rei venditae pretio in creditum iverit, Actionem negat; quod et Charondae placuisse notarunt alii. At Romae ex pacto Actio non dabatur, nisi aut *συνάλλαγμα* [*contractus*] aut solennis stipulatio accessisset. Apud Iudaeos nulla pacta in Iudiciis valuisse videntur nisi quae firmata essent religione iurisiu-

iurandi, neque vero cuiuslibet iurisiurandi, sed talis in quo Deus aut expresse nominaretur aut ex sapientium interpretatione pro nominato haberetur. Quemadmodum vero apud Romanos veteres, narrante Polybio, rarus fuit usus iurisiurandi, imo et testium et signorum in contractibus, quia vix inveniebatur qui quovis modo datam fidem laederet, ita par credi est, et apud Iudaeos initio non adeo frequentem fuisse iurisiurandi consuetudinem: sed crevisse eam crescente perfidia.

34. *Μὴ ὀμόσαι ὅλως, non iurare omnino*] Graviter falluntur qui solam a Christo improbari putant consuetudinem iurandi per res alias extra Deum. Nam Iacobus optimus Christi interpres ait *non iurandum, neque per coelum neque per terram neque alia quavis iurandi formula.* Imo sensus Christi est: Non iurandum ne quidem per coelum, per terram, per Hierosolyma, per caput; quod ostendit membrum oppositum: *Sit autem sermo vester, est, est; non, non.* Causa huius dicti non dubie haec est, quod Iudaeorum Magistri probatiores ita absterrerent homines a facilitate iurandi, ut id tamen vellent ad eas duntaxat formulas pertinere quibus directo Deus nominaretur, quale est illa Iudaeis sanctissima חי אלה [*Deus vivit*], quod corrupte Martialis extulit, *iura, verpe, per Anchialum.* At quominus in usu quotidiano per res minores iuraretur non intercedebant. Apertissimum hoc facit Philo in libro *περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμων* [*De specialibus Legibus*]. Cum enim indecorum esse dixisset ob res quaslibet *ἐπὶ τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἀνατρέχειν* [*recurrere ad omnium rerum auctorem ac patrem Deum*], addidit iurari posse per parentes, terram, solem, astra, universum. Plane ut ad Homerum notant interpretes, Graecorum vetustissimos non esse solitos *προπετῶς κατὰ τῶν Θεῶν ὀμνύειν, ἀλλὰ κατὰ τῶν προστυγχανόντων* [*facile per Deos iurare, sed per res obvias*]. At optimus veri Magister ostendit haec misera esse mali moris praesidia, hoc usus argumento, quod illae etiam formulae *per res alias* tacite tamen ad Deum referrentur, quod deinde singulatim explicat. Verum hoc esse vidit et Ulpianus Iurisconsultus: *Qui per salutem,* inquit, *suam iurat, Deum iurare videtur; respectu enim*

Divini numinis iurat. Erat et alius Iudaeorum error; quod ex illis formulis minoribus iurandi alias putarent vim obligandi habere, alias non habere; sed istud quia ad horum Christi verborum explicationem proprie non pertinet alibi tractabitur. Videamus ergo quid sit ὅλως [*omnino*]. Maimonides ex antiquissimis Hebraeorum Magistris hausit hanc sententiam: *Optimum esse homini non iurare* כלל, id est, *prorsus.* Et similis est apud Epictetum locutio: *Παραίτησαι ὅρκον εἰς ἅπαν* [*Declina iusiurandum omnino*]. Apparet idem esse כלל, ὅλως, εἰς ἅπαν. Sic et Iustinus ait Christianos *μὴ ὀμνύναι ὅλως* [*omnino non iurare*], et Chrysostomus ex hoc Matthaei loco: *Οὐ θέμις ὅλως ὀμνύναι, οὐδὲ ἀνάγκην ἐπάγειν ὅρκου* [*Nefas omnino aut iurare aut iurandi necessitatem imponere*]; idemque VII ad Romanos: *Κωλύει οὐκ ἐπιορκίαν, ἀλλὰ τὸ ὀμνύναι καθόλου* [*Vetat non periurium sed iurare omnino*]. Et De statuis octavo: *Καθόλου μὴ ὀμνύναι ὁ Θεὸς ἐκέλευσε* [*Omnino non iurare Deus iussit*]. Cui similia legere est apud Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Chromatium, Oecumenium, Theophylactum, Euthymium. Apud Eusebium Basilides quidam, Origeni coaevus, iusiurandum exactus ait *μὴ ἐξεῖναι αὐτῷ τὸ παράπαν ὀμνύναι· Χριστιανὸν γὰρ ὑπάρχειν* [*non licere sibi omnino iurare; Christianum enim se esse*]. Sed et apud alios Scriptores, quantumvis Paganos, exstant dicta non minus late patentis soni; ut Platonis: *Ὅρκος περὶ παντὸς ἀπέστω* [*Iuramentum de re quavis abesto*]. Choerili:

> *Ὅρκον τ' οὔτ' ἄδικον χρεὼν ἔμμεναι οὔτε δίκαιον.*
> [*Iniuste iusteve nefas iurare putandum est.*]

Et Menandri:

> *Ὅρκον δὲ φεῦγε κἂν δικαίως ὀμνύῃς.*
> [*Iusiurandum omne, quamvis sit iustum, fuge.*]

De Phrygibus Nicolaus Damascenus: *Ὅρκοις οὐ χρῶνται οὔτε ὀμνύντες οὔτε ἄλλους ἐξορκοῦντες* [*Iureiurando non utuntur, id est nec ipsi iurant nec alios iureiurando adigunt*]. Opponitur ergo τὸ *ὅλως μὴ ὀμνύναι* [*omnino non iurare*] tanquam maius atque sanctius quiddam e quod praecesserat, id est *τῷ εὐορκεῖν* [*servare iusiurandum*]; quasi dicat Christus: Quamvis proposueris facturum te quod promittis, tamen iurare noli. Sic explica-

tur

tur hoc praeceptum collatum cum praecepto Legis Veteris in lib. VII Constitutionum quae dicuntur Clementis: Ὁ εὐορκεῖν νομοθετήσας καὶ τὸ ἐπιορκεῖν ἀπαγορεύσας, τὸ μηδ' ὀμνύναι παρήγγειλε [*Is qui servare iurata iusserat et periurare vetuerat, praecipit non iurare omnino*].

Hic vero rursus illa exoritur quaestio, an igitur haec interdictio nullam ferat exceptionem. Veteres Christiani, quorum aliquos iam nominavimus, saepe ita loqui videntur quasi nulla admittenda esset exceptio: sed benigna interpretatio illorum quoque dictis debet succurrere. Quis enim credat Paulum praecepti Dominici fuisse immemorem? At eius sunt verba, *Testis mihi est Deus*, Rom. 1: 9; et *in conspectu Dei non mentior*, Gal. 1: 20. *Scit Deus pater Christi me non mentiri*, 2 Cor. 11: 31. Non potuit iurari expressius. Nihil enim aliud est iusiurandum quam *religiosa affirmatio*, ut Cicero definit, aut, ut ait Clemens Alexandrinus, ὁμολογία καθοριστικὴ μετὰ παραλήψεως θείας [*definita locutio cum Dei assumtione*], aut, ut Philo duobus locis definit, μαρτυρία Θεοῦ περὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου [*Dei testimonium de re dubitata*]. Ergo aliquod adhibendum est temperamentum. Ideo Epictetus addidit εἰ μὲν οἷόν τε [*si fieri potest*]. Quintilianus: *In totum iurare, nisi ubi necesse est, gravi viro parum convenit.* Augustinus: *Iuramentum cave*, inquit, *quantum potes*, alio loco dixit, *quantum in te est.* Clemens Alexandrinus Christianum ait esse οὐκ εὐεπίφορον ἐπὶ τὸ ὀμνύναι [*non facilem ad iurandum*], quod interpretatur σπανίως ἐπὶ τὸ ὀμνύναι ἐφικνούμενον [*raro venientem ad iurandum*]. Illud primum extra controversiam est, pessime facere τοὺς ἔθει πονηρῷ κατακόρως καὶ ἀνεξετάστως ὀμνύοντας ἐν τοῖς τυχοῦσιν [*eos qui mala consuetudine frequenter ac re non expensa de incidentibus iurant*], ut Philo loquitur, addens nasci ἐκ πολυορκίας ψευδορκίαν [*ex multa iuratione periurium*], sicut et Ulpianus dixit, *nonnullos esse faciles ad iurandum contemtu religionis.* Sapiens Hebraeus Eccles. 23: 9. Ὅρκῳ μὴ ἐθίσῃς τὸ στόμα σου, καὶ ὀνομασίᾳ τοῦ ἁγίου μὴ συνεθισθῇς [*Iurationi non assuescat os tuum: nec nominatio Dei sit assidua in ore tuo*]. Et mox: Ἀνὴρ πολύορκος πλησθήσεται ἀνομίας, καὶ οὐκ ἀπο-

ἀποςήσεται ἀπὸ τοῦ οἴκου αὐτοῦ μάςιξ [*Vir multum iurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga*]. Quo et illud Platonis pertinet undecimo De Legibus: Θεῶν ὀνόματα μὴ χραίνειν ῥᾳδίως [*Deorum nomina non facile usurpanda*], et Hieroclis istud: Μελέτη δὲ ἀρίςη τοῦ τηρεῖν τὸ περὶ αὐτὸν σέβας, τὸ μὴ πυκνῶς μηδὲ ὡς ἔτυχε χρῆσθαι τῷ ὅρκῳ, μηδὲ ἐπὶ τοῖς παρατυχοῦσι, μηδὲ εἰς ἀναπλήρωσιν λόγου, μηδὲ εἰς πίςωσιν διηγήματος [*Optima exercitatio ad servandam ei venerationem, nec saepe nec quavis de re uti iureiurando, id est, non de rebus levibus aut ad sermonis implementum, aut ad adstruendam narrationi fidem*], et postea: Τὸ δὴ, Σέβου ὅρκον, οὐ μόνον εὐορκεῖν ἀλλὰ καὶ ἀπέχεσθαι ὅρκου παρεγγυᾷ· οὕτω γὰρ ἂν τηρήσαιμεν τὸ ἀεὶ εὐορκεῖν, εἰ μὴ καταχρησοίμεθα τοῖς ὅρκοις· καὶ γὰρ ἐν τῇ συνεχείᾳ τοῦ ὀμνύειν ῥαδίως ἂν μεταπέσοι τις εἰς ἐπιορκίαν· φειδοῖ δὲ τήρησις ἕπεται· ἢ γὰρ οὐκ ὀμεῖται, ἢ ὅταν ὄμνυσιν εὐορκήσει· καὶ οὔτε ἂν ὑπὸ συνηθείας προδράμῃ ἡ γλῶσσα, οὔτε ὑπὸ παθῶν ἀκρατείας ἡ διάνοια σφαλείη· τὴν μὲν γὰρ ὁ τρόπος ὀρθώσει χρηςὸς ὢν, τὴν δὲ τὸ ἔθος τῆς ἐποχῆς τοῦ ὀμνύναι [*Illud, Iusiurandum reverenter habe, non solum praecipit servare iusiurandum, sed et iureiurando abstinere. Nam ita implebimus illud de servando iureiurando, si iureiurando non abutamur; nam assidue iurando facile quis incidet in periurium: parco usui consequens est rei observatio. Nam aut non iurabit aliquis, aut si iuraverit stabit iurato; neque aut ex assuetudine lingua prolabetur, neque animus abducetur ab affectuum intemperantia: nam hanc corriget vita honesta, illam consuetudo abstinendi a iuramento*]. Deinde iterum: Σέβου ὅρκον, τοῦ μὴ προχείρως αὐτῷ καταχρῆσθαι, ἵν' ἐθισθῇς εὐορκεῖν ἐκ τοῦ μὴ ἐθισθῆναι ὀμνύναι [*Iusiurandum reverenter habe, ne temere eo abutaris; utque non iurando sancte agere in iurando assuescas*]. Neque tamen hic videtur consistendum, ut facilitas duntaxat et assidua iurandi consuetudo vetetur, quo scilicet tutiores a periurio simus. Mihi persuasum est, non tantum a Christo, sed et ab his quos dixi, Iudaeo Maimonide, Graecis Choerilo, Menandro, Epicteto plus indicari. Iuravit Paulus, at non in re sua, non in re modica alterius, sed in negotiis maximi momenti ad Deum

et

et salutem aliorum pertinentibus. Nos hodie, si ita res ferat, de pecuniola iuramus, et quidem in re etiam nostra, quod Plato valde improbat. Et tamen Christiani haberi volumus, quasi nefas sit reverentiâ Divini numinis, nummorum aliquot iacturam facere. Utinam ea saltem iurisiurandi religio nos teneret quae non paucos a Christo alienos tenit. Isocratem audiamus: Ὅρκον ἐπακτὸν προσδέχου διὰ δύο προφάσεις, ἢ σαυτὸν αἰτίας αἰσχρᾶς ἀπολύων, ἢ φίλους ἐκ μεγάλων κινδύνων διασώζων· ἕνεκα δὲ χρημάτων μηδένα θεὸν ὀμόσῃς, μηδ' ἂν εὐορκεῖν μέλλῃς· δόξεις γὰρ τοῖς μὲν ἐπιορκεῖν, τοῖς δὲ φιλοχρημάτως ἔχειν [*Iusiurandum si deferatur accipe duabus de causis, aut ut temet a turpi criminatione liberes, aut ut amicos ex magnis periculis eripias; ob pecunias vero neminem Deum iures, ne quidem si verum iuraturus sis: aliis enim putaberis periurare, aliis avarus esse*]. Ecce duas tantum causas admittit iurisiurandi, et quidem Iudicialis, ut infamiam fugias, aut ut amicum e magno periculo serves: quo exemplo et Simplicius ad Epictetum utitur, adiiciens, aut ut patriae magnam operam naves. Hi ergo de re pecuniaria iusiurandum omne improbânt. Clinias Pythagoricus cum trium talentorum mulctam iureiurando effugere posset, maluit tantae pecuniae damnum facere quam iurare, quod exemplum sui seculi Christianis exprobrat Basilius. Hierocles ille quem dixi similiter nullum probat iusiurandum nisi ob res necessarias atque egregias et quae obtineri citra iusiurandum nequeant. Verba eius aurea ad Aureum Pythagorae carmen haec sunt: Τηρεῖν αὐτοῦ (τοῦ ὅρκου) τὴν χρείαν ἐν τοῖς ἀναγκαίοις ἅμα καὶ τιμίοις, καὶ τότε ὅτε οὐδεμία ἄλλη τῶν τοιούτων σωτηρία παραφαίνηται, εἰ μὴ διὰ μόνης ἐκ τοῦ ὅρκου ἀληθείας [*Servandus iurisiurandi usus ad res necessarias et magni aestimandas, et tunc cum talia aliter obtineri non possunt, nisi per iurisiurandi veritatem*]. Et haec quidem illi dixerunt de iureiurando quod praestatur testandae veritatis ergo. In pollicitationibus autem et pactionibus, de quibus proprie hic agit Christus, vix est ut tam gravis aliqua causa possit obtendi, nisi forte ea res sit in qua salus publica vertatur; quanquam et in eiusmodi negotiis idem forte praestare posset nuda

 pro-

promissio si adliceretur ad eam sanciendam poena periurii, quae plerosque plus terret quam iurisiurandi religio: et monerentur qui aliquid spondent ne quid agerent nisi deliberato serioque et quod apud Romanos etiam vicem iurisiurandi implevit, *ex animi sui sententia.* Ad hoc iurisiurandi genus spectant ista Hieroclis: *Ὁ δὲ, Σέβου ὅρκον, ἐν ἀρχῇ παραγγείλας, τὴν ἀποχὴν τοῦ ὀμνύναι προςάττει περὶ τῶν ἐνδεχομένων καὶ ἀόριςον τῆς ἐκβάσεως ἐχόντων τὸ πέρας. Ταῦτα γὰρ τὰ μικρὰ καὶ μεταπίπτοντα· διὸ οὔτε ἄξιον ἐπ' αὐτοῖς ὀμνύναι οὔτ' ἀσφαλές· οὐ γὰρ ἐφ' ἡμῖν εἰς πέρας αὐτὰ ἀγαγεῖν· περὶ δὲ τῶν παρόντων ἀναγκαίως τε συνημμένων καὶ μεγίςων ὄντων ἀσφαλὲς τὸ ὀμνύναι καὶ πρέπον· οὔτε γὰρ τὸ μετάπιπτον τῶν πραγμάτων ἡμᾶς ἄν ποτε σφαλῇ, οὔτε τὸ ταπεινὸν αὐτὸ καὶ χαμαιπετὲς τοῦ θείου τὴν ἐπιμαρτυρίαν ἀρνῆται* [*Idem qui initio reverenter habendum iusiurandum dixerat, imperat iureiurando abstinere de rebus fortuitis et quarum incertus est exitus; haec enim sunt et exigua et mutabilia: quare neo digna sunt de quibus iuretur nec id tutum est: nam non in nostra est potestate ad finem illa perducere. De rebus autem praesentibus certoque connexis et momenti maximi et tutum est iurare et honestum: nam neque rei mutabilitas nos decipiet, neque rerum vilis et abiecta conditio Divinum respuit testimonium*]. Caeterum eos etiam qui indistincte videntur omne iusiurandum reiicere, aliquas tamen admittere exceptiones, praesertim magnae utilitatis publicae, multis indiciis apparet. De Essenis dixit Iosephus: *Τὸ ὀμνύειν αὐτοῖς περιΐςαται* [*Iurare supervacuum habent*], quod et alii testantur. Atqui eosdem iureiurando adactos ad observationem religionis idem Iosephus apertum facit: *Πρὶν δὲ τῆς κοινῆς ἅψασθαι τροφῆς, ὅρκους αὐτοῖς ὄμνυσι φρικώδεις· πρῶτον μὲν εὐσεβήσειν τὸ θεῖον, ἔπειτα τὰ πρὸς ἀνθρώπους δίκαια φυλάξειν καὶ μήτε κατὰ γνώμην βλάψειν τινὰ μήτε ἐξ ἐπιτάγματος μισήσειν δὲ ἀεὶ τοὺς ἀδίκους καὶ συναγωνιεῖσθαι τοῖς δικαίοις τὸ πιςὸν ἀεὶ παρέξειν πᾶσι, μάλιςα δὲ τοῖς κρατοῦσιν· καὶ αὐτὸς ἄρχῃ, μηδέποτε ἐξυβρίσειν εἰς τὴν ἐξουσίαν, μηδὲ ἐσθῆτι ἢ τινι πλείονι κόσμῳ τοὺς ὑποτεταγμένους ὑπερλαμπρύνεσθαι τὴν ἀλήθειαν ἀγαπᾶν ἀεὶ, καὶ τοὺς ψευδομένους ἐλέγχειν προβάλλεσθαι χεῖρας κλοπῆς, καὶ ψυχὴν ἀνοσίου κέρδους φυλάξειν· καὶ μήτε κρύψειν τι τοὺς αἱρετιςὰς, μήτε ἑτέροις αὐτῶν*

τῶν τι μηνύσειν, κἂν μέχρι θανάτου τις βιάζηται. Πρὸς τούτοις ὀμνύουσι μηδενὶ μὲν μεταδοῦναι τῶν δογμάτων ἑτέρως ἢ αὐτὸς παρέλαβεν· ἀφέξεσθαι δὲ λῃστείας καὶ συντηρήσειν ὁμοίως τά τε τῆς αἱρέσεως αὐτῶν βιβλία καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα. Τοιούτοις μὲν ὅρκοις τοὺς προσιόντας ἐξασφαλίζονται [*Priusquam vero communes dapes attingat, horrenda praestat iuramenta. Primum quidem, pie se culturum Deum: deinde et ius servaturum cum hominibus, neque se laesurum quenquam sive sponte sive ex imperato; improbis se inimicum, iustis vero hominibus adiutorem fore; fidem se servaturum omnibus, maxime iis qui imperant: quod si ipse imperium sit adeptus, non superbe usurum potestate, neque aut vestitu aut ornatu caeteros subditos se exsuperaturum; amatorem se veri fore, detectorem mendacii; procul se manus a furto habiturum, et animum ab iniquis lucris custoditurum; nec quicquam se celaturum sodales de dogmatis, neque aliis ea indicaturum, nec si ad mortem cogatur. Praeterea iurat quisque, nemini se aliter dogmata proditurum quam ipse acceperit, se abstenturum latrociniis, parique reverentia servaturum sectae suae libros et Angelorum nomina. His illi iuramentis ad coetum suum venientes devinciunt*]. A qua narratione non longe discedit quod de veteribus Christianis, quorum instituta multis partibus cum Essenis congruebant, narrat Plinius: *Quod essent soliti se sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati negarent.* Iurasse Christianos *per salutem Caesarum* memorat Tertullianus, et alii iuramentum *per Genium Caesaris* detrectantes causam attulerunt, quod is Genius esset Daemon, non quod iurare sine ulla exceptione esset illicitum, ut mox videbimus. Athanasius qui sermone De passione et cruce Domini iusiurandum videtur indiscriminate reiicere, ipse tamen per calumniam accusatus purgat se Constantio hunc in modum: *Tuae pietati magna et clara voce manuque extenta, quod ab Apostolo didici, Deum in meam ipsius animam testor, et, ut scribitur in libris Regum, iusiurandum concipio: Testis sit Dominus et testis Christus eius, quod nunquam in malum tui mentionem feci apud*

 fra-

fratrem tuum Constantem Augustum, neque illum adversum te irritavi. Et mox: *Vellem hunc hominem quisquis is est hic in praesentia adesse, ut delato iuramento sub attestatione veritatis haec ab eo sciscitarer: quae enim ita dici audirique volumus quasi Deo praesente, ea sub hac formula iurisiurandi* NOS CHRISTIANI HOMINES CONCIPERE SOLEMUS. In Synodo Ephesina, cui multi interfuerunt quorum scriptis itidem iurandi mos videtur oppugnari, et Nestorio et Victori impositum videmus iusiurandum, ita ut sequentium temporum mentionem facere nihil sit necesse. Monachi vice iurisiurandi, si quid affirmarent aut testarentur, addebant, *tanquam coram Domino.*

Μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, neque per coelum] Id est, *ne quidem per coelum*, ut iam diximus. Est autem Hebraismus ὀμνύειν ἐν τῷ οὐρανῷ, pro quo Graeci dicerent ὀμνύειν τὸν οὐρανὸν, aut etiam κατὰ τοῦ οὐρανοῦ. Iam diximus non hos modos iurandi a Christo specialiter prohiberi, sed ne hos quidem a prohibitione excipi. Iudaeis Lege Mosis vetitum erat Deum alium iurare praeter Deum Israelis: itaque iurare illis nefas erat per Baalem, Astarten, aliaque id genus falsa numina. Quamobrem et Christianos sui temporis reprehendit Tertullianus, qui aut ignorantia aut consuetudinis vitio dicerent *Mehercule* et *Medius-fidius*: quod et post eum fecit Hieronymus. Eadem hac causa Iudaei Alexandrini recusabant Caii Caesaris ὄνομα ὅρκιον ποιεῖσθαι [*nomen iurando usurpare*] ut Iosephus narrat, quia nomen suum ut Dei in iureiurando Caius usurpari volebat. At nominare quaedam, ut Philo loquitur, τῆς θείας δυνάμεως ἀπεικονίσματα [*Divinae potestatis simulacra*], ita scilicet ut animi religio Deum spectaret, inter vetita habitum non est. Iurat Iosephus Gen. 42: 15, *Ita vivat Pharao*, more quidem Aegyptiorum, ut recte ab Abenezdra est annotatum; sed quem imitaturus non fuisset vir eximie pius si quid in eo irreligiosi esse existimasset. Et quid est aliud, *Ita vivat Rex*, quam, *Ita Regem sospitem Deus praestet?* Elisaeus Propheta 2 Reg. 2, Eliae ita iurat; *Vivit Deus et vivit* (aut *vivat* potius, nam Hebraismus ista non distinguit) *anima tua.* Nec aliter Urias 2 Sam. 11: 11. Sed et Paulus

lus iurare videtur, cum dicit, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν [*per vestram gloriam*], 1 Cor. 15: 31. Narrat in Apologetico Tertullianus Christianos non iurasse, ut caeteros, *per Genium Principis*, quod Graeci dicunt τὴν Καίσαρος τύχην, quod iusiurandum Polycarpo delatum et ab eo recusatum legimus; merito, quia isti voci inerat falsi numinis sensus, quod ita explicat Origenes: Τύχην μέντοι βασιλέως οὐκ ὄμνυμεν, ὡς οὐδ' ἄλλον νομιζόμενον Θεόν· εἴτε γὰρ (ὡς ὠνόμασάν τινες) ἐκφορὰ μόνον ἐςὶν ἡ τύχη, οὐκ ὄμνυμεν τὸ μηδαμῶς ὂν ὡς Θεὸν, ἢ ὅλως ὑφεςηκὸς καὶ δυνάμενον τι ποιῆσαι· ἵνα μὴ τὴν ὀμητικὴν δύναμιν εἰς ἃ μὴ δεῖ παραλαμβάνωμεν· εἰ δὲ καὶ, ὡς τισιν ἔδοξεν, εἴπωσι τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως τὸν δαίμονα ὀμνύειν οἱ τὴν τύχην αὐτοῦ ὀμνύοντες, δαιμόνων ἐςὶν ἡ ὀνομαζομένη τύχη τοῦ βασιλέως, καὶ οὕτως ἀποθνητέον ἐςὶ μᾶλλον ὑπὲρ τοῦ μὴ ὀμόσαι μοχθηρὸν δαίμονα καὶ ἄπιςον, πολλάκις συνεξαμαρτάνοντα ᾧ ἔλαχεν ἀνθρώπῳ ἢ καὶ πλέον αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα [*Per Fortunam Imperatoris non iuramus, nec per alium qui creditur Deus; nam si (ut quidam explicant) eventus est tantum qui Fortuna dicitur, non iuramus per id quod Deus omnino non est, imo nec subsistit, nec efficere quicquam potest: ne scilicet vim iurandi in ea in quae non aequum est impendamus. Quod si dicant, ut quibusdam placet, se per Fortunam Romani Imperatoris iurando per Genium eius iurare, iam Fortuna illa Imperatoris quae dicitur, erit ex Daemonum numero: ac proinde moriendum potius ne iuretur per Daemonem malum et infidelem, et saepe peccantem cum eo homine cui est additus, aut etiam plus ipso peccantem*]. Sed eosdem Christianos Tertullianus eodem loco iurasse ait *per Salutem Principis omnibus Geniis augustiorem*. Postquam vero Imperatores Christo nomen dederant, institutum est hoc sacramentum militare, ut iurarent *per Deum et Christum et Spiritum sanctum et per maiestatem Imperatoris, quae secundum Deum generi humano diligenda est et colenda:* quod nos Vegetius docet. Sic Marcellinus in collatione Carthaginiensi secundum allegationes partium se iudicaturum, *per Salutem Principum* iurat. Et hoc ipsum esse iuramentum quod Episcopi faciebant, memoratum Canone XXV Chalcedonensi, notant ibi Graeci interpretes. Iu-

risiurandi *per coelum* etiam Philo meminit. Sed et Origenes adversus Celsum sexto, Iudaeos ait solitos *per coelum* iurare. *Coelum* autem hic par est regionem sideream intelligi.

Θρόνος ἐςὶ τοῦ Θεοῦ, thronus Dei est] Ex Esaia 66: 1. Haec eo dicta sunt ut ostendatur omnibus iurandi modis tacite Deum contineri. Id clare apparet infra 23: 22, ubi ita infert Christus: *Qui per coelum iurat simul iurat per eum qui coelo tanquam solio insidet. Solium* autem *Dei* dicitur quod in eo opificio pulcherrimis astris picturato eiusque perpetuo et aequabili motu Divina maiestas eximie eluceat, quemadmodum Regum gloria tunc maxime conspicua est cum solio suo insident. Et formula huius iuramenti, et causa eius apparet in versu isto ex Sophoclis Menalippa:

Ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ' οἴκησιν Διός.

[*Sacrata iuro templa coeli, arcem Iovis.*]

Sed et Iulianus contra Christianos οὐρανὸν vocat Θεοῦ θρόνον.

35. *Ὑποπόδιόν ἐςι τῶν ποδῶν αὐτοῦ, scabellum est pedum eius*] הדם habet Esaias, quo obiter significari videtur vilitas terrae coelo comparatae. Nam eo sensu הדם Hebraei usurpant, quod ὑποπόδιον vertunt LXX, ut Ps. 110: 1. Varro nos docuit quae unius sunt scansionis, *scabella*, quae plurium, *scamna* appellari. At Syrus vertit כבשא satis apposite, quia θρόνου mentio praecessit. Est enim כבש 2 Par. 9: 18, scabellum solii regalis, quod ipsum LXX eo loco ὑποπόδιον vocant, quale pictum videre est sub seliquastro Cassiopeae in libro Germanici quem edidimus olim. Alterius generis sunt *cava scamna*, quorum Ovidius meminit, quae Graeci αἴθρανα appellant. Suppedanei sub throno regali meminit Pausanias non uno in loco. Quod autem hic de Terra dicitur, idem Proclus in Timaeo Terrae asscribit ex Orpheo, qui cum Deum describeret dixit:

——— *πυμάτη δὲ βάσις χθονὸς ἔνδοθε ῥίζαι.*

[——— *ima pedum sola sunt fundamina terrae.*]

Macrobius ex Oraculo citat:

Γαῖα δὲ σοῦ πόδες εἰσί.

[*Suntque pedes tibi terra.*]

Apud

Apud Clementem Alexandrinum et alios habemus hoc Orphei de Deo:

Αὐτὸς γὰρ χάλκειον ἐς οὐρανὸν ἐςήρικται,
Χρυσέῳ εἰνὶ θρόνῳ· Γαίῃ δ' ὑπὸ ποσσὶ βέβηκε.
[*Auratae sedi, quam sustinet aeneus aether,*
Insidet; in terra vero vestigia figit.]

Μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα, neque per Hierosolyma] Hellenistae promiscue pro Hebraeo ב modo *ἐν* modo *εἰς* usurpant. Ita hic Matthaei interpres *εἰς Ἱεροσόλυμα* dixit, cum ante *ἐν τῷ οὐρανῷ, ἐν τῇ γῇ* dixisset. Iurarunt autem Iudaei *per Hierosolyma*, ut Romani *per Romam.* Ovidius:

——— *Per Patriae numen.*

Πόλις ἐςὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως, civitas est magni Regis] In Ps. 48 plane idem significantia sunt עיר אלהינו [*civitas Dei nostri*] et קרית מלך רב [*civitas Regis magni*]. Et apud Syrachiden *τόπος καταπαύσεως Θεοῦ* [*locus quietis Dei*]. Hoc igitur eo pertinet, ut qui per Hierosolyma iurat intelligatur per eum iurare qui Hierosolymis Regnum suum posuit, quemadmodum qui per Templum iurat, iurat per habitatorem Templi, infra 23: 21.

36. *Μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ ὀμόσῃς, neque per caput tuum iuraveris*] Ulpianus: *Caeterum si ego detuli ut per Deum iurares, tu per caput tuum iurasti.* Ovidius:

Per caput ipse suum solitus iurare.

Martialis:

Per tua iurares sacra tuumque caput.

De eo iurandi modo hic agitur, non de eo ad quem alludit Iuvenalis cum ait:

——— *nondum Graecis iurare paratis*
Per caput alterius.

Cuius itidem passim exstant exempla; et coniunctim:

Perque tuum nostrumque caput.

Apud Synesium: *Νὴ τὴν ἱερὰν σου κεφαλὴν καὶ τὴν τῶν παίδων μου σωτηρίαν* [*Per sanctum caput tuum, perque liberûm meorum salutem*].

Ὅτι οὐ δύνασαι, quia non potes] Hoc eo pertinet ut probetur per Deum iurare qui *per caput suum* iurat, non minus quam qui *salutem suam* iurat, quod iusiurandum *respectu Divini numinis* fieri Ulpianus etiam dixit.

Cau-

Causa utriusqne dicti est, quia homo nec salutis nec capitis sui est dominus, Sic Menander Dyscolo dixit hominem *κύριον εἶναι μηδ' ἑαυτοῦ* [*ne sui quidem esse dominum*].

Μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι, unum pilum album facere aut nigrum] Hoc tale est quale quod infra dicimur *non posse cubitum unum ad staturam adiicere*. Sed *pili* hic potius fit mentio, ut ne minimum quidem naturae a nobis posse immutari ostendatur. Nam Hebraei, ut et Graeci et Latini, *pilum* dicunt ad rei minimae indicationem.

37. *Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ, ναὶ, οὒ, οὒ, sit autem sermo vester, est, est; non, non*] Id est, ut Iacobus explicat, *ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ, ναὶ, καὶ τὸ οὒ, οὒ* [*sit vestrum est, est, et non, non*]. Tam *ναὶ* quam *οὒ* hoc loco formulae sunt quibus ad stipulationem respondebatur. Nam de promissionibus, ut diximus, institutum sermonem Christus prosequitur. Itaque Syrus recte pro *ναὶ* posuit אין quae respondeudi particula est. Romana lingua in respondendo verbum interrogantis repetit: ut, *Dabis? Dabo. Facies? Faciam.* Sed et si quis interrogatus *Dabis?* responderit *Quid ni?* in ea causa esse ut obligetur scripsit Ulpianus; quia vox *Quid ni?* solet habere significationem Graeci *ναί.* Sicut autem ad interrogationem aientem per *ναὶ*, ita ad negantem per *οὒ* respondebatur. Quod vero hic et apud Iacobum dicitur oportere ut *ναὶ* sit *ναὶ* et *οὒ* sit *οὒ*, eum sensum habet, debere facta dictis congruere: aut, ut Iustinus recte explicat Apologetico ad Antoninum, debere nos *τ' ἀληθῆ λέγειν ἀεὶ* [*semper vera dicere*]. Est enim figura quam Graeci *ἀντανάκλασιν* [*refractionem*], quidam et *πλοκὴν* [*copulationem*], vocant, ubi vox eadem continuo repetitur significatu paululum mutato, ut:

Ex illo Corydon, Corydon est tempore nobis.

Ad illum diem Memmius erat Memmius, et similia. Nam priore loco *ναὶ* dictum significat, posteriore factum ipsum quod dicto significatur. Ita Paulus *Dei promissa in Christo* ait esse *ναὶ* 2 Cor. 1: 21, voculam hanc posteriore quem dixi significatu usurpans, ut indicaret omnia promissa per ipsum impleri. Quod autem de *ναὶ* di-

diximus, idem de *οὐ* vocula intelligendum est; nempe eam quoque primum pro nota promissi negantis, deinde pro effectu poni. Est autem locutio haec ut pleraeque aliae Christi et Apostolorum sumta ex medio usu illorum temporum. Nam ut ab aliis notatum est, *γνώμη* [*senten-tia*] erat tritissima: *Τῶν δικαίων ναί ἐςι ναί, καὶ οὔ ἐςιν οὔ* [*Iustorum fiet est fiet, et non est non*]. Contra quorum facta dictis discrepabant, apud hos dicebatur esse *ναὶ καὶ οὒ*, id est *ναὶ* ipsorum dicebatur esse *οὒ*, et *οὒ* dicebatur esse *ναὶ*, quo loquendi genere Paulus utitur dicto loco 2 Cor. 1: 18, 19, idque ipsum explicat, cum negat se *χρήσασθαι ἐλαφρίᾳ* *levitate usum*. Festus ad vocem *naucum*: *Quidam ex Graeco ναὶ καὶ οὐχὶ* est et non *levem hominem significari*. Quo manifestius est ibidem commate 17 in quibusdam codicibus male repeti *ναὶ* et *οὒ*, cum semel duntaxat ponenda fuerint: quanquam veterum esse errorem librariorum ad Matthaei et Iacobi loca imprudenter respicientium ex Syro et Arabe interpretibus apparet. Cum vero *ναὶ*, ut et huius loci cohaerentia et Pauli verba ostendunt, ad *ἐπαγγελίας* [*promissa*] pertineat, rectius Latine per *fiet* quam per *est* transferetur. Sensus verborum Christi est, fidem a nobis praestari debere in promissis etiam iniuratis, perinde quasi iusiurandum accessisset: quem sensum apertiorem facit quod apud Iacobum sequitur *μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε* [*ne in simulationem incidatis*], id est, ne fallaces inveniamini, quod Christianos minime decet. Simile est illud Alexidis:

Ὅρκος βέβαιός ἐςιν, ἂν νεύσω μόνον.
[*Nutus mei pro iureiurando valent.*]

Et quod apud Philonem est: *Ὁ τοῦ σπουδαίου λόγος ὅρκος ἔςω βέβαιος, ἀκλινὴς, ἀψευδέςατος* [*Viri boni sermo pro iureiurando sit firmo, immutabili, nunquam mentiente*]. Et Hierocles dixit, *nihil viris bonis veritate carius esse debere, εἴτε ἀνωμότοις εἴτε καὶ ὀμνύουσι* [*sive iurarint sive non iurarint*]. Talis esse debet Christianus, et, ut Clemens Alexandrinus loquitur, *τὸ πιςὸν τῆς ὁμολογίας ἐν ἀμεταπτώτῳ καὶ ἑδραίῳ δεικνύειν βίῳ τε καὶ λόγῳ* [*fidelitatem promissionis ostendere in firma atque immutabili tum vita tum oratione*]. Optime autem hoc cohaeret cum prae-

praecedentibus; quia, ut inquit Philo, *κάλλιστον καὶ βιωφελέστατον καὶ ἁρμόττον λογικῇ φύσει τὸ ἀνώμοτον, οὕτως ἀληθεύειν ἐφ' ἑκάστου δεδιδαγμένῃ, ὡς τοὺς λόγους ὅρκους εἶναι νομίζεσθαι* [*pulcherrimum et vitae utilissimum ac naturae ratione utenti consentaneum, abstinere a iureiurando, quippe cum ea ita sit instituta ut de re quavis verum dicat, possintque vel nudi sermones pro iuramento haberi*]. Iosephus de Essenis: *Πᾶν τὸ ῥηθὲν ὑπ' αὐτῶν ἰσχυρότερον ὅρκου· τὸ δὲ ὀμνύειν αὐτοῖς περιΐσταται, χεῖρόν τι τῆς ἐπιορκίας ὑπολαμβάνοντες· ἤδη γὰρ ἤδη κατεγνῶσθαί φασι τὸν ἀπιστούμενον δίχα Θεοῦ* [*Quicquid ab ipsis dictum firmius est iureiurando; iurare autem ipsis supervacuum, ita ut periurio peius aestiment: iam enim eum damnatum dicant cui absque Dei nomine non creditur*]. Quoniam igitur apparet de promissorum praestatione hic agi a Christo, exigit hic locus, videamus id quousque pertineat. Sunt qui existimant promissa per se vim obligandi non habere, sed eam accipere a Lege Civili certa forma modoque. Sed ei sententiae consensus Gentium repugnat. Verum sane est, simplicem asseverationem de eo quod quis facturus sit debere quidem ex eo animo proficisci qui tum temporis id velit facere quod se facturum dicat; at non item ex eo teneri eum, qui dicit, in proposito perseverare; quia voluntas humana habet ius sua decreta mutandi, neque id ius solo sui respectu sibi potest auferre. At in promissione plus est: habet enim promissio simul iuris translationem. Sicut enim dominus rei corporalis eam potest in alium transferre signo aliquo voluntatis: ita etiam ius ipsum, quod quis habet ad suos actus aut res, potest in alterum transferri, in solidum aut pro parte definita. Et quia tali facto ius aliquod in alterum transit, ideo voluntas iam ultra se honeste mutare non potest, quia nemo honeste potest aut velle aut facere contra ius alteri quaesitum. Hinc votorum quae Deo fiunt et promissorum inter homines vis oritur. Sed ut Iure Naturae valeat Promissio, tria sunt necessaria: nempe ut qui promittit ad promittendum sit idoneus, et ut res ipsa promissi sit capax, deinde ut res possit praestari a promittente. Prima conditio deficit in his qui rationis usum non habent: nullum enim velle

es-

esse potest sine intellectu: ideo infantium et furiosorum verba non habent promissi efficaciam. Secunda deficit in rebus quae aut per rerum naturam fieri non possunt, ut coelum digito attingere, aut quae per se sunt inhonesta, quale erat Iohannem Baptistam innocentem et Dei Prophetam occidere: quod enim facere non licet, id ne promitti quidem valide potest, cum promissio ad factum tendat. Tertia conditio desideratur quoties actus qui promittitur non est in iure promittentis, ut si servus non domino operas promittat: nam cum promissum emanet e iure promittentis, nihil potest efficere ultra iuris illius amplitudinem. Et haec quidem ipso Naturae lumine ita sunt clara ut probationis non indigeant. Verumtamen saepe Lex aliqua efficit ut recte promissa non praestentur. Quod mirum videtur his qui iudicium in istis rebus subactum non habent; putant enim legem eiusmodi pugnare cum Iure Naturali, quod sit immutabile: id vero non ita est. Neque enim constituunt Leges, ne promissa quae quis promittendi ius habuit alteri, ius ex promissione nacto, non praestentur; quod esset contra Ius Naturae: sed ipsa materia mutationem accipit; quod etiam citra legem fit, quoties stipulator promissorem liberat. Hic enim nemo dicturus est, promissorem adhuc teneri, et contra naturam facturum ni faciat quod dixerit. Ius enim eius cui promissum est, quod fundamentum erat obligationis, interiit, ac proinde nulla iam restat obligatio. Solet autem Lex efficere ne promissa ad effectum perduci debeant duobus modis, aut antevertendo orituram alioqui obligationem, aut ortam tollendo. Utrumque ex probabili causa facere Lex potest, ut quae in singulos atque iura singulorum ad utilitatem publicam ius quoddam superius obtineat eo iure quod est penes singulos. Antevertitur obligatio, ut cum constituitur ne efficax sit promissum uxoris nisi maritus auctor accesserit. Hic enim, iure ad obligandum se uxori ademto, nasci obligatio non potest. Orta exstinguitur duobus iterum modis, aut quia Lex ius quod alicui quaesitum est aufert, aut quia non hoc tantum facit sed etiam ei qui promisit aufert implendi libertatem. Illo casu licet non implere, quia Lex ius alteri quaesitum ab-

abstulit; hoc casu non licet implere, quia hoc quoque ius sublatum est imperio Legis, quae plus singulis potest polletque. Illud addam, esse Leges quasdam quae obligationem nec oriri impediant nec ortam rescindant, sed tantum in foro de eo ius dici vetent, ut Leges Romanae de pactis nudis: Charondas de rebus creditis. Hoc casu promissor adversus fidem delinquit si non stet promisso. Non enim ius omne stipulatoris sublatum est, sed sola coactio ei denegatur. Quod religiosis animis diligenter est annotandum, ne pravis magistris usi latebram perfidiae quaerant.

Τὸ δὲ περισσότερον τούτων, quod autem his abundantius] Id quod est ultra *ναὶ καὶ οὒ* [*est et non*].

Ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐςι, a malo est] Quidam istud *πονηροῦ* esse putant a recto *ὁ πονηρὸς*, qua voce Diabolus indicatur. Mihi magis placet et hic et aliis aliquot in locis sumi a recto quod est *τὸ πονηρὸν*, quomodo Iohannes dixit *mundum iacere ἐν τῷ πονηρῷ* [*in malo*] 5: 19. Intelligo hic *τὸ πονηρὸν* morem non standi promissis. Nam ut ex Polybio dicebamus, mos iurandi ex eo maxime est frequentatus, ex quo labare coepit dictorum fides. Qui enim iuramentum poscitur, ut Philo notat, *ἤδη εἰς ἀπιςίαν ὑπονοεῖται* [*iam de infidelitate suspectus est*]. Sic et Esseni *ἤδη καταγνῶσθαί φασι τὸν ἀπιςούμενον δίχα Θεοῦ* [*eum iam damnatum dicunt cui non creditur sine Dei nomine*], ut est apud Iosephum. Apud Sophoclem ille in Colono Oedipus ad Thesea:

Οὔτοι σ' ὑφ' ὅρκου γ' ὡς κακὸν πιςώσομαι.
[*Non te alligabo iureiurando ut malum*].

Levitas hominum et inconstantia diffidentiam genuit, cui remedium quaesitum est iureiurando. Est autem huius dicti cum superioribus haec connexio: Ne putate vos ab hominum commercio excludi, si iureiurando quam religiosissime abstineatis. Nam cum de vitiis ortus sit iurandi mos, facile erit iisdem sublatis tollere iurisiurandi necessitatem. Id autem fiet, si, quemadmodum dixi tam constanter quaevis dicta ac promissa impleatis ut iniuratis vobis potius quam iuratis alii credatur. Isocrates dixit: *Δεῖ γὰρ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τρόπον ὅρκου πιςότερον φαίνεσθαι παρεχομένους* [*Debent viri boni palam*

pra-

praestare vitam suam digniorem fide quam sit iusiurandum]. Non igitur eo tantum pertinet Christi praeceptum, ne Christiani a Christianis exigant iusiurandum; verum etiam ne iurent Christiani a quocunque tandem exigatur. Nam, ut recte explicat Clemens, decet Christianum etiam πρὸς τοὺς ἔξω τὸν βίον ἔχειν ἀξιόπιςον, ὡς μηδὲ ὅρκον αἰτεῖσθαι [*etiam apud extraneos eam vita sua fidem mereri, ut iusiurandum ab eo ne postuletur quidem*]. Sed, ut ante etiam dixi, omnia haec praecepta non tam ex verborum apicibus quam ex rei ipsius natura metienda sunt. Non vetat Christus iusiurandum ut rem per se malam, sed ut rem quam nisi in negotiis maximi momenti usurpare non liceat. Quae autem sint res eiusmodi non tam certis definitionibus comprehendi potest quam spiritu charitatis diiudicari. Concludam hanc tractationem, dicto Augustini: *Qui intelligit non in bonis sed necessariis iurationem habendam, refrenet se quantum potest, ut non ea utatur nisi necessitate, cum videt pigros esse homines ad credendum quod eis utile est credere, nisi iuratione firmetur.*

38. Ἠκούσατε ὅτι ἐῤῥέθη, *audistis, dictum esse*] Intellexistis dictum esse, maioribus nimirum vestris. Ostendit autem hoc quoque illud ἐῤῥέθη ad antiquum tempus referri, cuius ad posteros fama pervenerit.

Ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος, *oculum pro oculo, et dentem pro dente*] Defectivam orationem commode supplebis si addas *reddet qui iniuriam fecit.* Est autem hoc ius vetustissimum apud omnes prope gentes. Aristoteles τὸ ἀντιπεπονθὸς [*talionem*] vocat, et dictum ait ius Rhadamanthi isto versu descriptum:

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε δίκη κ' ἰθεῖα γίνοιτο.

[*Quae fecit si quisque ferat, ius fiet et aequum*].

Ex Graecia et hoc Romam transiit: unde in XII Tabulis: *Si membrum rupit, talio esto.* Apparet autem ex Lege Mosis, praecipue ex verbis quae sunt Deut. 19: 21, non exactam talionem nisi iudicis decreto. Nimirum, ut recte Lucretius dixit:

Amplius ex ira quod enim se quisque volebat
Ulcisci, quam nunc concessum est legibus aequis,
Idcirco est homines pertaesum vi colere aevum.

Quam sententiam Honorius et Theodosius Imperatores ita expresserunt: *Idcirco Iudiciorum vigor Iurisque publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem.* Verum quidem est in quibusdam casibus Leges aliquid indulsisse iusto dolori, sicut Iura Romana permittunt patri adulteram filiam aut filiae raptorem occidere: quomodo et apud Hebraeos homicidium vindicare manu privata proximus agnatus potuit, ita tamen, quemadmodum ab Hebraeorum Magistris recte notatum arbitror, ut si prius illud homicidium sine dolo malo patratum esset, ipse ultor capitis poenam subiret. Sed in delictis quae infra homicidium sunt nihil ultra concessum laesis quam adire iudicem et ab eo ultionem, tanquam iure suo, exposcere. Et hoc poenae genus est quod *τιμωρίαν* proprie vocant Plato, Aristoteles, et Taurus Philosophus apud Gellium, quam definit Clemens Alexandrinus *κακοῦ ἀνταπόδοσιν εἰς τὸ τοῦ τιμωροῦντος συμφέρον ἀναφερομένην* [*repositionem mali eam quae refertur ad utilitatem se vindicantis*]. Ubi *τὸ συμφέρον* [*utilitas*] paulo laxius sumitur, ut et apud Aristotelem *κέρδος* [*lucrum*] in hoc ipso argumento. Quia enim plerisque

——— *vindicta bonum vita iucundius ipsa;*

ideo quod adversario nocet, ipsis quasi prodesse intelligitur; quod ita Mimus extulit:

Laeso doloris remedium inimici dolor.

Aristoteles in arte Oratoria *τιμωρίαν* [*ultionem*] esse dicit *τοῦ ποιοῦντος ἕνεκα ἵνα ἀποπληρωθῇ* [*exigentis causa ut ei satisfiat*], ubi *ὁ ποιῶν* est is qui ultionem exigit. Facere enim censemur etiam quod per iudicem facimus. Non dubito autem, quin si ius strictum respicimus, licuerit vulnerato a iudice praecise exigere ut adversario quoque vulnus infligeretur, quemadmodum Bathos docebat, et Iosephus diserte testatur. Quod autem apud Hebraeos, ut notant eorum Magistri atque idem Iosephus, et apud Romanos teste Gellio, pro membro pecunia solvi solebat, id natum ex laesorum aequitate, quae multis exemplis in morem transierit. Sed haec ipsa pecunia quatenus damni dati aestimationem et impendia excedebat, ultio erat; non imperata Hebraeis, sed concessa cu-

cuius generis et apud Romanos erant tum accusationes publicorum iudiciorum, tum ex privatis delictis Actiones poenales, in duplum, triplum, quadruplum.

39. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν μὴ ἀντιςῆναι τῷ πονηρῷ, *ego autem dico vobis non resistere malo*] Recte eos sentire arbitror, qui illud πονηρῷ de homine interpretantur, et esse id ipsum quod Hebraice Moses dixit Exod. 2: 13, רשע, quod LXX vertunt τῷ ἀδικοῦντι, quo exemplo τῷ πονηρῷ vertere sic liceat, *ei qui iniuriam fecit.* Et manifestum est non posse τὸ ἀντιςῆναι [*resistere*] universe sumi. Nam resistit et qui innocentiam suam verbis testatur, quod fecit Christus, et post eum Apostoli. Sed cum praecedentia verba, quibus haec sententia opponitur, agant περὶ τῆς τιμωρίας [*de ultione*], omnino τὸ ἀντιςῆναι eodem referri debet, quod et Paulus nos docet, hoc praeceptum his verbis explicans: Μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόντες [*Nulli malum pro malo reddentes*], Rom. 12: 17, quae est ut diximus τῆς τιμωρίας perspicua descriptio. Ex quo etiam apparet quid sit eodem Pauli loco μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες [*non vosmetipsos defendentes*, id est, *ulciscentes*]. Nam ἐκδικεῖν cum modo *ulcisci* significet, modo *defendere*, necesse est ibi pro ultione accipiatur; qui enim se defendit tantum, is non reddit malum pro malo, sed is demum qui se ulciscitur: quod et sequentia Pauli verba declarant, *sed dantes locum irae*, id est, Divinae ultioni, ut ibidem videre est. Aristoteles passim τὸ ἀμύνειν [*vindicare*] ponit in virtutis parte; quem secutus Cicero vindicationem ad Ius Naturae refert, *per quam*, inquit, *vis et iniuria defendendo aut ulciscendo propulsatur.* Eiusdem est in Officiis illud: *Iustitiae primum munus est ut ne cui noceat, nisi lacessitus iniuria. O quam simplicem veramque sententiam*, inquit Lactantius: *duorum verborum adiectione corrupit. Nocendum enim nemini, ne ei quidem qui prior nocuerit.* Quod Plato propius caeteris perspexit; eius enim est in Critone: Οὐδὲ ἀδικούμενον δεῖ ἀνταδικεῖν [*Nec si iniuriam acceperis, reponenda ea est*]. Item: Οὔτε ἄρα ἀνταδικεῖν δεῖ, οὔτε κακῶς ποιεῖν οὐδένα ἀνθρώπων, οὐδ᾽ ἂν ὁτιοῦν πάσχῃ ὑπ᾽ αὐτῶν [*Non igitur reponenda iniuria est, neque nocendum cuiquam, etiamsi quidvis ab*

hibuerat talione opposito, ut unusquisque respiciens licentiam (id est, permissionem illam facti cum auctoritate Iuris Civilis) *secundae iniuriae, a prima semetipsum contineret. Facilius enim vim comprimi scit repraesentatione talionis quam repromissione ultionis. Utrumque autem constituendum fuit pro natura et fide hominum, ut qui Deo crederet, ultionem a Deo exspectaret; qui minus fideret, leges talionis timeret. Hanc legis voluntatem de intellectu laborantem, Dominus et Sabbati et Legis et omnium paternarum dispositionum Christus et revelavit et compotem fecit, mandans alterius quoque maxillae oblationem, ut tanto magis vicem iniuriae exstingueret, quam et Lex per talionem voluerat impedisse, certe quam Prophetia manifeste coercuerat, et memoriam iniuriae prohibens, et ultionem ad Deum redigens. Ita si quid Christus intulit, non adversario sed adiutore praecepto, non destruxit disciplinas Creatoris. Denique si in ipsam rationem patientiae praecipiendae et quidem tam plene atque perfecte considerem, non consistet, si non est Creatoris qui vindictam repromittit, qui Iudicem praestat. Alioquin si tantum patientiae pondus non modo non repercutiendi sed et aliam maxillam praebendi; et non modo non remaledicendi sed etiam benedicendi, et non modo non retinendi tunicam sed amplius et pallium concedendi, is mihi imponit qui non sit me defensurus, in vacuum patientiam praecepit, non exhibens mihi mercedem praecepti, patientiae dico fructum, quod est ultio, quam mihi permisisse debuerat si ipse non praestat; aut si mihi non permittebat, ipse praestaret. Quoniam et disciplinae interest iniuriam vindicari. Metu enim ultionis omnis iniquitas refrenatur. Caeterum passim emissa libertate dominabitur, utrumque oculum effossura, et omnem dentem excitatura prae impunitatis securitate.* Locum hunc lectu et consideratu non indignum transcripsi eo libentius quod inde intelligi possit, cur et quatenus etiam in Christianorum terris retineri possent eiusmodi leges, quae talionis aut poenae formidine eos coërcent qui sponte recte facere nondum didicerunt: incolumi interim piis omnibus manente patientiae regula, quam obscure natura insinuat, commendant

dant non Prophetae tantum, sed et Philosophi, praecepit autem diserte Christus. Idem ille Tertullianus libro de Patientia: *Christus gratiam Legi superducens, ampliandae adimplendaeque Legi patientiam suam praefecit, quod ea sola ad iustitiae rationem retro defecisset.* Huius praecepti memores Christiani illi meliorum seculorum non dubitabant ad ipsorum hostium testimonium provocare. Iustinus in Apologetico: "Ο γὰρ καὶ ἐπὶ πολλῶν τῶν παρ' ἡμῖν γεγενημένων ἀποδεῖξαι ἔχομεν, ἐκ βιαίων καὶ τυράννων μετέβαλον ἡττηθέντες ἢ γειτόνων καρτερίαν βίου παρακολουθήσαντες, ἢ συνοδοιπόρων πλεονεκτουμένων ὑπομονὴν ξένην κατανοήσαντες, ἢ συμπραγματευομένων πειραθέντες [*Nam, quod multis apud nos exemplis ostendere possumus, multi de violentis et tyrannis alii facti sunt, superati exemplis sive dum vicinorum in vita constantiam imitantur, sive conspecta admirabili patientia comitum itineris iniuriam passorum, sive periculo facto eorum quibuscum negotium habebant*]. Athenagoras: Οὕτως ἐκκεκαθαρμένοι εἰσὶ τὰς ψυχὰς, ὡς ἀντὶ τοῦ μισεῖν τοὺς ἐχθροὺς ἀγαπᾷν, καὶ ἀντὶ τοῦ, τὸ μετριώτατον, κακῶς ἀγορεύειν τοὺς προκατάρξαντας λοιδορίας, εὐλογεῖν, καὶ ὑπὲρ τῶν ἐπιβουλευόντων εἰς τὸ ζῆν, προσεύχεσθαι [*Ita purgati sunt animis ut inimicos pro odio amore prosequantur: et pro eo, quod in mediocribus ducitur, eos qui priores convitiati sunt rursum convitiis impetere, bene de eis loquantur, et precentur pro eis qui vitae ipsorum insidias struunt*]. Ipse Iustinus de accusatoribus Christianorum ita loquitur: Οὐ γὰρ τοὺς κατηγοροῦντας κολάζειν ὑμᾶς ἀξιώσομεν· ἀρκοῦνται γὰρ τῇ προσούσῃ πονηρίᾳ καὶ τῇ τῶν καλῶν ἀγνοίᾳ [*Neque enim a vobis id expetemus ut accusatores nostros puniatis. Sufficit eis pravitas in qua versantur et rerum bonarum ignorantia*]. Iulianus, qui dogmata Christianorum perdidicerat, vetuit Christianorum querelas de iniuriis apud Magistratus audiri, addita causa: Ὑμέτερον τὸ κακοπαθεῖν [*Vestrum est ferre iniuriam*]. Lubet in pudorem eorum qui se nunc Christianos dici volunt verba adferre Musonii proprie ad hanc iudicialem vindictam pertinentia. Ait is: "Ὕβρεως γραφὴν οὔτ' αὐτός γράψασθαί τινα ποτὲ, οὔτ' ἂν ἑτέρῳ συμβουλεῦσαι [*Iniuriae actionem neque se cuiquam intentaturum, ne-*

que cuiquam ut id faciat auctorem fore]. Et apud Lysiam legimus: *Ἀνελεύθερον καὶ πάνυ φιλόδικον κακηγορίας δικάζεσθαι* [*Hominis est non ingenui, sed litigiosi, iniuriarum instituere actionem*]; causamque sententiae suae explicans, *Irrideri, conspui, verberari denique non est turpe*, ait, *sapienti; sed irridere, conspuere, verberare*. Mox prolatis exemplis eorum qui illatas iniurias dissimulaverant, ita concludit: *Πόσῳ δὲ κρεῖττον οὕτως ἔχοντα φαίνεσθαι τὸν φιλόσοφον ὥςε συγγνώμης ἀξιοῦν εἴτις πλημμελήσειεν εἰς αὐτὸν, ἢ δοκεῖν μὲν ἀμύνειν ἑαυτῷ δικαζόμενον καὶ ἐγκαλοῦντα, τῇ δὲ ἀληθείῃ ἀσχημονεῖν, ἀνακόλουθα τοῖς ἑαυτοῦ λόγοις πράττοντα* [*Quanto rectius Philosophum talem se ostendere ut venia dignetur eum qui in ipsum peccaverit, quam videri quidem semet vindicare, in ius eundo et accusando, at re ipsa indecore se gerere, dogmatis suis non consentanea agentem*]. Zenon dicenti: *Ἀπολοίμην ἐὰν μή σε τιμωρήσωμαι* [*Peream nisi te ulciscar*], respondit: *Ἐγὼ μὲν ἐὰν μή σε φίλον κτήσωμαι* [*Ego vero nisi te amicum reddam*].

Ἀλλ' ὅςις σε ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιάν σου σιαγόνα, ςρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην, sed si quis te percusserit in maxillam dexteram tuam, praebe illi et alteram] Saepe in Hebraismo accidit ut adversativa comparationem in se includat; qua addita sententia haec erit planissima hunc in modum: Noli si quis te malo affecit ei vicissim malum rependere aut odium eius induere; quin potius ferienti maxillarum unam, alteram quoque caedendam obverte; potius scilicet quam te ulciscaris. Deinde ex proverbio petitum est *maxillam obvertere caedenti* pro eo quod est *patienter aliquid ferre*, ut videre est Thren. 3: 30. Iulianus dixit praeceptum Christianis, *μήτε τὴν παρειὰν παιομένους φείδεσθαι τῆς ἑτέρας* [*nec si in maxillam verberetur alteri maxillae parcere*]. Est autem et hic, ut supra aliquoties, solutio tacitae obiectionis. Nam qui iubetur ab ultione omni abstinere, ei statim in mentem venit Mimi illud:

Veterem ferendo iniuriam invitas novam.

Christus igitur, ne quis hoc obtentu sibi blandiatur, multo ait potius esse ut altera iniuria accipiatur quam ut sumatur ultio. Et hoc est quod Plato dixit, non re-

se-

ferendam iniuriam, εἴτε δεῖ ἡμᾶς ἔτι τῶνδε χαλεπώτερα πάσχειν [*etiamsi quid gravius ferendum sit*]. Est eadem obiectio et apud Maximum Tyrium: *Διὰ τοῦτο, φαίη ἄν τις, ὁ δίκαιος ἀνὴρ προσπηλακίζεται, καὶ συκοφαντεῖται, καὶ διώκεται, καὶ χρήματα ἀφαιρεῖται, καὶ ἐς δεσμωτήριον ἐμβάλλεται, καὶ φεύγει, καὶ ἀτιμᾶται, καὶ ἀποθνήσκει* [*Ob hoc ipsum, dicet aliquis, vir iustus et contemnitur, et iniuriis impetitur, et pecuniis spoliatur, et in carcerem coniicitur, et in exsilium agitur, et dedecore afficitur, et interficitur*]. Respondet, nihil mirum talia viro bono evenire, quia parum praesidii sit in nuda innocentia apud pravos iudices: licere illi interim cum magna animi fiducia exclamare Achilleum illud:

——— Φρονέω δὲ τετιμῆσθαι Διὸς αἴσῃ.

[——— *Mi spero decus Iove dante futurum.*]

40. *Καὶ τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι, qui vult tecum iudicio contendere*] Latinus interpres vertit *iudicio contendere*. Nec dubium est quin olim ita intellexerint plerique. Et habet eum sensum vox κρίνεσθαι apud Graecos interpretes, ut Iob. 9: 3, Eccl. 6: 10, Ioel. 3: 2, Os. 2: 2. Salvianus hoc loco iuberi ait ut ea ipsa de quibus lis est relinquamus dum litibus exuamur. Irenaeus: *Ut non quasi nolentes fraudari contristemur, sed quasi volentes donaverimus gaudeamus.* Alii vero κριθῆναι *rixari* malunt exponere. Et מדון quidem pro *contentione* poni aliquot exemplis demonstratum est. Addendum vero quod hic est κρίνεσθαι proprie respondere Hebraeo נדון; id autem *contendere* significat, ut videre est 2 Sam: 19: [10] 9, ubi Graeci habent alii ἦν κρινόμενος, alii ἦν διακρινόμενος. Quo sensu et ἄνδρα διακρινόμενον [*virum discordiae*] posuere Graeci Ier. 15: 10, pro Hebraeo איש מדון, quod alibi vertunt μάχιμον. Illud autem נדון hic posuit Syrus: unde videri posset κριθῆναι hic esse μάχεσθαι [*vi contendere*] eoque magis quia Lucas quod hic est κρίνεσθαι dixit αἴρειν [*auferre*] vi scilicet non iudicio. Christus ab uno iniuriae genere quod ad corpus aut etiam ad dignitatem pertinet, transit ad alterum quo fortunae laeduntur, quod ostendit ipsa copula quae praecedens comma cum isto connectit. Quare et hic pari modo sensus videtur suppleri posse addito comparandi signo:

Si quis vi cupiat a te tunicam auferre, etiam pallium potius illi permitte quam illi noceas aut odium eius animo concipias. *Tunicam sumere supra pallium* proverbiale, Mich. 2: 8. Et hoc est quod Lucas dixit μὴ κωλύσῃς [*ne prohibe*]. Nam κωλύειν ibi est non verbis raptorem commonefacere, aut etiam quod suum est retinere, sed nocendo absterrere aut abspellere. Quod si tamen demus κρίνεσθαι significare hoc loco *litem movere*, sicut Iulianus hanc vocem expressit voce δικάζεσθαι, et Hieronymus dicens: *Docet nos Euangelium si qui nobiscum velit iudicio contendere, et per lites ac iurgia auferre tunicam, etiam pallium esse concedendum;* poterit et hoc intra certum modum intelligi, nimirum ne causa rei cuiusvis, et talis qualis est pallium aut tunica, litem subire liceat. Nam quae adversus lites hoc loco dici a tractatoribus solent, ea mihi videntur circumstantias satis frequentes litium magis quam ipsa iudicia respicere. Dixit quidem Paulus hoc ipsum esse ἥττημα [*defectum*] quod Corinthii Christiani lites inter se haberent, additque: *Cur non potius perfertis iniuriam? cur non potius patimini vos despoliari?* Sed ἥττημα dixit non ἁμάρτημα [*peccatum*] quia scilicet sicut praeclari atque excelsi est animi suum amittere potius quam iudicio persequi, ita nullum de ea re praeceptum Christi omnino universale exstabat. Alioqui non reiecisset lites ad arbitria piorum hominum. Quid enim differt pius iudex, praesertim cum bona partium gratia aditus, ab arbitro, nisi quod publice est lectus iuris minister? quare si diu de iure suo incerti iudicem adeant, aut aliquis ut viduam aut pupillum defendat, aut domui suae consulat, aut ut habeat quod pauperibus largiatur iuri suo confisus ob rem momenti maximi ad iudicium provocet, nullo interim odio flagrans, sed aequo animo laturus quicquid iudicatum fuerit, nescio an in caritatem peccare sit dicendus. Verum si spectentur quae plerumque litibus solent accedere, animus exulceratus, vafrae artes, sine fine ampliatio, impendia, avocatio a negotiis melioribus, odia denique, non dubium est quin vir bonus et prudens multo, si posset, libentius sit iturus ad arbitrum, aut etiam quavis tolerabili pactione tot molestias redemturus; maxime si

de

de re agatur facile reparabili, quales sunt tunica et pallium et similia. *Non improbat Praetor* (inquit Ulpianus) *factum eius qui tanti habuit re carere, ne propter eam saepius litigaret. Haec enim verecunda cogitatio eius qui lites exsecratur non est vituperanda.* Isocrates de se Oratione περὶ ἀντιδόσεως [*De surrogatione*] sic ait: Ἠπισάμην αὐτὸς μὲν εἰς τοὺς ἄλλους μηδὲν ἐξαμαρτάνειν· ἀδικούμενος δὲ μὴ μετὰ δικαστηρίου ποιεῖσθαι τὰς τιμωρίας, ἀλλ' ἐν τοῖς φίλοις τῶν ἐκείνων διαλύεσθαι περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων [*Didiceram ego in alios quidem nihil peccare: at si iniuria essem affectus, non iudicio me ulcisci, sed apud eorum amicos discedere de controversia*]. Aristides: Τῶν ἰδιωτῶν ἐπαινεῖτε εὐγνώμονας καὶ βλαφθῆναί τινα μᾶλλον αἱρουμένους ἢ διαφέρεσθαι πρός τινας [*Laudatis privatos qui aequi sunt et aliquid damni malunt pati quam litigare*]. Cicero De Officiis II laudat a litibus quantum liceat, aut etiam paulo plus quam liceat, abhorrentem. Certe de veteribus Christianis, qui non tam subtiliter quam fieri nunc solet, Consilia a Praeceptis distinguebant, sed in omnibus rebus id sectabantur quod erat optimum, dixit Athenagoras: Οὐ δικάζονται τοῖς ἁρπάζουσι [*Non litigant cum raptoribus*]. — Altera ex hoc loco difficilior oritur quaestio, an quod Leges permittunt vim vi repellere, id Christianae etiam disciplinae conveniat. Nam quin Legibus multa concedantur quae bonitatem ac patientiam hominis Christiani non decent dubitandum non est. Et esse quaedam talia in hoc etiam genere existimo, quale interdum esse potest quod Lex Mosis concedit furem nocturnum occidere, et quod Lex Romana addidit etiam diurnum, si se telo defendat: multoque magis quod interpretes Iuris Romani addiderunt, quemlibet bonorum nostrorum invasorem recte necari si aliter servari possessio nequeat. Neque hac stetit Iurisconsultorum indulgentia, non animis tantum sed et reipublicae, ni fallor, periculosa. Si ob bona hoc licet; quid ni servandae existimationis causa? inquiunt. Est autem turpe fugere; licet igitur homicidium facere etiamsi fuga pateat. Item turpe est convitium pati, praesertim viro nobili; ergo etiam ea de causa homicidium patratum culpa vacat. Quin et singulares dimicationes habent suos pa-

patronos, et res omnibus Legibus vetanda, etiam Legibus ordinatur. Eo ventum est ut inter Christianos, crucis candidatos, quotidie palam publice fiat quod profanarum gentium Leges severe puniissent. Adeo pati iniuriam dedecus putatur; laus hominem occidere. Ego vero neque illud quod honorem vocant, qui non est honor sed vanorum hominum stulta persuasio; neque possessiones ullas cum vita hominis etiam vilissimi comparandas puto. Et quae tandem caritas sinit nos istas reculas nostras pluris facere quam quod hic orbis dignissimum habet vitam humanam, cui res conditae omnes famulantur? At Leges permittunt. Imo horum pleraque Leges improbant: sed sunt ista Iurisconsultorum seculo suo blandientium commenta. Longe aliter olim Ulpianus: *Furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impune feret si parcere ei sine periculo suo non potuit.* Quid si tamen permitterent? Non probant, non laudant; tantum praestant impunitatem. Estne autem qui Christiano existimet sufficere, si poenas legum effugiat, in scelera tantum non etiam in vitia constitutas? Sed illud etiam videamus quantum liceat homini pro vita tuenda facere. Sunt et hic Iurisconsulti qui existiment, etiam innocentem qui dirimendae rixae se interponit interfici posse si alia ratio nulla sit expediendae salutis; quod confido paucis placiturum: et ne illud quidem recipit religiosus animus quod a nonnullis est proditum, non esse exspectandum dum praesens immineat periculum, sed tollendum in tempore qui credatur nociturus. Non enim eousque timori indulgendum est. Rectius Cicero: *Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum iure potuerit occidere a quo metuisse se dicat ne ipse posterius occideretur.* Estque in eandem rem apud Gellium dissertatio libro VII cap. 3. Sunt rursum alii qui ne aggressorem quidem occidi posse arbitrantur etiamsi vita, ni id fiat, omnino sit amittenda. Quae sententia multos habuit auctores in primis Christianismi seculis, quo tempore fervida pietas facile honesta omnia pro praeceptis amplectebatur. Origenes Celso Christianos seditiosos appellanti, ita respondet: *Καί τοι γε εἰ στάσις ἦν τῆς συστάσεως τοῖς Χριστιανοῖς ἡ αἰτία, τὴν ἀρχὴν ἀπὸ*

'Ιου-

Ἰουδαίων εἰληφόσιν, οἷς ἐξῆν καὶ ὅπλα ὑπὲρ τῶν οἰκείων ἀναλαβεῖν, καὶ πολεμίους ἀναιρεῖν, οὐκ ἂν ὁ νομοθέτης Χριστιανῶν πάντῃ ἀναίρεσιν ἀνθρώπων ἀπηγόρευε, μήποτε δίκαιον εἶναι διδάσκων τὸ κατ' ἀνθρώπου τόλμημα τῶν ἑαυτοῦ μαθητῶν, κἂν ἀδικώτατος ἐκεῖνος ᾖ· οὐ γὰρ πρέπειν ἡγεῖτο τῇ ἐνθέῳ ἑαυτοῦ νομοθεσίᾳ τὸ συγχωρεῖν ὁποίαν δήποτε ἀνθρώπου ἀναίρεσιν [*Atqui si Christianis factio causa esset conventuum, cum originem a Iudaeis trahunt, quibus licebat et arma pro rebus suis sumere, et hostes tollere, non illis Legislator ipsorum omnem hominis interfectionem prohibuisset, docens illicitum esse suis sectatoribus talem conatum adversus hominem quamvis iniustissimum. Neque enim convenire existimabat Divinae suae disciplinae pati qualemcunque hominis caedem*]. Ego si quis sit tam forti animo ut vitam eripi sibi patiatur potius quam alterius quantumvis infesti morte eam redimat, laude aut etiam admiratione dignum censeam. Rara dilectio est pro inimicis atque improbis mortem oppetere, inquit Paulus Rom. 5: 6, 7, 8. Sed an praecepti iure a Christianis hoc exigatur, videndum est amplius. Nam Christi haec verba proprie de ultione agere videntur, aut etiam de via ad arcendum malum quod facile sit reparabile. At hinc utrinque vitae res vertitur: ut aut inde moriatur qui hoc malum in se accersivit, aut hinc qui invitus eo necessitatis detruditur. Iam vero ne in bonis quidem vitae huic servientibus, ne inter amicos quidem, per praecepti modum a nobis exigitur ut aliis esse velimus ἄνεσιν [*laxitatem*], nobis θλίψιν [*angustiam*], ut Paulus loquitur 2 Cor. 8: 13. Cur igitur de vita aliud dicamus? Nam si dicas vitam alterius bonis esse digniorem; sane tanto et vita nostra bonis est dignior. Itaque manet eadem ἀναλογία [*proportio*]. Sunt qui praeceptum Noë eiusque liberis datum urgent, quo vetatur fundi sanguis humanus. Verum idem hoc Natura praecipit, at omnia praecepta Naturalia, quantumvis universaliter enuntiata, habent suas ex aequo et bono exceptiones. Et videmus populos omnes, quorum consentiens iudicium non temere sperni debet (nam, ut Heraclitus dicebat, ὁ ξυνὸς λόγος πιςὸν τεκμήριον [*communis ratio fidum est indicium*]), ita Ius illud Naturae interpretari

ut

at innocentem pronuntient qui, cum aliter vitam tueri nequiret, vim sibi inferentem occiderit. De quo Cicero dicit, *non scriptam exstare sed natam legem, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex ipsa natura arripuimus, hausimus, expressimus.* Videtur autem debere Lex Dei idem dictans quod Natura, ita accipi, quomodo ipsa Natura accipiendam monstrat, nisi addatur aliquid expressius. Una causa est quae vitae periculo aequanda videatur, si quis stuprum corpori parans inferre, aliter quam occidendo arceri nequeat. Neque enim Leges tantum hoc permittunt, sed solent facta eiusmodi apud omnes populos magnis laudibus celebrari, exstantque etiam in veteri Christianismo eius exempla. Quod tamen de vita armis, si necessitas urgeat, tuenda dictum est, id non audeam proferre ad arcendam vim, quae infertur a publica potestate. Nam id neque Leges indulgent, et si indulgeatur, reipublicae sit periculosum. Cessat et ratio quam attulimus. Non enim aequalia inter se sunt bona, tranquilitas publica, et vita quantumvis innocentis. Itaque Petrus in causa, quae omnium iustissima videri poterat, armatam vim incoeptans, a Christo reprehensus est, et ipse Dominici praecepti memor aliis in simili positis necessitate praescribit patientiae leges 1 Epist. 4: 15, 16. Et hoc Christiani religiosissime observarunt, adeo ut si quam per vim obstitum esset grassanti saevitiae, id publice ipsorum universitas improbaret. Videtur tamen alia esse causa eorum qui decreto superiorum potestatum inferioribus resistunt: inferiores enim quatenus superiorum mandata egrediuntur, privatis sunt accensendi. Quo referendum est factum Nehemiae et sociorum, quos contra vicinos Praesides armabat Regii edicti auctoritas. — Absoluta quaestione de sui tutela, veniamus ad alteram quae est de iudiciis publicis, praesertim capitalibus. Nam ea quoque a Christo his verbis prohiberi, sunt qui existimant. At iam ostendimus de Ultione Christum agere sive ea in Iure, sive extra Ius exigatur. Longe autem aliud est Ultio, ut plerumque ea vox sumitur, aliud Poena, quam nullo postulante Leges exigunt. Ultio ex ira postulatur. *Iudex* vero, ut Seneca vere dixit, *nunquam minus irascitur quam cum*

pu-

nit. Exigitur Ultio, quia factum est quod non oporbat; Poena vero publicorum iudiciorum ideo exigitur, peccetur in posterum. Est enim aut νουθεσία [*castitio*], aut παράδειγμα [*exemplaris poena*], ut Philophi recte distinguunt. *Νουθεσία* vult eum qui peccvit meliorem facere, ut paterna castigatio liberum, iam ab iis quoque usurpari intelligo domi qui eam republica reprehendunt. *Παράδειγμα* autem exemo tristiore alios a delinquendo absterret. Saepe autem niungitur castigatio cum exemplo. Utrumque autem ab tione longissime differre tum ex origine tum ex fine paret. Quomodo igitur quae de ultione dicta sunt a hristo ad rem adeo diversam producentur? Dicam aliid amplius. Ipsa illa supplicia ultionis sive τῆς τιμωρίας od attinet, Christi praecepto is qui laesus est ea exire doloris reponendi causa prohibetur, non prohibetur dex si exigantur Lege agere. Nam manebat adhuc Mo- Lex tota, quam Christus profitetur hoc ipso sermone se nulla in parte infringi. Poterat autem Christus lva Lege imperare laeso ne talionem postularet: quia c Lex illi non imperabat, sed concedebat, nihil aum contra Legem facit qui concesso non utitur. At dici interdicere ne secundum Legem iudicaret, incomi Lege non poterat. Quia non permittebat hoc Lex dicis arbitrio, sed districte et addita comminatione c ei imperabat, ut videre est tum alibi, tum praeserm Deut. 19: 21. Pertinet autem hoc argumentum etiam l capitis iudicia. Nam ad ea quoque Iudicem Lex oblibat, nisi quatenus vi maiore, ut puta potestate Romarum, prohibebatur. Quare cum et Lex Christi statim promulgata erat auditores obligaverit, et Lex Mosis tempore non fuerit antiquata, sequitur ut utrique sial pareri potuerit. Quod si tempore promulgationis rba Christi non obstiterunt publicis iudiciis, ne nunc idem obstare possunt. Manet enim ea quae initio fuet verborum sententia. Nec est quod quisquam regerat cidio Iudaicae Reipublicae leges Mosis concidisse; nee enim id quaeritur an ex Legibus Mosis iudicari deat in illis populis quos Lex Mosis ne tunc quidem obrinxit cum publicaretur, sed an cum Christi praecepto pu-

pugnet aut easdem aut similes Leges figere. Illud quidem certum est, supervacuum esse ut tales Leges ferantur in eos qui ex Christi vivunt disciplina. Nam qui sponte sua recte faciunt, eos nihil opus est coerceri mali formidine. Verum docent nos vaticinia, docet rerum eventus mundum non esse Christianum, sed vere Christianos minimam esse mundi portionem: Leges autem respiciunt id quod plerumque accidit. Quare cum humani generis pars maior nunc sit non minus σαρκικὴ [*carnalis*] quam erat Mosis aetate gens Iudaeorum, simili morbo similia sunt adhibenda remedia. Neque enim sine publicis iudiciis nunc tutior esse potest innocentia quam tum fuit. Quanquam vero Lex Hebraea, ut diximus, a Deo data sit soli populo Hebraeo, tamen dubium non est quin eam recte imitari potuerint gentes caeterae. Nihil igitur allatum quo constet haec publica iudicia Deo displicere. Imo contrarium Paulus docet, cum dicit publicam potestatem *a Deo ordinatam*, *et Dei ministram esse*. Neque enim intelligi id potest de sola provida permissione et directione, quomodo etiam latrocinia Deus permittit eisque utitur. Nam ex ea ordinatione sive institutione Paulus colligit honorem eis et obedientiam etiam ex animo deberi: quod de latrociniis rebusque aliis a Deo permissis dici non potest. Sentit ergo Deo grata esse ac placere publica imperia. Quicquid autem est in quo Deus εὐδοκεῖ [*se oblectat*], id recte praestatur. Capitalia autem iudicia adeo non excludit Paulus, ut de ea parte imperii publici praecipue agat. Ait enim publicam potestatem Dei esse *ministram ad iram* (id est, ad poenam, nam eum sensum plerumque ea vox habet) *adversum maleficos*: et quod amplius est, ait *non frustra ab ea gladium ferri*, ad istud scilicet ministerium, ut contextus verborum docet. *Gladii* autem nomine publica iudicia tanquam a nobilissima sui parte nuncupantur; unde et in Iure *Ius gladii* est Ius publicarum animadversionum. Colligitur hinc probari a Deo ipsum etiam gladii usum adversum maleficos. Cum vero Deus non habeat decreta sibi contraria, neutiquam potest peccatum esse in eo quod Deus probet, nisi aliunde vitium accedat. Ac ne quis putet probari a Deo hanc potesta-

tem,

tem, sed non probari ut ea sit penes Christianos, notet primum ea quae hic exstant praecepta comminationem habere iacturae Regni coelorum et gravis supplicii. Ad omnes igitur pertinent. Deinde aperte testatur Paulus *velle Deum omnes homines salvos fieri et ad cognitionem veritatis Euangelicae venire*, etiam *Reges*, 1 Tim. 2: 2, 3, 4. Possunt igitur et Reges per Euangelium servari; quod intelligendum etiam non exuta Regia dignitate ostendunt verba praecedentia; vult enim *pro Regibus orari, ut quietam et tranquillam vitam agamus:* at hoc praestare Reges non possunt nisi qua Reges sunt. Vult ergo orari pro Regibus etiam qua tales sunt, addita causa quia vult eos Deus servari, etiam qua tales scilicet, ut recte procedat argumentatio. Tranquillam autem et quietam vitam quomodo Reges praestant? Laudando bonos, malos puniendo, etiam gladii iure, ut idem Apostolus explicat Rom. 13: 3, 4. Vult ergo Deus Reges, qua Reges sunt, et qua utuntur gladii iure, posse per Euangelium servari. Neque aliter verba Apostoli acceperunt Christiani veteres, *εὐχόμενοι*, ut Iustinus loquitur Apologetico secundo, *τοὺς βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας μετὰ τῆς βασιλικῆς δυνάμεως καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας εὑρεθῆναι* [*precantes ut Reges et Principes cum Regia potestate etiam sapienti ratione praediti reperiantur*]. Preces autem istae Christianorum et antiquissima vaticinia de Regibus Christo famulaturis, extra controversiam in Constantino eiusque successoribus eventum habuerunt. Ab his autem ita recepta est Christi doctrina, ut neo imperio excederent, neque publica iudicia abolerent. Neque vero in tanta Episcoporum multitudine quisquam fuit qui eos ut id facerent hortaretur; quod mihi certissimum esse videtur indicium, constanter ab omnibus creditum, nihil esse in istis iudiciis Christi praeceptis et Imperatorum saluti contrarium, cum alioqui libertatis Episcoporum adversus Reges peccantes illustria exstent exempla. Nimirum meminerant et Sergium Propraetorem olim a Paulo ad Christi fidem conversum, neque tamen ab eo exactum ut se Propraetura, in qua continebatur et ius gladii, abdicaret. Videbitur forte quibusdam aliter sensisse Tertullianus, cum dicit: *Sed et Caesares*

 cre-

credidissent super Christo, si aut Caesares non essent seculo necessarii, aut si et Christiani potuissent esse Caesares. Sed forte hoc voluit Tertullianus, cum is esset Romani imperii status ut Christianum Imperatorem ferre non posset, Divino interim numine ita res gubernatas ut per Paganos Imperatores aliquatenus publicae tranquillitati consuleretur. Nam idem ille Scriptor iam suo tempore dicit Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum impleta fuisse Christianis. Alia etiam Veterum loca, quae obstare publicis iudiciis videntur commodiorem longe interpretationem recipiunt. Nam aut hoc dicitur, Christi praecepta nullas habere sanctiones adspectabilium poenarum, quales Lex Mosis habuit, et sine eiusmodi suppliciis in Christo populo servari disciplinam; quo sensu ab eodem Tertulliano dictum est: *Nova Lex se non vindicat ultione gladii:* aut magistratum suscipere dissuadent, non ut rem illicitam, sed ut multis delinquendi periculis expositam. Hoc sensu Tatianus ex Christiani persona dicit: *Στρατηγίαν παρῄτημαι* [*Praeturam defugio*]. *Christianus nec Aedilitatem affectat*, inquit Tertullianus, *multoque iustius aestimat abstinendum iudiciis de capite et pudore.* Et tamen eiusdem est: *Bonum esse cum puniantur nocentes, nemo negat.* Et alibi iustitiam vocat *violentiae vindicem.* Origenes vero adversus Celsum obiicientem Christianis quod Praeturas aliosque magistratus defugerent ita respondet: *Οὐ φεύγοντές γε τὰς κοινοτέρας τοῦ βίου λειτουργίας Χριστιανοὶ τὰ τοιαῦτα περιΐστανται, ἀλλὰ τηροῦντες ἑαυτοὺς θειοτέρᾳ καὶ ἀναγκαιοτέρᾳ λειτουργίᾳ* [*Christiani non ab his se excusant quod communia vitae ministeria defugiant, sed quod semet servent Diviniori magisque necessario ministerio*]. Clemens autem, utroque antiquior, loquens de Christiano qui iam ad summum probitatis gradum pervenerit: *Κἂν εἰς ἀρχὴν*, inquit, *καταστaίη ποτὲ, καθάπερ ὁ Μωσῆς, ἐπὶ τῇ σωτηρίᾳ τῶν ἀρχομένων ἡγήσεται, καὶ τὸ ἄγριον καὶ τὸ ἄπιστον ἐξημερώσεται, τιμῇ μὲν τῶν ἀπίστων, κολάσει δὲ τῶν μοχθηρῶν, τῇ κατὰ λόγον εἰς παιδείαν ἐγγραφομένῃ· μάλιστα γὰρ ἄγαλμα θεῖον καὶ Θεῷ προσεμφερὲς ἀνθρώπου δικαίου ψυχὴ, ἐν ᾗ διὰ τῆς τῶν παραγγελμάτων ὑπακοῆς τεμενίζεται καὶ ἐνιδρύεται ὁ πάντων ἡγεμὼν θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων*

βα-

βασιλεύς τε καὶ γεννήτωρ τῶν καλῶν, νόμος ὢν ὄντως, καὶ θεσμὸς καὶ λόγος αἰώνιος ἰδίᾳ τε ἑκάστοις καὶ κοινῇ πᾶσιν εἷς ὢν σωτήρ [*Quod si, ut Moses, ad imperium vocetur, fungetur eo ad bonum subditorum, et id quod ferum atque infidum est ad mansuetudinem perducet, bonos honorando, malos puniendo, afficiendo ea poena quae secundum rationem ad correctionem ipsis velut inscribatur. Maxime enim Dei instar et ad Deum accedens est iusti hominis mens, in qua per obedientiam praeceptis praestitam templum sedemque habet omnium mortalium et immortalium Rex bonorumque genitor, qui revera lex est et norma et aeterna ratio atque unus sospitator tum singulis tum universis*].

Verumtamen ut illa publicorum iudiciorum potestas exerceatur citra dispendium Christianae lenitatis, multis cautionibus opus esse video, quae passim negliguntur. Ut notissimis utar exemplis, Legem de necandis ob captam feram agricolis, miror tanta diligentia a Iurisconsultis defendi, cum multo meliorem posituri essent operam in seria talium dissuasione. Tale etiam est quod necari fures iubentur, et quidem iis in locis ubi adulterium, tanto extra controversiam gravius delictum, vix censoria nota perstringitur. Ego sane non video quid nos cogat Lege Hebraea esse immitiores. In ipsis homicidiis non tam factum nudum spectandum mihi videtur, quam quae anteacta vita occisoris fuerit, veneritne ad hoc facinus impetu an deliberatione, et, quod praecipuum est, sitne ingenium sanabile. Nam hoc et Seneca praecipit, *ne quis pereat nisi quem perire etiam pereuntis intersit:* quod ipsum tamen videtur aut nunquam aut rarissime locum habere posse. Quando enim constabit spem omnem poenitentiae praecisam? Haec discrimina a Iudicibus expendi multo esset satius quam alios ex solo facti nomine audito ad mortem rapi, aliis qui gratia et amicis valent per indulgentiam Principalem plenam contingere, quantumvis atrocium facinorum, impunitatem. Nam quod quidam existimant homicidio naturaliter respondere capitis poenam, in eo falluntur. Poenae enim delictorum non sunt ipso Naturae Iure aut ulla Dei perpetua Lege constitutae, sed pro modo inde imminentis peri-

ματος, εἰ μὴ τοῖς δαίμοσι θύειν αἱροῖντο [*milites iussit militari dignitate exui, nisi Diis sacrificare vellent*]. Nam ut generaliter de omni militia is canon intelligatur historiae temporum repugnat. Quippe maior pars exercitus Constantini ex Christianis erat; et si qui Christiani sub Licinio militiam omiserant, iis liberum fecit Constantinus an militiam resumere vellent, an a militia vacare. Quod autem militiam interdum dissuadent Scriptores, simile est ei quod de honorum fuga dicebamus: partim etiam causas habet temporum illorum proprias, ut ad Lucae cap. 3 ostendemus. Neque vero dubito quin multo impensius dissuasuri fuerint, si bellorum nostri temporis rabiem et castra, periuriis, stupris, latrociniis, omni denique vitiorum confluxu inquinata vidissent. Eo ventum est ut rem magnam praestare videatur miles Christianus, si non veteris et paganae Romae militem, ipsos denique Turcas flagitiosis moribus vincat. Longe alii milites sint oportet cum quibus ex Euangelio agamus: nam istos et sensus communis et comparatio veteris disciplinae satis condemnant. — Ut vero quae fusius a multis de bello tractata sunt paucis complectar, et si quid a pietate alienum illis probatur, obiter refellam, constat tres esse belli partes, initium, progressum, exitum. In ipso initio spectari debent leges iustitiae, prudentiae, caritatis. Iustam causam belli suscipiendi esse non arbitror hoc unum, quod populus alter a recta pietate abhorreat. Quis enim in illum populum alteri populo aut Regi id iudicium dedit?

Σπάρταν ἔλαχες, ταύτην κόσμει.
[*Spartam tibi quae contigit orna.*]

Et recto a Plutarcho dictum, *πρόφασιν εἶναι πλεονεξίας ἡμερῶσαι τὰ βαρβαρικά* [*alieni cupiditatem esse uti hoc praetextu quod barbariem emolliat*]. Quid si etiam populus alter nos laeserit, tamen ad vim confugiendum non est quamdiu res potest verbis disceptari. Hinc mos res repetendi antequam bellum indicatur apud Hebraeos, Graecos, Romanos. Si is quicum agimus paratus sit de rebus controversis ad arbitros ire, abstinendum adhuc bello est: *Οὐ γὰρ νόμιμον ἐπὶ τὸν δίκας διδόντα ὡς ἐπ' ἀδικοῦντα ἰέναι* [*Non enim aequum est in eum qui se iu-*
di-

dicio praebeat, tanquam in iniuriosum agere], ut ait apud Thucydidem Archidamus. Nullo autem modo recipiendum est, quod quidam tradiderunt, iustum utrinque esse bellum posse: nam id ne in lite quidem potest contingere: nisi iustum intelligi volumus id quod ex moribus receptis iura habet captivitatis, praedae, postliminii. Sed quae hoc sensu iusta dicuntur plerumque nihil sunt aliud quam magna latrocinia. Vel Senecam audiamus: *Homicidia compescimus et singulas caedes. Quid bella et occisarum gentium gloriosum scelus? Non avaritia, non crudelitas modum novit. Ex Senatusconsultis plebisque scitis saeva exercentur, et publice iubentur vetita privatim. Quae commissa capite luerent, tum quia paludati fecerunt laudamus. Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere, cum inter se etiam mutis et feris pax sit?* Sane si Ius Naturae respicimus, quid interest uno myoparone pirata mare infestum habeat, an Asiam cum exercitu et classe Alexander? Nec multis refutandi sunt qui iusta bella suscipi docent ab his qui sedibus suis expulsi aut egressi in alienarum sedium possessionem recipi volunt; aut qui metuunt ne crescens potentia aliquando ipsis periculum faciat. Verum etiam cum iusta est causa bellandi, saepe obstabunt prudentiae leges. Utrinque ferrum et corpora humana: nec in eiusdem potestate est initium belli et finis. Bene Euripides:

Ὅταν γὰρ ἔλθῃ πόλεμος εἰς ψῆφον λεῶ,
Οὐδεὶς ἔθ' αὑτοῦ θάνατον ἐκλογίζεται·
Τὸ δυςυχὲς δὲ τοῦτ' ἐς ἄλλον ἐκτρέπει·
Εἰ δ' ἦν παρ' ὄμμα θάνατος ἐν ψήφου φορᾷ,
Οὐκ ἄν ποθ' Ἑλλὰς δοριμανὴς ἀπώλετο.
[*De Marte quoties itur in suffragia,*
Nemo imminere cogitat mortem sibi;
Sed quisque cladem destinamus alteri.
Quod si in comitiis funera ante oculos forent,
Furiata bello non perisset Graecia.]

Sed imprimis Christiano spectandum est, quid caritas exigat. Nam si lites vitari dissuadens Paulus dixit: *Cur non potius iniurias sustinetis?* quanto magis aequum est quantumvis dura nos pati quam ad eam venire di-

disceptationem quae bonos malosque iisdem malis involvit? Privata defensio in periculum adducit solum invasorem. Supplicia capitalia in facinorosos sunt constituta. At in bello innocentes non minus quam nocentes utrinque pereunt et spoliantur. Principi Seneca praescribit ut *alieno sanguini tanquam suo parcat*, *sciatque homini non esse homine prodige utendum*, quid illum exigere credimus qui pacem nobis *cum omnibus quantum fieri potest* tam sollicite commendavit? Nimirum ista omnia si quo modo debent expendantur, videbimus non frustra ad externa quoque bella et alias bellorum causas aptari posse quod Favonius dixerat, *χεῖρον εἶναι μοναρχίας παρανόμου πόλεμον ἐμφύλιον* [*peius esse iniusto dominatu bellum civile*], et pia arma ea demum esse quae sunt necessaria, hoc est quae suscipiuntur ad evitanda mala armis saeviora. Ad belli progressum leges istae pertinent, ut pacta serventur quam religiosissime, ut pacato noceatur nemini, ut quam minimo sanguine decertetur, ne saeviatur in captos, in deditos, in pueros, in feminas, in agricolas, et caeteram imbellium turbam. Postremo circa exitum belli videndum est, ne ira et ultionis cupiditate bellum trahatur; sed appareat nihil aliud bello quam pacem quaesitam: quod fiet, si quavis tolerabili pactione ab armis discedatur, aut etiam post victoriam nihil victis dematur praeter iniuriae licentiam. *Bellorum*, inquit ille, *egregii fines*, *ubi ignoscendo transigitur.* Et haec quidem ad eos praecipue pertinent quos penes belli suscipiendi, regendi finiendique ius est. De sociis illud addendum est, non caritati tantum sed et iustitiae adversari ea federa quae aut inferentibus aut etiam propulsantibus bellum auxilia pollicentur sine causarum discrimine. Hi vero qui bello ministerium duntaxat exhibent, scire debent, si subditi sunt, subditos quoque Regibus obsequium non sine exceptione debere. Et ut probabilis aliqua causa excuset parendi necessitatem, certe qui mercede conducti militant cives, multoque magis externi, nihil habent quo causam suam possint tueri, nisi plane ipsis constet iuste pieque susceptum esse bellum cui operam addicunt. Et ut hoc constet, tamen graviter peccant quicunque non caritate populi pericli-

tan-

tantis, sed mercede aut praeda illecti bellum in genere quaestûs habent. Rident haec multi, et negant rempublicam sine iniuria geri posse; sua retinere privatae domûs, de alienis certare Regiam aiunt esse laudem; qui alios perdere possit eum perdendum in tempore; nihil iniusti in eum qui quod iustum est recuset: quaeque alia sunt in eam formam. Dicant quod velint, et ubi solitudinem faciunt pacem appellent. Ex illorum scitis, quae vere scripta sunt humano sanguine, Rex ille pacis de genere humano non iudicabit. Imo vero id potius vereor, ne in hac tractatione in eam partem quae bello nimium indulget fuerim aequo pronior. Quare sciat lector non definiendi animo haec a me dicta, sed ut verum diligentius inquiratur. Interim suadeo omnibus iniurias ferant potius quam humanum sanguinem quamvis nocentium fundant, et illius dicti saepe meminerint: *Quod dubitas, ne feceris.*

41. *Καὶ ὅςις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν, et quicunque te cogere velit mille passus*] Tria iniuriarum genera Christus ponit; primum quod in corpus committitur, alterum quod contra ius dominii, tertium quod contra libertatem. Hebraei, ex quo Persarum potentia Orientem invaserat, coacti fuerant inter caetera eius servitii incommoda etiam onus Angariae ferre, cuius immunitas ipsis a Demetrio concessa est: ut apud Iosephum videre est Originum XIII. Inde factum ut rei vehementer exosae nomen etiam ad privatas vexationes producerent, ut apparet infra 27: 32, et ex multis Hebraeorum Scripturae interpretum locis. Atque in eum sensum vocem hanc Christus usurpat.

Μίλιον ἕν, mille passus] Haec una est earum vocum quae cum Romano Imperio non in Graeciam tantum sed et in Palaestinam pervenerunt, quam et Syrus hîc usurpat, et passim Hebraeorum Magistri.

Ὕπαγε μετ᾽ αὐτοῦ δύο, vade cum illo et alia duo] Et hic supplenda sententia, addito μᾶλλον [*potius*]. Ut enim iterum vapulare maiusque damnum accipere, ita et duplum operae eius quae exigatur praestare nos, satius est, quam ultionem aut per nos ipsos aut per Iudices exigere, aut alio quovis modo peccare in diligendi Legem.

Aut certe hoc vult Christus, quae praestari a nobis sine magno incommodo possunt, qualis est miliaris unius deambulatio ea non recusanda etiamsi per iniuriam exigantur: Irenaeus, *ut non quasi servus sequaris sed quasi liber praecedas.* Nihil autem haec obstant, quo minus placidis atque sedatis rationibus iugum grave a nobis arceamus. *Si liber esse potes*, inquit Paulus, *eo potius utitor*, et, *Nolite fieri servi hominum*, 1 Cor. 7: 21, 23. Est enim ad res multas agendas instrumentum partim utile, partim necessarium libertas: ut non immerito vetus Poëta dixerit:

Ἥμισυ τῆς ἀρετῆς ἀποαίρει δούλιον ἦμαρ.

[*Dimidia virtute caret servire coactus.*]

42. *Τῷ αἰτοῦντί σε δίδου, qui petit a te da ei*] Aliam morum partem Christus ordinat, eam scilicet quae ad beneficia pertinet, ut recte explicat Tertullianus adversus Marcionem IV. Beneficium autem maxime necessarium est sublevare egentes. Qui solent duorum esse generum, aut enim sunt πτωχοὶ [*inopes*], qui nullam spem habent reddendi quod accipitur; aut sunt ἐρανισταί, qui temporaria fortuna afflicti pecuniam non donatam sed mutuam postulant. Ab his igitur beneficiis quae non tam homini praestantur quam humanitati, neminem vult Christus excludi; quod haud dubie ex aequi bonique regula intelligendum est, quatenus et nostrae facultates ferunt, et ipsorum necessitas postulat, ut Paulus ad Corinthios docet. Quod si omnibus sublevandis pares non simus, aequum est eos praeferri quos pietatis professio nobis coniungit.

Δανείσασθαι, mutuari] Solet ista vox Graecis usurpari modo ut significet *pecuniam sumere mutuam*, modo ut sit *foenori sumere.* Sed cum foenus Iudaeis inter se interdictum fuerit, et quorum in arcto res sunt foenore iugulentur magis quam adiuventur, omnino ad significatum priorem vox hic trahenda est. Nam foenus ne speciem quidem habet beneficii.

43. *Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, diliges proximum tuum*] רע Hebraeis et Graecis ὁ πλησίον plerumque non simpliciter alterum significat, sed eum qui coniunctus nobis sit sanguinis, vicinitatis aut amicitiae vinculo. Et quidem

dem apud Mosen Lev. 19: 18, quem locum hic respicit Christus, רע est is ipse qui ibidem dicitur בן עם, id est, *popularis*. Iudaei hoc arripientes ab alienigenis adeo liberalitatem suam arcebant ut ne communia quidem humanitatis officia illis praestarent, quale est viam monstrare comiter: quod qui non faceret is apud Athenienses Diris devovebatur, ut nos Diphilus docet:

———— ἀγνοεῖς ἐν ταῖς ἀραῖς
Ὅτι ἐςὶν, εἴτις μὴ φράσαι ὀρθὴν ὁδὸν,
Ἢ πῦρ ἐναύσει, ἢ διαφθερεῖ ὕδωρ.
[———— *nescis in Dirarum carmine*
Hoc esse, Ni quis rectam monstrassit viam,
Ignem ni accensit, si quis aquas infecerit.]

Huius generis et illa sunt quae Cicero dicit tribuenda vel ignoto: *Non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, consilium fidele deliberanti dare.* Haec ipsa autem non solita esse a Iudaeis praestari hominibus extraneis testantur versus Iuvenalis:

Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti:
Quaesitum ad fontem solos deducere verpos.

Sed et Tacitus: *Apud ipsos fides obstinata, misericordia in promtu, adversus omnes alios hostile odium.* Sed nimirum hic quoque error inhumanus Iudaeorum ex saepe iam indicato fonte oriebatur, quod abunde se omnes officiorum partes implesse crederent si iis praeceptis paruissent quibus ipsorum civilis societas continebatur. At certe neque Lex Iudaica naturalem tollebat, neque societas illa propior antiquiorem generis humani societatem, ad quam ille respexit qui se *κοσμοπολίτην* [*mundi civem*] dixit, et Florentinus Iurisconsultus cum a Natura cognationem quandam inter homines ait institutam. Inde illud:

Homo sum: humani nihil a me alienum puto.

Et quae sunt alibi in eandem sententiam. Hoc ipsum est quod apologo Samaritani Iudaeo vulnerato succurrentis, quem Sacerdos et Levita praeterierant, Christus docuit. Non negat Iudaeum Iudaeo esse *τὸν πλησίον*, arctiore nexu consanguinitatis et propriae ipsorum Legis vinculo; sed ostendit id non obstare quominus communis ortus et Lex ipsa Naturae omnem hominem omni homini

fa-

faciat esse τὸν πλησίον, id est, non alienum; sed necessitudine quadam cohaerentem, ac propterea neminem esse cui non data occasione benefacere debeamus. Illud quidem fatendum est, cum victus rationem peculiarem Deus Israelitis praescripsit, hoc ipso consuetudinem admodum familiarem externarum gentium redditam esse difficilem: postea etiam, cum summum imperium Iudaei amisissent, arctiorem eam redditam ex Sapientum praescripto. Atque hinc est quod passim legimus in his libris Iudaeos non solitos συγχρῆσθαι, συνεσθίειν, κολλᾶσθαι, προσέρχεσθαι [*couti, una manducare, coniungi, accedere*] alienigenis. Et hoc ipsum Apollonius Molo, M. Tullii Ciceronis praeceptor, invidiose obiiciebat Iudaeis, ὅτι μὴ παρεδέχοντο τοὺς ἄλλαις προκατειλημμένους δόξαις περὶ Θεοῦ, μηδὲ κοινωνεῖν τοῖς καθ' ἑτέραν συνήθειαν βίον ζῆν προαιρουμένοις [*quod non reciperent aliter de Deo sentientes, neque commercium haberent cum alterius instituti hominibus*]: quod Iosephus non negat, sed exemplo Laconicae ξενηλασίας [*peregrinorum expulsionis*] defendere conatur. Et passim apud Iosephum inimici Iudaeis obiiciunt τὸ ἄμικτον, τὸ ἀσύμφυλον [*vitam segregem atque sepositam*], quod alio loco vocat τὴν διαίτας ἀμιξίαν [*vitae insociabilitatem*]. Sed qui sapiunt, facile vident extra Legis praescripta et Sapientum sententiam a Iudaeis itum, cum communia quaedam officia etiam iis debeantur quos a propioris necessitudinis vinculo aut Lex arcet aut ratio. In Lege Mosis Deus, ut cum Tertulliano loquar, *quorundam fidem paulatim ad disciplinae Christianae nitorem, primis quibusque praeceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat.* Quare cum illam indefinitam dilectionem illi praestare nondum possent, neque promiscuam consuetudinem ferret ipsorum infirmitas, in tanto praesertim vitiorum atque impiarum superstitionum Regno, saltem in consortes sanguinis ac religionis omnia benevolentiae officia exhiberi Deus voluit, idque ipsum, praeter communes Naturae regulas, Lege promulgata sanxit. *Quamdiu*, ut ad Tertulliani verba redeam, *intra Israelem erat sacramentum, merito in solos fratres misericordiam mandabat* (nempe in Federis formula). *At ubi Christo dedit Gentes hereditatem et*

pos-

possessionem terminos terrae, et coepit expungi quod dictum est per Osee: Non populus meus, populus meus, et non misericordiam consecuta, misericordiam consecuta, Natio scilicet, exinde Christus in omnes legem paternae benignitatis extendit, neminem excludens in miseratione, sicut in vocatione.

Καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου, et odio habebis inimicum tuum] Hic multi putant firmum se habere argumentum quo probent omnia quae Christus antiquis ait dicta, non ad Mosis Legem, sed ad interpretationem Legisperitorum referenda. Nos autem, qui cum Veteribus plerisque arbitramur Mosis verba respici, sed ita ut simul refellatur prava interpretatio eorum qui ex obedientia Legis illius, qua propria erat Iudaeorum, non tantum vitae huius commoda, sed et Regnum coeleste sibi spondebant, neglectis Naturae et caritatis legibus; etiam horum verborum sensum in Mosis Lege exstare non dubitamus. Iubentur quidem in ea Lege Iudaei beneficia quaedam vulgaria praestare etiam inimicis, Exod. 23: 4, sed popularibus scilicet, quod collatus locus qui est Deut. 22: 1 apertum facit. Rursum vero Exod. 34: 11 et Deut. 7: 1 vetantur Hebraei cum septem illis populis, Hettaeo, Girgasaeo, Emoraeo, Cananaeo, Perizaeo, Chivaeo, et Iebusaeo, affinitatem iungere, fedus facere, aut etiam eorum misereri. Habemus ergo hostes, habemus et odium, non tamen ferinum, sed certis limitibus circumscriptum. Nam his ipsis populis pacis conditiones offerri debuerunt, ut, si vellent, exitium imminens servitute redimerent; quemadmodum recte ab Hebraeis annotatum est ad locum Deut. 20: 10. Et quod post pacem repudiatam sine ulla venia iubentur internecione deleri, ad eius aetatis homines, non etiam ad eorum posteros pertinet: nam eos in servitutem Salomo recepit laudatissimis Regni sui temporibus, 1 Reg. 9: 20. His septem populis asscribi possunt Amalecitae, in quos Hebraei iubentur habere πόλεμον ἄσπονδον [*bellum impacatum*], atque eorum memoriam delere funditus, Exod. 17: 16, Deut. 25: 19, quod itidem intelligendum puto, ut aut occidione delerentur, aut dedititiorum essent numero. Ammonitarum et Moabitarum paulo esse alia videtur ratio. Nam quod

de illis dicitur Deut. 23: 6, nolim cum Hebraeis quibusdam ita accipi quasi arma illis inferri possent priusquam ad pacem invitarentur. Neque enim ius ullum Hebraeis Deus in illorum populorum terras concesserat, ut liquet Deut. 1: 19. Sed nec Iephthes Ammonitis bellum intulit nisi post tentatas aequae pacis vias, Iudic. 11: 14, et David pacem cum iis servavit usque dum atrocissimis iniuriis lacesseretur, 2 Sam. 10. Quare illis Deuteronomii verbis sola federa *συμμαχίας* [*consociationis armorum*] vetari existimo, aut, ut alii volunt, prohiberi Israelitas pacem ab illis poscere, si illi bellum coeptassent. Videmus igitur quousque Hebraei illos populos odisse, aut etiam, ut Moses loquitur dicto Deuteronomii loco, abominari potuerint. Neque vero ea praecepta cum Lege Naturae pugnant; nam ut sontes iusta poena afficiantur cum Iure Naturae non pugnat, quin potius ei valde est consentaneum. Sicut autem quaelibet potestas publica in sui imperii subditos id ius habet, ita in Reges ac populos summus omnium Rex Deus: qui hanc poenae exsecutionem, quam per se facere potuerat, maluit Hebraeo populo mandare, idque post longissimi temporis patientiam, cum iam ipsarum gentium sacrilega sacra, ferina crudelitas, incesta libido ad summum pervenissent, ut legere est Levit. 18: 24, et facunde explicatur libro Sapientiae qui dicitur cap. 12 et 13. Quare hoc ius ex speciali Dei sententia venit, non ex lege aliqua communi, ac proinde in caeteros *ἀλλοφύλους* [*alienigenas*] idem non licuit. Quod ut rectius intelligatur, distinguenda sunt tria *ἀλλοφύλων* genera. Alii enim sunt qui cum circumcisione Iudaismum recipiunt, qui vocabantur *προσήλυτοι* [*Proselyti*], ac proinde pari ferme cum Hebraeis iure erant, hoc inter alia excepto quod qui ex Ammonitis et Moabitis facti erant *προσήλυτοι* ad honores non admittebantur. Iustinus recte: *Προσήλυτος ὁ περιτεμνόμενος εἰ τῷ λαῷ προσκεχώρηκέν ἐςιν ὡς αὐτόχθων* [*Proselytus circumcisus qui se populo adiunxit, aequatur indigenae*]. Erant alii qui a falsorum Deorum cultu abstinebant, et caeteris parebant quae in commune Adami Noaeque posteris erant imperata, liberi tamen a peculiaribus Hebraeorum institutis. His quoque permissum erat in-

inter Hebraeos vivere, quod ostendit aperte Lex Deut. 14: 20, ubi de cadavere bestiae suopte fato emortuae ita imperat Moses: *Peregrino qui intra portas tuas est illud dabis ut comedat, aut vendes extraneo.* Ubi *peregrinus* est ἀλλόφυλος cum Iudaeis habitans, sed ius non habens civitatis; *extraneus* autem cui extra fines Iudaeorum domicilium erat. Iudaei igitur veteres incolas istos Iudaismum non professos, sed pios tamen, quos vocabant חסידי אומות [*Pios ex Gentibus*], ut non laedebant, ita nec communioribus excludebant; at postquam summa potestate ad extraneos delata non potuere discerni qui Noae praecepta observabant ab eadem non observantibus, institutum fuit, vitandi contagii causa, ne quis eos extra necessitatem accederet, aut alloqueretur, ut apparet Act. 10: 28. Caeterum quicunque falsorum Deorum cultu se inquinabant, eos Iudaei, qui Christi vixere temporibus, nullo discrimine pro hostibus habebant, neque eos aut necare aut spoliare, si qua possent, religio erat: quod fatetur atque etiam defendit Iosephus Albo in disputatione adversus Christianos, hanc rationem adferens, quod qui sine Lege vivat is communis omnium hostis merito habeatur, ideoque in eum nihil sit illicitum. Vere igitur Tacitus dixerat esse Iudaeis *adversus alios omnes* (nam omnes populi a vero Deo desciverant) *hostile odium.* Addit is quem dixi Iosephus Albo idem Philosophis placuisse. Et sane sunt quaedam apud Philosophos talia. Nam Democritus plane maleficos homines quosvis feris et serpentibus comparabat, atque ideo qui eos occidisset innocentem pronuntiabat, sive id fecisset privata manu, sive iussu publico. Neque longe hinc abit Aristoteles, qui ait τὴν πολεμικὴν εἶναι φύσει κτητικὴν [*bellum esse acquirendi modum naturalem*], et cum Euripide, Graecos in id natos ut Barbaris imperent, qua in re creditur Philippo et Alexandro bellum in Asiam molientibus ultra aequum gratificatus. Neque Iudaei soli tales fuere in externos, sed et Graeci ut Thucydides ex Homero probat. Quin et in Romanorum Iure inhumanitatis istius exstant vestigia: censebant enim suum fieri quod ad se pervenisset ex populo non federato, nec quodvis fedus adversus hoc ius proderat, sed id demum in quo de amicitia

ali-

aliquid convenerat: plane quasi Natura nullam inter homines amicitiam constituisset. Sed lux artium et disciplinarum Legem Naturae sub pravis moribus sepultam paulatim resuscitavit. Verum ad Hebraeos posteriores ut redeamus, receptam fuisse apud ipsos sententiam recte occidi ac spoliari eos qui Idolis serviebant, ipsorum scripta ostendunt. Atqui in Lege Mosis Deus certos populos nominatim puniendos delegans satis ostendit in alios quamvis falsis cultibus implicatos non idem iuris esse, praesertim cum temporis maturitatem sui voluerit esse arbitrii. Quanquam enim valde corrupti erant istarum gentium mores iam Abrahami temporibus, tamen nondum eum impleverant modum quem Divinae lenitati visum erat operiri, ut Moses nos docet Gen. 15: 16. Iam vero ut de Idumaeis taceam, Aegyptios constat ante Hebraeorum exitum bovis simulachrum coluisse: nam inde exemplum foedae superstitionis ad Hebraeos manavit: neque tamen permittit Lex Hebraeos nocere Aegyptiis. Sed et meliorum temporum consuetudo, Legis interpres, Iudaeis adversatur: nunquam enim aut populus Hebraeus aut boni Principes in populos quantumvis superstitiosos bellum moverunt, nisi novis causis provocati. Mendose igitur Iudaei quod in populos definitos a Deo constitutum erat, aliovorsum traxere. Sed illud quoque notari convenit, non omnia praecepta Divinae Legis omnium fuisse temporum. Nam quae de praediis erant constituta, ea certum est in exsilio Babylonico non potuisse observari, cum praedia victor obtineret. Sic etiam post translatam in Romanos summam imperii, etsi manebant aliqua veteris Reipublicae vestigia, leges tamen de bello indicendo gerendoque silebant, quia eminentior illa potestas, quae armorum movendorum ius in se complectitur, ad Romanos transierat. Non erat ergo quod Christi tempore Iudaei leges eius generis suo in alias gentes odio obtenderent. Sublatis igitur illis exceptionibus quas certis causis Deus praescripserat, integrum manebat Ius Naturae, quod homines omnes hominibus commendat. *Οὐδεὶς ἐχθρὸς τῷ σπουδαίῳ* [*Nemo hostis viro bono*] veteres Sapientes dicere solitos ait Hierocles. Huc Christus Iudaeos retrahens praecipit aliquid maius Lege Civili Iu-

Iudaica. Ideo non male Tertullianus: *Lex Vetus amorem docet in proximos, Nova in extraneos.* Neque tamen quod Christus docuit cum Lege Mosis pugnabat; imo et apud Mosem iuris istius perpetui non obscura exstabant vestigia. Nam eo iure vixerant Abrahamus, Isaacus, Iacobus, Iosephus, homines demerendis hominibus nati, qui omnem beneficii collocandi occasionem ponebant in lucro; quanquam illorum temporum dilectio non talis ac tanta erat quantam Christus praecepit et exemplo suo monstravit. Ideo haec praecepta non nisi apud Christianos reperiri, ait Nazianzenus.

44. *'Αγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς, diligite inimicos*] 'Εχθροὺς vocat eosdem quos *μισοῦντας* [*odio accensos*], qui hostili in nos sunt animo: potestque id de totis populis intelligi, ut quod sequitur *μισοῦντες* ad singulos pertineat. Praeceptum diligendi inimicos nos didicisse per Euangelium, ait Ambrosius De Iosepho cap. I. Docet Christus delicto alterius non tolli naturam, et propterea benevolentiam in neminem debere claudi. Neque sane ulla potest esse praeclarior victoria quam si cum ab altero coeperit iniuria, a nobis beneficium incipiat. Plutarchus libro De utilitate ex inimicis capienda: *'Εχθροῦ δὲ καὶ τὸ τιμωρίαν παραλιπεῖν ἐν καιρῷ παρασχόντος ἐπιεικές ἐστι. Τὸν δὲ καὶ πταίσαντι συμπαθήσαντα καὶ δεηθέντι συλλαβόμενον, καὶ παισὶν ἐχθροῦ καὶ οἰκείοις πράγμασιν ἐν χρείᾳ γενομένοις σπουδήν τινα καὶ προθυμίαν ἐνδειξάμενον· ὅστις οὐκ ἀγαπᾷ τῆς εὐμενείας, ἐκεῖνος ἐξ ἀδάμαντος ἢ σιδήρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν* [*Est et illud humanitatis, ultionem de inimico cuius occasio se dedit praetermittere. Quod si quis praeterea infortunio eius moveatur et precantem sublevet, et liberis inimici aut rebus ipsius sic exigentibus promtum ostendat animum: qui talem bonitatem non amat, is cor habet nigrum ex adamante aut ferro fabricatum*].

Εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους, benedicite maledicentibus] Per gradus scandit oratio, ab affectu ad verba, a verbis ad res ventura. Ut autem differat τὸ *εὐλογεῖν* [*benedicere*] ab eo quod sequitur *προσεύχεσθαι* [*precari*], omnino putem *εὐλογεῖν* hic esse *benignis verbis compellare*, quo sensu et Hebraeum ברך poni solet. Nam et Paulus *εὐλογίας*

vocem ita videtur usurpare Rom. 16: 18. Et κατάρα, quae τῇ εὐλογίᾳ directe opponitur, tum hic tum Rom. 12: 14, et Iac. 3: 10, frequenter idem valet quod Latine *maledicti* voce exprimitur. Certe Paulus quoque opposuit inter se εὐλογεῖν et λοιδορεῖν [*benedicere et maledicere*] 1 Cor. 4: 12. Recte ergo verteris *benedicite maledicentibus*, non tamen ex vulgari usu earum vocum, sed quomodo Plautus et Cicero loquuntur.

Προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς καὶ διωκόντων ὑμᾶς, orate pro persequentibus vos et calumniantibus vos] Quod olim Moses fecit, postea Christus, eiusque exemplo Stephanus, Paulus, alii. Differunt enim διώκειν et ἐπηρεάζειν ferme quomodo *iniuria* et *contumelia*. Quid sit διώκειν supra diximus. Ὁ δὲ ἐπηρεάζων φαίνεται καταφρονεῖν [*qui contumelia aliquem afficit, ostendit eum a se contemni*], ut Aristoteles nos docet Rhetoricorum II cap. 2. Vetus Glossarium ἐπηρεάζειν vertit *calumniari*. Narrant Hebraei inter Hasidaeorum instituta fuisse, ita precari Deum: *Remitte et condona omnibus qui vexant nos*. Hi Hasidaei, iidem qui aliis Esseni, potissima sementis Christianorum in Iudaea. Iustinus Apologetico altero de Christianis: Ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν εὐχόμενοι, καὶ τοὺς ἀδίκως μισοῦντας πείθειν πειρώμενοι [*precantes pro inimicis, et conantes mitigare eos a quibus iniuste odio habentur*].

45. *Ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς, ut sitis filii Patris*] *Filii Patris*, id est, similes Patri, ut supra explicavimus commate 5, quod ostendit et collatio verborum quae infra sunt commate 48. Unde etiam factum ut in quibusdam codicibus pro υἱοὶ legeretur ὅμοιοι [*similes*], interpretamento in textum recepto, quod ex Chrysostomo apparet. Ergo illud ὅπως γένησθε non finem sed connexionem significat; ut si cui dicam: Praesta te bonum civem ut patrem imiteris.

Ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ τοὺς πονηροὺς, quia solem suum oriri facit super malos] Seneca ad rem eandem eodem utitur argumento, *Sceleratis*, inquiens, *sol exoritur*. Et alibi: *Quam multi indigni luce sunt, et tamen dies oritur*. Rursus alio loco: *Ne Deos quidem immortales ab hac tam effusa benignitate sacrilegi negligen-*

gentesque eorum deterrent. Utuntur natura sua, et cuncta, interque illa ipsos munerum suorum malos interpretes, iuvant. Plinius Panegyrico: *Sol et dies non oritur uni et alteri, sed omnibus in commune.* Adde et Iob. 25: 2. *'Ανατέλλειν* autem etiam apud Homerum est *μεταβατικὸν* [*transitivum*]. Et solent alioqui Hellenistae omnia verba per se *ἀμετάβατα* [*neutralia*] eo significatu usurpare, ut exprimant Hebraeum Hiphil. Itaque et in Ps. 148 המצמיח vertitur *τῷ ἐξανατέλλοντι* [*oriri facienti*], ita supra 15 *καίουσι* est *faciunt ut ardeat.* Sensum hunc Hierocles non male expressit de viro bono in hunc modum loquens: *Μιμούμενος ἐν τοῖς τῆς φιλίας μέτροις τὸν Θεὸν, ὃς μισεῖ μὲν οὐδένα ἀνθρώπων, τὸν δὲ ἀγαθὸν διαφερόντως ἀσπάζεται* [*In amicitiae mensuris Deum imitans qui neminem odit, sed viros bonos eximie amat*].

Βρέχει, pluit] Mos antiquissimus omnium prope gentium naturae effectus referre ad naturae auctorem. Ita Romani veteres *Iove tonante, Iove fulgurante* dicebant; nec aliud intelligitur cum *κατ' ἔλλειψιν* [*per defectum*] dicimus, *pluit, tonat.*

'Επὶ δικαίους καὶ ἀδίκους, super iustos et iniustos] Restricte igitur intelligendum est quod dicit Scriptor Syrachidae cap. 12, *μὴ δῷς ἀσεβεῖ* [*ne des impio*], et quod bis ponit *μὴ ἀντιλάβῃ ἁμαρτωλοῦ* [*ne suscipias peccatorem*], ut sensus sit, aut si tale sit liberalitatis genus quod in multos spargi nequeat ut tum praeferatur vir melior, aut etiam ne mali adversus iusta iudicia protegendi suscipiantur. Hierocles: *'Εν τάξει δὲ τῇ πρεπούσῃ τὰ τῆς φιλίας μέτρα ποιησώμεθα, τοὺς μὲν ἀγαθοὺς, ὡς ἀποσώζοντας τὴν τοῦ ἀνθρώπου τελειότητα, καὶ διὰ τὴν φύσιν καὶ τὴν γνώμην παντοίως ἀσπαζόμενοι· τοὺς δὲ φαύλους, ὡς μηδὲν ἀπὸ γνώμης εἰς αἵρεσιν φιλίας ὑπέχοντας, διὰ δὲ μόνην τὴν κοινὴν φύσιν ἀγαπῶντες* [*Amicitiae mensuras in suo ordine servabimus: bonos quidem viros, ut qui in se servent id quod homines perfectos facit, et ob indolem et ob animi propositum summe amantes: malos autem diligentes ob solam communem naturam, cum ipsi ex suopte ingenio nihil exhibeant de caetero quod dignum sit amicitia*]. Est in hanc rem notabilis Senecae sententia.

46. *Τίνα μισθὸν ἔχετε, quam mercedem habetis*] Nimi-

mirum apud Deum. Nam apud homines habent ista mercedem. Vide quae sequuntur infra cap. 6.

Οἱ τελῶναι, publicani] Publicanos Iudaeos fuisse male negat Tertullianus; quem et Matthaei et Zacchaei exemplum revincit. Quanquam existimo etiam in Iudaea, ut in aliis provinciis Romanis, mancipes fuisse Equites Romanos; sed quia illi per se exercere publicum non poterant, Iudaeis elocasse, aut certe eos admisisse in partem quaestus: quod ipsum nos docet Gemara Thalmudica De damno dato libro I cap. 10. Quanta autem fuerit Publicanorum improbitas, tum Baptistae ad ipsos sermo docet, tum et Iurisconsulti, in quorum numero Ulpianus: *Quantae audaciae, quantae temeritatis sint Publicanorum factiones, nemo est qui nesciat.* Exstat apud Livium narratio de Posthumio publicano qui multis annis parem fraude avaritiaque neminem habuerat. Apud Plutarchum est de Graecis: *Τὸ τελωνεῖν ὄνειδος ἡγοῦνται* [*Vectigal conducere probo ducunt*]. Verum Iudaei non tantum improbitatem quaestui plerumque connexam, sed ipsum etiam quaestum exsecrabantur: nimirum quod indignum crederent Iudaeo homine instrumentum fieri externae servitutis, quam ipsi aegerrime tolerabant, adeo ut multi ipsa etiam tributa et vectigalia specie pietatis abnuerent, ut Iosephus nos docet et Euangelii historia. His de causis Publicani plane eodem loco habebantur quo *ἐθνικοί* [*Gentiles*], id est, *ἀλλόφυλοι* [*alienigenae*] a Deo alieni. Et quia *ἁμαρτωλοὶ* Hebraeorum Magistris dicti חטאים hoc est *παράνομοι, ἄτακτοι* [*exleges, dissoluti*], qui neque Legis neque disciplinae Iudaicae ullam habebant rationem, propterea Publicani modo iunguntur *ἐθνικοῖς* modo *ἁμαρτωλοῖς* [*peccatoribus*], ac nominatim *ταῖς πόρναις* [*meretricibus*], ut multis in locis videre est. Et hunc ipsum locum designans Iustinus Apologetico secundo, pro eo quod hic est *τελῶναι* [*Publicani*] ponit *πόρνοι* [*cinoedi*], quia pariter isti omnes impuri atque intestabiles habebantur, neque Sacris tantum, sed et communi convictu indigni, ut alibi apertum fiet. Ac ne ad testimonii quidem dictionem admissos fuisse Publicanos apud Iudaeos Iudices in Pandecte Thalmudico perscriptum est. Atque hinc etiam factum reor, ut sequenti commate pro *οἱ τελῶναι* [*Publica-*

ca-

cani] quidam codices scriberent *οἱ ἐθνικοὶ*, tanquam ista tantundem valerent. Optime autem Christus ostendit quam exiguae virtutis sit bene merentibus benefacere, quando idem faciant non modo Legisperiti et Pharisaei, quos longe superandos a nobis antea dixerat si in coelum ingredi vellemus, verum ipsi etiam profani et vitae alterius securi homines, quales vulgo existimabantur esse Publicani. Talium enim est ista sententia:

Μισοῦντα μίσει, καὶ φιλοῦνθ' ὑπερφίλει.

[*Malus malevolo sis, amantem plus ames.*]

Et quae alia sunt ad eam normam.

47. *Ἀσπάσησθε τοὺς ἀδελφοὺς, salutaveritis fratres*] Recte interpretatur Syrus de blanda compellatione, qualis est ista: *Ut vales? Rectene omnia?* Vide 2 Reg. 9: 17, 18, 19, 22. Id enim proprie est quod Hebraei et Syri dicunt *de pace interrogare*. Haec autem officia Iudaei solis fratribus, id est, Iudaeis praestabant; caeteros indignos habentes quos salutarent: quos Christiana disciplina adversus eos solos observavit qui Christum professi postea ab eo defecerant, ut docemur 2 Ioh. 10. Quod hic quidam codices habent *φίλους* [*amicos*] ex interpretamento est.

Περισσὸν, amplius] Scilicet *τῶν τελωνῶν* [*quam publicani*], sicut in Pharisaeorum comparatione *τὸ περισσεύειν* [*abundare*] supra usurpavit.

48. *Ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, estote ergo vos perfecti*] Fuerit forte in Hebraeo Matthaei קדשים [*sancti*], ut sumta sit sententia ex Lev. 11: 44, 19: 2, 20: 7, unde eam Petrus accepit, ut videre est priore Epistola 1: 16, aut תמימים [*perfectus*], ut Deut. 18: 13. Valde affinis sunt significationis *ἅγιος* [*sanctus*] et *τέλειος* [*perfectus*], unde et *τελειοῦν* [*perficere*] Graecis et Scriptori ad Hebraeos est *ἁγιάζειν* [*sanctificare*]. Proprie autem *τὸ τέλειον* sive sanctitatem hic Christus vocat bonitatem veram atque sinceram, quae sit *ἐν τῷ εἶναι* [*in re ipsa*] non *ἐν τῷ δοκεῖν* [*in eo quod appareat*]. Nam et תמים [*perfectum*] LXX modo vertunt *τέλειον*, ut Gen. 6: 9, modo *ἄπλαστον*, ut Gen. 25: 27. Iosephus non male in hanc sententiam dixit de Mose agens: *Ὁ ἡμέτερος νομοθέτης ἀκραιφνῆ καὶ καθαρὰν τὴν ἀρετὴν ἔχοντα τὸν Θεὸν ἀποφήνας, ᾠήθη δεῖν τοὺς*

 ἀν-

ἀνθρώπους ἐκείνης πειρᾶσθαι μεταλαμβάνειν [*Nostrarum legum auctor cum docuisset in Deo esse sinceram puramque virtutem, existimavit hominibus hoc agendum ut eius virtutis fierent participes*]. Rem ipsam antiquissimi Scriptoris ad Diognetum verbis rectius quam meis explicabo: *Ὅςις τὸ τοῦ πλησίον ἀναδέχεται βάρος, ὃς ἐν ᾧ κρείσσων ἐςὶν ἕτερον τὸν ἐλαττούμενον εὐεργετεῖν ἐθέλει, ὅσα παρὰ τοῦ Θεοῦ λαβὼν ἔχει ταῦτα τοῖς ἐπιδεομένοις χορηγῶν, Θεὸς γίνεται τῶν λαμβανόντων, οὗτος μιμητής ἐςι Θεοῦ* [*Quisquis onus proximi in se suscipit, qui in quo plus valet in eo minus valenti opitulari vult, ea quae a Deo accepta habet aliis indigentibus impartiens, Deus fit accipientium in eo quod Deum imitatur*]. Ita optime cohaeret hoc ἐπιφώνημα [haec *acclamatio*] monitis superioribus, simulque sequentia connectit. Confirmat eandem interpretationem Lucas qui quod hic est τέλειοι exponit οἰκτίρμονες, quod est *benefici*. Sic et Iustinus Martyr pro eo quod hic scribitur τέλειοι posuit χρηςοὶ καὶ οἰκτίρμονες [*benigni ac misericordes*]. Ita enim Hellenistae eam vocem usurpant. In Dei imitatione summam hominis felicitatem esse positam quidam etiam Philosophorum viderunt. Plato dicebat: *Τέλος τῶν ἀγαθῶν τὸ ὁμοιωθῆναι Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσιν δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι* [*Finis bonorum Deo similem fieri quoad fieri potest. Similitudo vero in eo consistit ut iusti et sancti simus accedente et prudentia*]. Idemque optimus est Dei cultus, ut Pythagorei dicebant: *Τιμήσεις τὸν Θεὸν ἄριςα ἐὰν τῷ Θεῷ τὴν διάνοιαν ὁμοιώσῃς* [*Optime Deum honorabis si ei mente sis similis*]. Hanc autem imitationem Pythagorei peculiariter etiam spectari volebant in beneficentia erga homines quosvis. Nam vir bonus, inquit Hierocles, *μιμεῖται καὶ ἐν τοῖς τῆς φιλίας μέτροις τὸν Θεὸν, ὃς μισεῖ μὲν οὐδένα ἀνθρώπων, τὸ τῆς φιλανθρωπίας ἀγαθὸν κοινῷ τῷ γένει προτείνων* [*etiam in amicitiae mensuris Deum imitatur, qui neminem hominum odit, toti generi porrigens bonitati suae munera*]. Iamblichus: *Εὐδαίμων ἐςὶν ὁ Θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ὅμοιος* [*Felix est qui Deo quantum potest est similis*]. Errant autem qui hinc colligunt ea quae in his sermonibus a Christo dicuntur, consilia esse non praecepta aut certe praecepta peculiaria τοῖς τελειότητος ἐφιεμένοις [*a-*

per

perfectionem tendentibus]. Verba enim apertiora sunt quam ut negari possit praecipi haec, et quidem omnibus qui intrare cupiant in Regnum coeleste. Ita et Paulus omnes Christianos vult esse *τελείους*, 1 Cor. 14: 20, Col. 1: 28 et 4: 12, et imitatores Dei, Eph. 5: 1. Adde Luc. 6: 36, Iac. 1: 4, 3: 2, 1 Ioh. 1: 7, 3: 3, 1 Pet. 1: 15. Sed et Iustinus in dialogo cum Tryphone *τέλειον γένεσθαι* ipse interpretatur Christianum fieri. Quanquam scio alibi vocem *τελείου* Christianorum inter se comparatione accipi: sed hic ei significationi locus non est.

CAPUT VI.

1. *Τὴν δικαιοσύνην ὑμῶν, iustitiam vestram*] Cum ita legisse Syrum et Arabem appareat, nec desit librorum auctoritas, omnino hic accidisse arbitror quod alibi saepe in his libris, ut altera lectio ex interpretamento glossematis nata sit. Quia enim *δικαιοσύνη* in sensu *ἐλεημοσύνης* [*misericordiae*] erat glossema, id est, vox minus usitata, et Iudaeis Hellenistis quam Graecis notior, ideo asscripta est vox altera usus frequentioris. Docet hic Christus exemplis beneficentiae, precationis et ieiuniorum non posse Deo probari quae ideo fiunt ut aut laus captetur aut gratia. Quam sententiam Philo facunde, ut solet, his verbis expressit libro De Caino: *Εὑρήσεις τοίνυν σκοπῶν ἅπαντας καὶ τοὺς λεγομένους χαρίζεσθαι πιπράσκοντας μᾶλλον ἢ δωρουμένους, καὶ οὓς οἰόμεθα λαμβάνειν χάριτας, πρὸς ἀλήθειαν ὠνουμένους· οἱ μὲν γὰρ διδόντες ἀμοιβὴν ἔπαινον ἢ τιμὴν θηρώμενοι, ζητοῦντες χάριτος ἀντίδοσιν, εὐπρεπεῖ δωρεᾶς ὀνόματι κυρίως πρᾶσιν ἐργάζονται* [*Si recte consideres, invenies plerosque eorum qui benefici dicuntur vendere magis sua quam donare, et eos qui accipere putantur ea emere verius. Nam qui pro datis repensationem venantur honoris aut laudis, ac sic beneficio vicem expetunt, sub honesto liberalitatis nomine auctionem potius faciunt*], et quae sequuntur. Sic et Abenesdra ad Decalogi initium: *Si quis*, inquit, *pauperi largiatur aliquid, ne id faciat spe gloriae ab ipso consequendae, aut ut hominibus se iactet: nam si id faciat, potiorem ducet gloriam quae*

est apud homines quam eam quae a Deo est opum largitore. Est in hunc sensum insignis locus in secundo de Republica Platonis, ubi *τὸν δίκαιον* [*iustum*] describit *ἄνδρα ἁπλοῦν καὶ γενναῖον, κατ' Αἰσχύλον, οὐ δοκεῖν ἀλλ' εἶναι ἀγαθὸν ἐθέλοντα* [*virum sincerum atque generosum, qui secundum Aeschylum bonus non videri sed esse velit*]. Nam, inquit, *ἀφαιρετέον τὸ δοκεῖν· εἰ γὰρ δόξει δίκαιος εἶναι, ἔσονται αὐτῷ τιμαὶ καὶ δωρεαὶ, δοκοῦντι τοιούτῳ εἶναι· ἄδηλον οὖν εἴτε τοῦ δικαίου εἴτε τῶν δωρεῶν τε καὶ τιμῶν ἕνεκα τοιοῦτος εἴη· γυμνωτέος δὲ πάντων πλὴν δικαιοσύνης* [*Removendum est illud Videri velle. Si enim iustus esse videri velit, honores et munera eius erunt qui iustus esse videtur; incertumque evadet, sitne ille eius quod iustum et rectum est an vero honorum et munerum causa talis. Exuendus ergo praeter iustitiam omnibus*], et quae sequuntur. Aeschyli versus quos respicit noti sunt, de Amphiarao quidem dicti a Poeta, at de Aristide Athenis intellecti:

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος ἀλλ' εἶναι θέλει,
Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.
[*Namque allaborat esse, non credi, optimus,*
Sulcos profundos mente demersos gerens,
Unde illa sese pulchra consilia exserunt.]

Quibus addere liceat et hos Philemonis versus:

Ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν, οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν,
Ἀλλ' ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος μὴ βούλεται·
Οὐδ' ὃς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπέσχετο,
Ἀλλ' ὃς τὰ μεγάλα καρτερεῖ μὴ λαμβάνων,
Ἔχειν δυνάμενος καὶ κρατεῖν ἀζημίως·
Οὐδ' ὅστε ταῦτα πάντα διαθηρώμενος,
Ἀλλ' ὅστις ἄδολον γνησίαν τ' ἔχων φύσιν
Εἶναι δίκαιος κ' οὐ δοκεῖν εἶναι θέλει.
[*Non iustus omnis abstinens iniuriae est,*
Sed qui nocere cum potest tunc abstinet;
Nec qui recusat parva, sed qui maximis
Tentatus animi robur invictum gerit:
Nec quisquis ista quolibet praestat modo,
Sed qui dolosi nescius fuci, integra
Probitate, iustus esse, non credi, cupit.]

Et

Et illa egregia Hieroclis: *Πᾶν γὰρ ὃ ἀμείνονα τὴν ψυχὴν ποιεῖ τοῦτο ὄντως ἀρετὴ καὶ φιλοσοφίας νόμος. Τὰ δὲ μόνον πρὸς ἀνθρωπίνην εὐσχημοσύνην τείνοντα, δουλοπρεπῆ ἐςι σοφίσματα καὶ σκιαγραφία τῶν καλῶν, τὸν παρὰ τῶν πολλῶν ἔπαινον θηρωμένη, καὶ τοῦ δοκεῖν μόνον αὐτὸν εἶναι ἀγαθὸν τὴν πᾶσαν ποιουμένη φροντίδα* [*Omne enim id quo melior redditur animus, hoc virtus est et lex Philosophiae. Quae vero in hoc tendunt ut apud homines speciosi simus, serviles sunt fallaciae et rerum honestarum adumbrationes, quae laudem ab aliis venantur, et omnem curam in eo ponunt ut quis bonus videatur*]. At plerisque hominum, ut dicebat ille, *maior famae sitis est quam virtutis*. Quod autem Christus cohaerenter hic posuit opera misericordiae, preces, et ieiunium, fecit hoc quoque non sine exemplo. Passim enim ista ut ὁμογενῆ [*congenera*] iungi solebant. Vide Tob. 12: 9.

Μισθὸν, mercedem] Voces Hebraeae quae Graecae huic saepe respondent מתן et אתנה promiscue *mercedis* et *doni* habent significationem, quo magis apparet non eam esse vim huius vocis ut aequalitatem inter factum et rem desideret. Sed neque Latina vox id exigit. Est quidem *merces*, ut Varro vult, a *merendo:* at *merere* aut *meriri* Latinis veteribus erat *consequi pro re aliqua*. Terentius: *Egone illam cum illo ut patiar nuptam unam diem? nil suave meritum est.* Cicero: *Quid enim mereas ut Epicureus esse desinas*, et similia. Strictius autem *mercedis* vox usurpatur ubi antecessit promissio; ea enim ius dat etiamsi origo promissi ex liberalitate et misericordia procedat, ut inter Deum et nos evenit. Nam si obedientiam nostram cum vita aeterna commetimur, non digna sunt quae hic patimur (est autem patientia pars nobilissima obedientiae nostrae) glorioso praemio quod nobis obventurum est. Breviter et bene Salvianus: *Indignum est ad futurae gloriae comparationem omne opus humanum.* Sed de his plenius ad Lucam cap. 17.

2. *Μὴ σαλπίσῃς, noli tuba canere*] Recte post Chrysostomum Theophylactus notat non moris id fuisse apud Iudaeos, sed locutionem esse παροιμιώδη [*proverbialem*]. Nam tuba convocare populum Hebraei solebant, ut Moses nos docet: atque inde ad Tyrios, a Tyriis ad Tyrrhenos,

nos, qui et ipsi propago sunt Tyrrhenorum, ut nominis vestigium indicat, a Tyrrhenis ad Graecos tubae usus pervenit. Est autem σαλπίζειν populum testem quaerere. Basilius facunde dixit, ut solet: Τῆς εὐποιΐας σαλπιζομένης ὄφελος οὐδὲν [*Beneficentiae quasi per tubam proclamatae nullus usus*].

Οἱ ὑποκριταὶ, hypocritae] Quorum sunt, ut cum Poeta loquar, *mores personati.* Vetus dictum est: *Totus mundus exercet histrioniam.*

Ἐν ταῖς συναγωγαῖς] Recte transferas *in circulis.* Latissime enim patet vocis usus; neque hic restringi debet ad Proseuchas, quod et sequentia ostendunt: quin et nunc Iudaei liberalitatem suam maxime ostentant in exsequiis mortuorum.

Ἀπέχουσι, receperunt] Ita et Latine dicimus *habeat sibi*, id est, nihil ultra exspectet. Apud Arrianum Epicteto: *Ἀπέχεις πάντα* [*Habes omnia*]. Plutarchus Solone: *Ὁ ἐν γάμῳ παρορῶν τὸ καλὸν, οὐ τέκνων ἕνεκα δῆλός ἐστιν ἀλλ' ἡδονῆς ἀγόμενος γυναῖκα, τόν τε μισθὸν ἀπέχει* [*Qui in nuptiis id quod honestum est praetervidet, ostendit uxorem se ducere voluptatis non liberûm causa: habet ergo mercedem*]. Directe opponitur hoc Christi enuntiatum opinationi Hebraeorum sentientium opera misericordiae quae fiunt invocato Deo, spe tamen et respectu humanae laudis, minus habitura mercedis apud Deum, neque tamen mercede caritura. At Christus docet habituros eos quod voluerunt, inanem scilicet gloriam nec quicquam praeterea.

3. *Μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου, nesciat sinistra tua*] Est et hoc e proverbio sumtum, cui non dissimile illud Imperatoris, qui interrogatus quando signum itineri daret, dixit se tunicam quoque abiecturum si consciam putaret. Sensus est: Benefac quam potes occultissime.

4. *Ὅπως ᾖ σου ἡ ἐλεημοσύνη ἐν τῷ κρυπτῷ, ut sit eleemosyna tua in abscondito*] ᾖ id est γένηται [*fiat*], et ἐν τῷ κρυπτῷ expressum est ex Hebraeo. Nam quod Graeci uno verbo dicerent κρύφα [*clam*] id Hebraei dicunt בלאט, atque ita caetera eiusdem formae. Graeci quidam Iudic. 4: 21 בלאט vertunt ἐν κρυφῇ [*abscondite*]. Vocem hanc ἐλεημοσύνης impie irridet Iulianus.

Ὁ

Ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, *qui videt in abscondito*] Deest articulus, ut sit ὁ βλέπων τὸ ἐν τῷ κρυπτῷ, quod est, ut diximus, τὸ κρύφα γενόμενον [*quod clam fit*]. Sic quod infra 22: 30 dicitur ἐν οὐρανῷ [*in coelo*], Marcus addito articulo explicat οἱ ἐν οὐρανῷ [*ii qui in coelo*]. Sic infra 10: 23 ἐν τῇ πόλει [*in civitate ista*] positum est pro οἱ ἐν τῇ πόλει [*ii qui in civitate ista*]. Marc. 8: 26, ἐν τῇ κώμῃ [*in vico*] pro τῶν ἐν τῇ κώμῃ [*eorum qui sunt in vico*].

5. Ἐν ταῖς γωνίαις τῶν πλατειῶν, *in angulis platearum*] Latine *in compitis*, ut Cicero atque alii loquuntur. Eodem sensu dicitur *in triviis*. Catullus:

Omnibus in triviis vulgatur fabula passim.

Musaeus:

——— ἐν δὲ σιωπῇ
Ἔργον ὅπερ τελέει τις, ἐνὶ τριόδοισιν ἀκούει.
[——— *in caligine si quid*
Fecerit, in triviis hoc idem protinus audit.]

Solebat enim plebis concursus esse in triviis: inde *verba trivialia*.

Ἑστῶτες, *stantes*] Stantes orabant Iudaei nisi luctus tempore; tunc enim orabant proni aut in genibus. Vide Dan. 9: 20. Imitati hoc Christiani: nam in Quadragesima, quod tempus poenitentiae dicatum, orabant in genibus; diebus Dominicis et in Pentecoste, id est, totis quinquaginta diebus post Pascha, non nisi stantes: ut docet Tertullianus De corona militis, et canon ultimus Synodi magnae Nicaeensis. Et qui poenitentiam agebant delictorum intra praestituta tempora erant ὑποπίπτοντες, postea συνεστῶτες. *Statio* igitur apud veteres non quemvis sed receptissimum orandi modum significat. Ita Marc. 11: 25, ὅταν στήκητε προσευχόμενοι [*et cum stabitis ad orandum*]. Luc. 18 Pharisaeus stans orat, et apud Neh. 9: 5 populus ad preces iubetur consurgere. Et Gen. 18: 22, ubi in Hebraeo est *Abraham stabat coram Deo*, Chaldaeus vertit *orabat*. Neque aliter verbum *standi* usurpatur Ier. 15: 1, 18: 19 et Iob. 30: 20. Atque ita vocem *stationis* usurpant tum Iudaei tum Christiani veteres; interdum et συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] pro piorum conventu. Loca passim obvia apud Hermiam, Tertullianum, Cyprianum, qui libro de Oratione: *Quando stamus ad Orationem*.

6. *Εἰς τὸ ταμιεῖόν σου, in cubiculum tuum*] Agit hic Christus maxime de precibus quae non in commune fiunt, sed in usus peculiares; quales erant illae Cornelii Centurionis. Alioqui *δοξολογίας* [*laudationes*] et preces pro bono communi non vetat palam in conventibus fieri, imo alibi etiam iubet, ut infra 18: 19. Praeterea omnia ista quae de conclavi et obserando ostio dicuntur sunt desumta ex communi usu ad ea denotanda quae sine strepitu fiunt. Vide Esaiam 26: 20.

Τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ, qui est in abscondito] Placet haec lectio, quam et infra commate 18 ipse Latinus interpres sequitur; ut id notet quod ex Hebraeorum literis hausit Orpheus, ita de Deo unico loquens:

——————— *Οὐδέ τις αὐτὸν*
Εἰσοράα θνητῶν· αὐτός γε δὲ πάντας ὁρᾶται.
[——————— *Nec conspicit illum*
Mortalis quisquam; videt ipse sed omnia solus.]

Sed et Philemoni idem est:

Ὁ πάνθ' ὁρῶν τε κ' αὐτὸς οὐχ ὁρώμενος.
[*Qui cuncta cernit, ipse sed non cernitur.*]

Est locus huic loco non dissimilis in Epicteto Arriani I. 14: *Ὅταν κλείσητε τὰς θύρας καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε μέμνησθε μηδέποτε λέγειν ὅτι μόνοι ἐςέ· οὐδέ ἐςε, ἀλλ' ὁ Θεὸς ἔνδον ἐςί* [*Ubi ostia occluseritis, et tenebras feceritis intus, nolite dicere, solos vos esse: nam Deus intus est*].

7. *Μὴ βαττολογήσητε, ὥσπερ οἱ ἐθνικοί, nolite multum loqui, sicut ethnici*] Non vetamur aliquamdiu continuare orationem, quod fecit Christus et Apostoli, neque id quod sollicite expetimus repetere aliquoties, quod itidem Christum fecisse videmus, praesertim in suprema illa pro Apostolis et credentibus precatione, ut et Paulum; sed prohibemur Deo verba annumerare, quasi ille preces ex prolixitate potius et labore externi istius operis quam ex intimo animi affectu, cui excitando non indicando in precibus verba inserviunt, metiretur: *Ne agmine verborum adeundum putemus ad Dominum*, ait Tertullianus. *Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus*, ait Augustinus Epistola CXXI. Erant autem huic vitio minus obnoxii Iudaei, ut qui potius docerent preces concisas esse debere; quod hodieque exstat apud Abenesdram initi-

, ad Ecclesiasten, et in aliis ipsorum libris: et apud rachiden est: *Μὴ δευτερώσῃς λόγον ἐν προσευχῇ σου* [*Non res verbum in oratione tua*], ubi δευτεροῦν τὸν λόγον em est quod hic βαττολογεῖν, *petitionem commendan- ım modeste Deo tumultuosa loquacitate iactare*, ut quitur Cyprianus sermone De oratione Dominica. Ideo ıristus exemplum vitandi moris ab exteris gentibus pe- t, quibus id erat perquam familiare. Unde illud in omoedia:

Ohe iam desine Deos, uxor, gratulando obtundere,
Tuam esse inventam gnatam: nisi illos tuo ex inge-
nio iudicas,
Ut nil credas intelligere nisi idem dictum est centies.

ontra eum morem est illud Plauti in Poenulo:

Paucis verbis rem divinam facito.

entties idem dicere est βαττολογεῖν. Quod vero ibi de atiarum actione dicitur, idem in precibus fieri con- esse ostendunt hymni Graecorum, et quae in eam rem sserunt Plato, Iuvenalis, Persius: ἐθνικοὺς [*Gentiles*] tem Iudaei Hellenistae vocabant τοὺς ἀλλοφύλους [*alie- genas*] ex strictiore usu eius vocis. Quanquam enim gnificatu laxiore etiam Iudaei ἔθνος [*gens*] vocantur Ioh. : 51, Act. 10: 22, 24: 10, et alibi; receptius tamen at ut Iudaeos vocarent λαὸν [*populum*], caeteros ἔθνη, ıomodo Hebraice illi עם, isti גוים vocatur. Atque ita pposita inter se inveniuntur λαὸς καὶ ἔθνη Act. 26: , 23. Causa distinctae appellationis haec, quod ἔθνη ocarent quamvis hominum multitudinem, λαὸν autem etum iure ac legibus sociatum, quod in Iudaeos eximie ompetebat. Quo sensu Deus gentes profanas ad Euan- elium vocans dicitur sibi comparasse λαὸν ἐξ ἐθνῶν, ct. 15: 14.

Ἐν τῇ πολυλογίᾳ, *multiloquio*] Id est, πολυλογίας ἕνεκα *longae orationis causa*]. Sperant, inquit, profanae llae gentes ideo se exauditum iri quia longae oratio- is taedio se defatigant. Πολύλογοι [*multiloqui*] autem olent iidem esse βαττόλογοι [*verborum repetitores*], quia t multa dicant necesse habent saepe iam dicta repetant. t quae nihil nisi quod opus est complectitur oratio non otest πολύλογος [*verbosa*] dici. Facete Philemon:

Τὸν

Τὸν μὴ λέγοντα τῶν δεόντων μηδὲ ἓν
Μακρὸν νόμιζε, κἂν δύ' εἴπῃ συλλαβάς·
Τὸν δ' εὖ λέγοντα μὴ νόμιζ' εἶναι μακρὸν,
Μηδ' ἂν σφόδρ' εἴπῃ πολλὰ καὶ πολὺν χρόνον.
Τεκμήριον δὲ τοῦδε τὸν Ὅμηρον λάβε.
Οὗτος γὰρ ἡμῖν μυριάδας ἐπῶν γράφει,
Ἀλλ' οὐδὲ εἷς Ὅμηρον εἴρηκεν μακρόν.
[*Quicunque dicit ad rem quae non pertinent,*
Duas locutus syllabas prolixus est;
At bene dicentem ne prolixum dixeris,
Quantumvis dicat multa et multo tempore.
Ab Homero sume testimonium tibi;
Is cum exararit versuum tot millia,
Nemo est Homerum qui prolixum dixerit.]

8. *Οἶδε γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὧν χρείαν ἔχετε, scit enim Pater vester quid opus sit vobis*] Solebant Graeci Romaniqus etiam scelerata et inhonesta a Diis suis petere, votis clam conceptis, ut passim docemur. Christus tamen eo non respicit, sed quod non contenti in genere se suaque commendasse, longo verborum ambitu exprimerent quae bona sibi vellent dari, vitam longam, robur corporis, formam, victoriam, eloquentiam, gratiam potentum; quae omnia late exsequitur Iuvenalis. At Plato potius ita orandum ait ut Poeta quidam praescripserat:

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδου· τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν.
[*Da, Deus, haec nobis quae sunt bona, sive precemur*
Seu non; quae mala sunt, etiam illa precantibus aufer.]

aut ut Lacedaemonii, *τὰ καλὰ ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς τοὺς Θεοὺς διδόναι* [*ut honesta cum bonis det Deus*], nec quicquam addendum ultra. Consentit Platoni vetus Poeta cuius hic est versus:

Μή μοι γένοιθ' ἃ βούλομ' ἀλλ' ἃ συμφέρει.
[*Ne sit mihi quod opto, sed quod expedit.*]

Quos secutus Iuvenalis, cum dixisset:

Evertere domos totas optantibus ipsis
Di faciles.

idque multis comprobasset exemplis, tandem ita concludit:

——— *Si consilium vis,*
Permittes ipsis expendere Numinibus quid

Con-

Conueniet nobis rebusque sit utile nostris:
Nam pro iucundis aptissima quaeque dabunt Di.
Carior est illis homo quam sibi; nos animorum
Impulsu et caeca magnaque cupidine ducti
Coniugium petimus, partumque uxoris; at illis
Notum qui pueri, qualisque futura sit uxor.

Addit et formulam precandi:

Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.

Ex quibus satis apparere arbitror, quomodo haec Christi verba cum superioribus cohaereant. Quid, inquit, multis verbis opus est ea commemorare quae ad vitae huius usum pertinent? satis sit generaliter optare id quod expedit. Nam quid cuique expediat plerumque ipsi homines nesciunt; at scit Deus. Adde quod infra est commate 32. Ex hoc loco sumsit Iulianus quod dicit: *Φθάνουσιν οἱ Θεοὶ τὰς εὐχὰς* [*Dii preces anteveniunt*], ut illud quod apud eundem sequitur; *καὶ αὐτῷ πρότερον τὰ θεῖα δόντες οὐδὲ τῶν ἀνθρωπίνων ἐξέργησαν* [*et prius ei dederint quae Divina sunt, ne ea quidem quae humana sunt negarunt*], est ex eo quod infra est commate 33. Hoc enim ille agebat, sed irrito consilio, ut Christianorum bene dicta factaque ad Paganos transferret.

9. *Οὕτως, sic*] *In hunc sensum.* Non enim praecipit Christus verba recitari (quod nec legimus Apostolos fecisse, quanquam id quoque fieri cum fructu potest), sed materiam precum hinc promere. Et sane nihil est dignum oratu quod non in partes huius formulae tanquam in locos suos recte digeri possit. *Oratio enim haec*, ut Tertullianus loquitur, *quantum substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus.* Docent autem nos ea quae ex Hebraeorum libris ab aliis sunt citata, non tam formulam hanc a Christo suis verbis conceptam quam in eam congestum quicquid in Hebraeorum precibus erat laudabile: sicut et in admonitionibus passim utitur notis eo seculo proverbiis. Tam longe abfuit ipse Dominus Ecclesiae ab omni affectatione non necessariae novitatis.

Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, Pater noster qui es in coelis] Vide quae supra a nobis dicta sunt.

Ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου, sanctificetur nomen tuum] Recte Hebraeorum Magistri τὸν ἁγιασμὸν τοῦ ὀνόματος Θεοῦ

[*san-*

[*sanctificationem Divini nominis*] ad pietatis opera referunt. Vide quae habuimus supra 5: 16, 2 Pet. 2: 12, et Hebraeos ad Ps. 68: 35. Rabbinum Israelem De Anima cap. 7. Bene autem notant veteres, primis his tribus membris pia desideria potius exprimi quam petitiones; neque vero opus est ut singulis sensus proprios atque distinctos assignemus. Nam et Lucas videtur tertium omisisse ut prioribus comprehensum.

10. Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου, *adveniat Regnum tuum*] Non puto eum esse sensum quem nonnulli arbitrati sunt, quasi rogare iubeamur ut gloria vitae alterius quam celerrime adveniat. Quare magis est ut hoc pertineat ad eius doctrinae quae tum Iudaeam duntaxat personabat propagationem per omnes terras. Vide Luc. 9: 27.

Γενηθήτω τὸ θέλημά σου, *fiat voluntas tua*] *In hoc dicto ad sufferentiam nos ipsos admonemus*, inquit Tertullianus. Neque aliter hoc loquendi genus usurpatur infra 26: 42, Luc. 22: 42, Act. 21: 14. Sed quae sequitur comparatio videtur ad imperia potius Divina pertinere, non excluso tamen eo quem dixi sensu. Nam et hoc inter imperata est, ut quicquid de nobis statuerit Divina providentia aequo feramus animo. Quo pertinet Cleanthis illud sane intellectum:

Ἄγε δή με, ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη,
Ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμι διατεταγμένος·
Ὡς ἕψομαί γ' ἄοκνος· ἢν δέ γε μὴ θέλω,
Κακὸς γενόμενος, οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.
[*Duc me, Parens celsique dominator poli,*
Quocunque placuit, nulla parendi mora est,
Assum impiger, fac nolle; comitabor gemens,
Malusque patiar quod pati licuit bono.]

Et vetus Epigramma:

Εἰ τὸ φέρον σε φέρει φέρε καὶ φέρου· εἰ δ' ἀγανακτῇς,
Καὶ σαυτὸν λυπῇς καὶ τὸ φέρον σε φέρει.
[*Si quem Fors agat atque ferat, ferat atque feratur;*
Sin minus, et feret hunc Fors magis et feriet.]

Ex Pythagorae scito quod apud Iamblichum: Ἐπιστημονικὸν τοῦτο καὶ εὔγνωμον, τὸ μὴ ἀντιτείνειν καὶ προσαγανακτεῖν τῇ θείᾳ προνοίᾳ [*Sapientiae et aequitatis est, non contra-*

na-

iti nec irasci Divinae providentiae]. Vide si lubet Hi-
clem ad illa Aurei carminis:

"Ὅσσα τε δαιμονίαισι τύχαις βροτοὶ ἄλγε' ἔχουσιν,
"Ἣν ἂν μοῖραν ἔχῃς πρᾴως φέρε, μηδ' ἀγανάκτει.
[*Qui veniunt homini Divina lege dolores*
Fer placide atque ira sine, quae tibi contigerit pars.]

nam sententiam Christiane admodum hunc in modum plicat Clemens Alexandrinus: Εἴη δ' ἂν ἡ τελεία εἰρηνο-ίησις, ἡ ἐπὶ παντὶ τῷ συμβαίνοντι ἄτρεπτον φυλάσσουσα τὸ ηνικὸν, ἁγίαν τε καὶ καλὴν τὴν διοίκησιν λέγουσα, ἐν ἐπι-μῃ θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων καθεςῶσα, δι' ἧς τὰς τῷ κόσμῳ ἐναντιότητας ἁρμονίαν κτίσεως καλλίςην λογίζεται. *Perfecta pax animi est quae circa omne quod evenit mutabilem servat tranquillitatem, sanctam et pulchram cens talium dispensationem, ipsa firmam se tenens in titia Divinarum Humanarumque rerum; unde quae mundo inter se sunt contraria pulcherrimum rerum iditarum consensum esse iudicat*].

Ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, *sicut in coelo, etiam in ra*] Hic καὶ vim habet ἀποδόσεως [*redditionis in com-ratione*]. Plutarchus similiter: Ὡς γὰρ δι' ὁμίχλης τὰ ματα, καὶ δι' ὀργῆς τὰ πράγματα μείζονα φαίνεται [*Sicut pora per nebulam, etiam per iram res maiores quam sunt parent*]. Illud ἐν οὐρανῷ possis de astrorum cursu in-pretari: ἐν οὐρανῷ οὐδὲν ἀπὸ αὐτομάτου γίνεται [*in lo nihil casu fit*] inquit Aristoteles. Sic et Lucanus ientis animum ita se habere ait:

——— *Sicut coelestia semper*
Inconcussa suo volvuntur sidera motu.

d probabilius est de Angelis sensisse Christum, et spe-tum ab eo Psalmi locum 103: 21. *Laudate Dominum nes exercitus eius, ministri facientes voluntatem eius.* Clementis Constitutionibus lib. II cap. 56: "Ὅπως ὡς αἱ υράνιοι φύσεις τῶν ἀσωμάτων δυνάμεων πᾶσαι δοξάζουσι Θεὸν συμφώνως, οὕτως καὶ τῆς γῆς πάντες οἱ ἄνθρωποι ἑνὶ ςόματι καὶ μιᾷ διαθέσει δοξάσωσι τὸν μόνον Θεόν [*Ut, omodo supercoelestes Naturae virtutum incorporalium nes concorditer Deum celebrant, ita et qui in terra t homines omnes uno ore parique proposito unum ce-rent Deum*].

11. *Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον, panem nostrum crastinum*] Longe aliud est *περιούσιος* [*eximius*], quod LXX usurpant ut significent *τὸν ἐξαίρετον*, aliud *ἐπιούσιος*, quod eo sensu nec invenitur neque reduci potest ad eius significationis originem. Quod si voluisset Scriptor dicere *supersubstantialem*, dicendum fuerat *ὑπερουσιώδη*. Nam *ἐπὶ* in compositionibus eam significationem non habet. Adde quod *ἐπὶ* in compositione ante vocalem literam *ι* solet amittere. Itaque Platonici *ἐπουσιώδεις* vocant *quod substantiae accedit;* quae significatio praeterea hic locum non habet. Denique non patiuntur Grammaticae leges *ἐπιούσιος* aliunde deduci quam a nomine *ἐπιοῦσα* quod *diem posterum* significat, ut monuit Ambrosius. Hoc vero quanquam per se sufficere debebat, accedit tamen maximi ponderis argumentum ab Hieronymi testimonio, qui consultum a se scribit Hebraeum Euangelii codicem quo Nazareni, hoc est Christiani *Ἑβραΐζοντες* [*Hebraea utentes lingua*], utebantur; atque ibi reperisse מחר, id autem est *crastinum*. Quare *περὶ τῆς λέξεως* [*de vocabulo*] amplius quaeri non debet: tantum restat videamus quae sit *τῆς λέξεως* significatio. Mirum enim videtur, cum Christus vetet nos esse sollicitos pro crastino die, hic tamen ab eo praecipi ut oremus dari nobis panem crastinum. Sed sciendum est, quod et ab Hieronymo est annotatum, מחר Hebraeis non significare stricte *diem proxime sequentem*, sed *quicquid futurum imminet*, ut Exod. 13: 14, ubi LXX habent *μετὰ ταῦτα* [*post ea*], Exod. 19: 10, Ios. 4: 6, Prov. 27: 1, quibus locis servarunt LXX vocem *αὔριον* [*cras*], quo sensu et *αὔριον* usurpat Luc. 13: 33. Sicut et exactum tempus Hebraeis dicitur תמול, id est, *heri*. Est ergo *ἐπιοῦσα* omne id spatium vitae quod nobis emetiendum restat, incognitum nobis, Deo cognitum; *ἐπιούσιον* id quod ei spatio sufficit. Multi homines incerti quamdiu sint victuri, senectutis exspectationem avaritiae praetendunt: et saepe quo minus est viae eo plus quaeritur viatici. Vult Christus nos Deo hanc curam committere, ut quantum vitae superest tantum nobis suppeditet alimentorum: neque ita tamen ut poscamus id omne nobis repraesentari. Est enim valde illiberalis animi non credere Deo nisi sub pignore. Quem-

Quemadmodum igitur hi qui in potestate sunt patris familias et boni et sapientis et divitis, non postulabunt ut alimenta in multos annos sibi in cellis recondere liceat, sed contenti erunt dimenso diurno: ita et Christus abesse vult a nostris precibus tum diffidentiam, tum aviditatem. Est ergo hic σήμερον positum pro eo quod pleniore Hebraismo diceretur σήμερον σήμερον, id est Luca interprete τὸ καθ' ἡμέραν [*in diem*], unde Graece καθημερόβιοι, et ἐφ' ἡμέραν ἔχοντες apud Herodotum libro I, Latine *in diem viventes* dicuntur, qui contenti sunt praesentibus neque in longum sunt solliciti. Sic et τροφὴν καθ' ἡμέραν [*victum in diem*] dixerunt Alexis et Antiphanes: quod Graeci interpretes Dan. 1: 5, dixere τὸ τῆς ἡμέρας καθ' ἡμέραν [*id quod est de die in diem*]. Ita optime cum hac prece consentit praeceptum Christi quod infra est commate 34. Omninoque idem nobis aperte significat quod quotidiana Mannae largitione olim adumbrabatur, quam historiam ita explicat Philo ut vice interpretis sit ad haec Christi verba: *Καλὸν τὸ ἐνάριθμον καὶ μεμετρημένον, καὶ μὴ τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς λαμβάνειν πλεονεξίᾳ· τοῦτό γε τὸ τῆς ἡμέρας οὖν εἰς ἡμέραν συναγαγέτω ἡ ψυχή, ἵνα μὴ ἑαυτὴν φύλακα τῶν ἀγαθῶν ἀλλὰ τὸν φιλόδωρον Θεὸν ἀποφήνῃ* [*Pulchrum est id quod in numero ac mensura consistit, et non ex aviditate id sumere quod modum excedit. Congreget ergo anima id quod de die in diem sufficit, neque se bonorum custodem censeat sed liberalissimum Deum*]. *Ἄρτον* autem dixit Interpres, ut exprimeret Hebraeum לחם, aut Syriacum לחמא, quod *cibum* significat, et peculiariter pro ciborum praecipuo, pane, usurpatur: imo, si Athenaeo credimus, Syri panem non merum sed cum lacte, oleo et sale λάχμαν vocabant. Sic et apud Scriptorem Tobiae 1: 10, ἄρτοι τῶν ἐθνῶν sunt *edulia Gentium*; quod patebit si conferas locum Dan. 1: 8. Laxior usus ad ea omnia protulit:

Queis humana sibi doleat natura negatis.

διατροφὰς scilicet καὶ σκεπάσματα [*alimenta et tegumenta*], ut Paulus loquitur 1 Tim. 6: 8, aut ut Philo, loco quem infra adducemus, τροφὴν καὶ σκέπην [*alimentum et tegumentum*]. Aeque late patet in Iure Romano *victus* appellatio: comprehendit enim ea *quae esui, po-*

tui, cultuique corporis, quaeque ad vivendum hominibus sunt necessaria, ut tradidit Ulpianus. Haec sola nobis in Novo Federe Deus promittit, haec sola vult a nobis postulari, neque in antecessum, sed quantum in praesens sat est; cum contra Iudaei a Magistris suis didicissent magnam sibi opulentiam precari. Sensus ergo horum verborum est: Da nobis Deus victum qui aetati in posterum agendae sufficiat: et si non placet dare annua, da menstrua, da saltem diurna: quidquid ultra dabitur, id erit adventitium.

12. *Ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, dimitte nobis debita nostra*] Sicut Graeci dicunt ὀφείλειν δίκην, Latini *poenas debere:* ita Hebraeis חוב, quod *debitorem* significat, etiam de his qui poenae obstricti sunt usurpari solet, ut Dan. 1: 10. Tertullianus: *Debitum in Scripturis delicti figura est, quod perinde iudicio debeatur et ab eo exigatur.* Quod ergo hic Interpres κατὰ λέξιν [*verbo tenus*] expressit, id Ἑλληνικώτερον [*magis Graece*] reddidit Lucas cum posuit ἁμαρτίας [*peccata*]. Sic idem Lucas in eodem sensu, cum prius dixisset ἁμαρτωλοὺς [*peccatores*] mox posuit ὀφειλέτας [*debitores*] 13: 2, 4. ἀφιέναι autem ἁμαρτίας [*dimittere peccata*] opponitur τῷ κρατεῖν [verbo *retinere*]. Est autem utrumque dictum de Deo ἀνθρωποπαθῶς [*more humano*], quia homines ea quae bona fide condonant quasi ex animo proiiciunt; quae condonare nolunt, asservant. Similia sunt *non meminisse delictorum*, Ier. 31: 34, et *in mare delicta proiicere*, Mich. 7: 19. Sic etiam inter se opponuntur χαρίζεσθαι [*condonare*] et λογίζεσθαι [*imputare*], sed apertius ducta tralatione a debitis pecuniariis. Servius ad XI Aeneidos: *Luisti supplicium. Iuris verbo usus est: Luere enim debitor dicitur qui pecuniam solvit; quod hic usurpatum est in capitalem poenam.* Illud *usurpatum est.* Servio significat λελεγμένον καταχρηστικῶς [*dictum per abusionem*]. Errasse autem eos qui putarunt, hanc precationem ad paucos duntaxat pertinere, aut debere quidem omnes ita precari, non tamen pro se, sed a quibusdam hoc pronuntiari etiam pro se humiliter non veraciter, docet nos optimus Christi interpres Iohannes Epistola I cap. 1: 8, 9, 10. Ex quo simul intelligimus

hanc

hanc orationem non esse alligandam ad sola peccata quae fiunt post datum nomen Christo, sive illa sint ἁμαρτίαι [*peccata*] stricte nominatae, de quibus Iohannes pergit agere 2: 1, sive πταίσματα [*offensiones*], de quibus agit Iacobus 3: 2, et quae potissimum hic respici putat Augustinus, sed referendam insuper ad delicta quae Christianam professionem antecesserunt. Quanquam enim Novi Federis ictu promisit Deus veniam antecedentium delictorum omnibus in Christum credituris, eamque etiam in animis credentium obsignat, noluit tamen eius iuris effectum (id est, liberationem a morte, cui connexa est gloria aeterna) nobis contingere, nisi hac Lege ut dum in hac vita sumus demisse semper coram Deo agnoscamus etiam exacti temporis culpam, et in petenda eo quoque nomine venia perseveremus. Vide Paulum 1 Cor. 15: 9 et 1 Tim. 1: 15, ubi se vocat τῶν ἁμαρτωλῶν πρῶτον [*primum inter peccatores*], quae pia est ὑπερβολὴ [*superiectio*], qualis et illa in Epistola Barnabae: Ὅτι ἐξελέξατο τοὺς ἰδίους ἀποςόλους Ἰησοῦς ὄντας ὑπὲρ πᾶσαν ἀνομίαν ἀνομωτέρους [*Quia elegit Iesus Apostolos suos cum essent super omnem improbitatem improbi*]. Utilia ad hanc rem habet Chrysostomus oratione De Statuis duodecima. Hieronymus III dialogo contra Pelagium: *De Baptismatis fonte surgentes et regenerati in Dominum Salvatorem, impleto illo quod de se scriptum est: Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata, statim in prima corporis communione Christi dicunt: Et dimitte nobis debita nostra, quae illis fuerant in Christi confessione dimissa.*

Ὡς καὶ ἡμεῖς, *sicut et nos*] Sensus est: Non frustra hanc indulgentiam a te speramus, cum nos filii tui tuo exemplo simili indulgentia homines alios prosequamur, id est, laesi vindictam nec facto nec voto expetamus. Idem plane Lucas voluit cum dixit: Καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν [*Siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis*]. Sunt autem ὀφειλέται sive οἱ ὀφείλοντες *qui in nos deliquerunt*. Sensus idem apud sapientem Hebraeum Eccles. 28: 2: Ἄφες τὸ ἀδίκημα τῷ πλησίον, καὶ τότε δεηθέντος σου αἱ ἁμαρτίαι σου λυθήσονται [*Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur*], ubi et quae sequuntur vide.

13. *Μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, ne nos inducas in tentationem*] Frequens Hebraeis אל תביאנו ליד נסיון. Non hic sensus est, ne Deus nos permittat πειρασμοῖς περιπίπτειν [*obiici tentationibus*], quae communis sors est Christianorum omnium, ac maxime eorum qui plurimum in Christi doctrina profecerunt; Iac. 1: 2, 3, sed, ne nos sinat oneri succumbere. Nam בא בנסה εἰσέρχεσθαι εἰς πειρασμὸν [*intrare in tentationem*] significat ita involvi illecebris aut periculis ut non extriceris, infra 26: 41, Marc. 14: 38, Luc. 22: 40, 46. Plenius interdum dicunt Hebraei, *intrare in manum tentationis*, hoc est in potestatem eius ac dominium. Hinc in forma Hiphil dicitur Hebraice הביא. Syris (nam illis על valet בוא) אעל, quod et hic reperitur et apud Danielem σὺν ἐπενθέσει [*cum insertione literae*] הנעל, *facere intrare*, quod Hellenistae vertunt εἰσφέρειν. Certum autem est et ab Hebraeis traditum, verba eius formae quam Hiphil vocant non semper significare actum καταφατικὸν [*affirmativum*], sed saepe ἀποφατικὸν [*negativum*] duntaxat, saepe etiam non causam sed occasionem ea flexione indicari. Deus non tantum homines impios vitiis suis saepe relinquit, παραδιδοὺς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν [*permittens eos cupiditatibus animorum eorum*], ut loquitur Paulus Rom. 1: 24, sed eos etiam qui viribus suis plus aequo confidunt ad tempus velut abdicat. Hoc iubemur agnitione infirmitatis nostrae et assiduis precibus antevertere, ut apparet iis quos iam adduximus locis. Cyprianus ostendit in veteri Latina versione fuisse, nisi forte ipse ita vertit, *ne nos patiaris induci*.

Ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, sed libera nos a malo] Hebraei dicunt תצילנו מכל רע. Membrum hoc priori opponitur. Ita Petrus dixit ῥύειν ἐκ πειρασμοῦ [*eripere de tentatione*], et Iohannes τηρεῖν ἐκ τῆς ὥρας τοῦ πειρασμοῦ [*servare ex hora tentationis*] Apoc. 3: 10. Facit autem hoc Deus, aut explorationem clementer temperando ad eas quas accepimus vires, aut vires etiam augendo arcanis et ineffabilibus auxiliis. Nam utroque modo praestatur τὸ δύνασθαι ἡμᾶς ὑπενεγκεῖν [*ut possimus sustinere*] ut loquitur Paulus 1 Cor. 10: 13. Utrum autem sit potius, paternae Dei providentiae permittendum est. Quam-

qua[illegible]

quam vero multi πειρασμοὶ [*tentationes*] sint ἐκ τῆς ἐπιθυμίας [*ex concupiscentia*], Iac. 1: 14, multi etiam ab hostibus nostrae professionis, Luc. 8: 13, solet tamen utrumque genus τῷ πονηρῷ [*malo*], Diabolo scilicet, asscribi, quia ille miris artibus et cupiditates inflammat, et hostes instigat; unde ὁ πειράζων [*tentator*] dicitur. Ita 1 Cor. 7: 5, ὁ πειρασμὸς ἐξ ἀκρασίας [*tentatio ex incontinentia*] ad Diabolum refertur, neque minus gravioris metus incussio Luc. 22: 31. Haec quanquam vera sunt, tamen non refrager istud τοῦ πονηροῦ volenti sumere paulo generalius ab eo quod est τὸ πονηρὸν, hoc sensu nimirum, ut iubeamur precari non immunitatem ab incommodis omnibus sed animum invictum adversus tentamenta. Nam et Hebraei ita dicere solebant: *Ne nos inducas in manum tentationis, sed nos libera ab occursu mali*, ut ab aliis observatum est.

Quod sequitur: *Quoniam tuum est Regnum, potestas, et gloria in secula seculorum*, cum in vetustissimis exemplaribus Graecis non exstiterit, exstet autem et in Syriaco et in Latino contextu et in Arabico, argumentum nobis exhibet unde discamus non Arabicam tantum et Latinam versionem, sed et Syriacam factam postquam Ecclesiarum λειτουργία [*formula sacrarum actionum*] formam certam acceperat. Nam ex Graeciae consuetudine coepta est asscribi haec δοξολογία [*concelebratio*] magis quam pars precationis, Latinis omnibus ignora.

Sed et *Amen* apparet non a Christo additum, sed ex more veteris Ecclesiae publicam vocum recitationem ea voce approbantis. Id enim factitasse Christianos veteres docemur 1 Cor. 14: 16, idque, ut multa, exemplo Hebraeorum, Deut. 27: 15 et deinceps. Sic et in Latinis codicibus ex Rituali Latino multa adhaeserunt, ut infra 21: 17, haec verba, *et docebat eos de Regno Dei*, Luc. 18: 13, *Amen*, in quibusdam exemplaribus.

14. Ἐὰν γὰρ ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ παραπτώματα αὐτῶν, *si enim demiseritis hominibus peccata eorum*] Est quidem ubi παράπτωμα oppositum τῇ ἁμαρτίᾳ [*peccato*] significet delicta minora, ut Eph. 2: 1. Sed et hoc loco, quod praecedentia quoque evincunt, et alibi, ut Rom. 4: 25, Col. 2: 13, omnia delictorum genera complectitur.

Docet hic Christus, sicut Regnum coeleste, ita eam quae Regnum praecedit peccatorum indulgentiam, non patere nobis nisi sub conditione novae obedientiae, cuius pars magna sit lenitas in condonandis iniuriis. Non vetat Christus παιδείαν καὶ νουθεσίαν [*institutionem et castigationem*] quam parentes liberis, imo et alii aliis debent; neque, ut supra ostendimus, iudiciorum leges tollit, quanquam certum est in illis etiam exercendis clementiam requiri; sed vult nos ab ultione animo esse alieno, ita ut eam nec exigamus ipsi, nec a iudice, imo ne a Deo quidem postulemus; sed, ut modo dicebat, benefaciamus iis qui nos laeserunt. Beneficium autem est etiam precibus ipsos apud Deum adiuvare. Neque vero, ut quidam putant, praestandum hoc est iis solis qui poenitentiam factis testantur, sed illis etiam qui errore quodam in nos saeviunt, Christi exemplo Luc. 23: 34. Illi vero qui maligno animi proposito inexcusabiliter peccant, Deo permittendi sunt, Rom. 12: 19. Danda autem est opera ut delicta aliorum quam benignissime interpretemur, praesertim quae in nos sunt commissa, cum alioqui in partem sequiorem nimium sua sponte provergat dolens animus. — Est autem haec etiam Christi sententia ex veterum Hebraeorum placitis: quod et apud Thalmudicos legitur et apud sapientem Hebraeum Eccles. 28: 3—5. Ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ συντηρεῖ ὀργὴν, καὶ παρὰ Κυρίου ζητεῖ ἴασιν· καὶ ἐπ᾽ ἄνθρωπον ὅμοιον αὐτῷ οὐκ ἔχει ἔλεον, καὶ περὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ δεῖται· αὐτὸς σάρξ ὢν διατηρεῖ μῆνιν, καὶ τίς ἐξιλάσεται τὰς ἁμαρτίας αὐτοῦ; [*Homo homini reservat iram, et a Deo quaerit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur. Ipse, cum caro sit, reservat iram, et quis exorabit pro delictis eius?*] Ubi tacite ex nomine *hominis* et *similis* et *carnis* datur intelligi Deus tanto maior, sicut hic ex voce *Patris coelestis* intelligitur oppositum terrestris et fratris. Senecae est, *Ut absolvaris, ignosce*: et in Tragoedia:

Det ille veniam facile, cui venia est opus.

16. Ὅταν δὲ νηστεύητε, *cum autem ieiunatis*] Proprie agit hic Christus non de communibus populi ieiuniis quale erat a Deo praeceptum solenne unum circa dies

Sa

Sacri piacularis, et tria alia addita Exsilii temporibus, sed de his quae privatim sibi quisque indicebat, sive per continuos aliquot dies extra ordinem, sive perpetuo quodam more statis diebus, nimirum Lunae et Iovis, ut plerique Pharisaei, quorum qui videri volebant religiosiores etiam Martis et Veneris diem adiungebant. Erat autem severa admodum Pharisaeorum ἀπαςία [*inedia*], nam cibum plane nullum sumebant ante solem occasum, et tunc quoque non nisi oleribus aut uvis vescebantur. Sed et in cubitu erant in se duriores: neque enim tantum ab uxoribus secubabant, sed alii servabant χαμευνίας [*humi cubationes*], alii, Epiphanio teste, etiam spinas sibi substernebant quominus conquiescerent. Christus ut non improbat ieiunii exercitationem, ita eos hic notat qui per talia famam sanctimoniae aucupabantur. Quod praecipue in Pharisaeos convenit, qui nomen etiam inde acceperant, quod non contenti implere ritus Lege praeceptos, aliis severioribus institutis a reliqua plebe *discernerentur*. Vide Luc. 18: 12.

Σκυθρωποί] *Tristes:* bene Vulgata versio. Vide Luc. 24: 17. Adde Graecos interpretes Gen. 40: 7, Dan. 1: 10.

Ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα, deformant enim facies suas] *Deformant:* quomodo faciem neglectam *perire* dixit Ovidius. Citantur ex Euploea Antiphanis apud Stobaeum hi versus:

> Ὥσπερ πονηρῷ ζωγράφῳ τὰ χρώματα
> Πρώτιςον ἀφανίζουσιν ἐκ τοῦ σώματος.

sed legi debet Πόνηρα δ' ὥσπερ ζωγράφοι. Sensus est:

> *At res adversae, quomodo pictor solet,*
> *Primum colorem delinunt de corpore.*

Sic et fuco ac pigmentis ἀφανίζεσθαι τὰς ὄψεις [*deformari faciem*] ait Nicostratus. Caeterum Christus hic non tam agit de macie et pallore, quae inediam naturaliter comitantur, quam de affectata quadam vultus tristitia et gestibus, quales describit graphice Ier. 58: 5. Mirari hoc in Pharisaeis eo minus debemus, quod iidem et spinas inseruerint vestibus suis ut sibi sanguinem elicerent, et capita alliserint parietibus.

17. *Ἄλειψαί σου τὴν κεφαλὴν, καὶ τὸ πρόσωπόν σου νίψαι, unge caput tuum, et faciem tuam lava*] Hoc est, praeter

 vul-

vultum et habitum quotidianum. Nam et lavari et ungi solebant Iudaei eorumque vicini extra luctus tempora; praecipue vero quoties solito erant laetiores, ut diebus festis, Ruth 3: 3, 2 Sam. 12: 20, 14: 2, 2 Reg. 4: 2, Esth. 2: 12, ad unctionem autem plerique utebantur oleo, Ps. 104: 15: (sic apud Homerum Odyss. ζ:

Χρῶτ᾽ ἀπονίπτεσθαι καὶ ἀποχρίεσθαι ἀλοιφῇ.

[*Corpora mundari lymphis oleoque perungi.*]

Scholiastes *ἀλοιφῇ* interpretatur *ἐλαίῳ* [*oleo*]) nitidiores aliis etiam unguentis. Vide Iudithae historiam 10: 3 et 16: 8. Christiani quoque veteres unguentis non in totum abstinuerunt: qua de re videndus Clemens Paedagogo II cap. 18, ubi *τὸ μυραλοιφεῖν* [*pigmentari*] improbat, *τὸ δὲ χρίεσθαι τῷ μύρῳ* [*ungi unguento*] ostendit usus honestos interdum habere, etiam nobile illud Aristippi dictum referens: *Pereant cinaedi qui rem tam bonam infamarunt.* Sed rerum eiusmodi honestas aut turpitudo non tam ex ipsarum natura quam ex gentium moribus aestimanda est. Valeat hic illud:

Νόμοις ἕπεσθαι τοῖσιν ἐγχώροις καλόν.

[*Leges honestum patrias semper sequi.*]

Iustinus, aut quisquis est Scriptor vetustissimus ad Diognetum, Christianos ait vivere ubique terrarum inter Graecos et Barbaros *τοῖς ἐγχωρίοις ἔθεσιν ἀκολουθοῦντας ἐν τῇ ἐσθῆτι καὶ διαίτῃ καὶ τῷ λοιπῷ βίῳ* [*utentes moribus locorum tam in veste ac victu quam in vita caetera*].

18. *Ἀποδώσει σοι, reddet tibi*] Habet ergo ieiunium suam quoque mercedem, nimirum non seorsim spectatum (nam *σωματικὴ γυμνασία* [*corporalis exercitatio*] *exiguum per se usum habet*) sed quatenus pietati inservit, quae *promissiones habet vitae praesentis et futurae*, 1 Tim. 4: 8. Usum ieiunii non male explicat Salvianus libro I de Divina providentia: *Non imprudenter quidam hoc loco dixit, quod si repugnante corporis fortitudine quae optamus facere non possumus, infirmandum nobis sit carne ut optata faciamus. Infirmitas enim carnis*, inquit, *vigorem mentis exacuit, ut affectis artubus vires corporum in virtutes transferantur animorum, non turpibus flammis medullae aestuent, non male sanam mentem latentia incentiva succendant, non vagi sensus per va-*

varia oblectamenta lasciviant, sed sola exsultet anima, laeta corpore affecto, quasi adversario subiugato.

'Εν φανερῷ, in aperto] Quod pauciores codices hic addunt, ex locis superioribus repetitum est.

19. *Μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς, nolite congerere vobis thesauros*] Putavit Coelestius hoc et aliis Euangelii locis omnem rerum non necessariarum possessionem, quas divitias vocamus, prohiberi. Quod valide refutatur Pauli verbis 1 Tim. 6: 17. Sed in alteram quoque partem errari potest, ut si hic aut eos tantum putemus notari qui genium suum fraudantes auro defosso incubant, aut qui per vim dolumque malum lucra sectantur, quorum illud vitium φειδωλίαν [*tenacitatem*], hoc πλεονεξίαν [*fraudationem aliorum*] distincte Graeci vocant: cum hic potius notetur vitium τῆς φιλαργυρίας, *pecuniae studium*, ut Sallustius loquitur, quod commatis 25 et sequentium cum his antecedentibus connexio manifestum facit. Hi sunt quos Paulus iam dicta Epistola 6: 8, vocat τοὺς βουλομένους πλουτεῖν [*qui volunt divites fieri*], quosque ait illaqueari multis irritamentis, ac tandem in exitium solere demergi; ubi βούλεσθαι ita ferme sumitur quomodo βούλεσθαι τὰ τῶν Συρακουσίων [*velle ea quae sunt Syracusanorum*] dicuntur οἱ τὰ αὐτῶν φρονοῦντες [*qui ipsis student*]. Est quidem vox θησαυρίζειν per se media, ita ut et de factis laudabilibus 1 Cor. 16: 2, aliisque non in vitio positis usurpetur 2 Cor. 12: 14. Sed ei voci accidit quod aliis pluribus, ut interdum πρᾶξιν [*actionem*], interdum vero, ut hic, τὴν ἕξιν [*permanentem animi affectionem*] significet, cui coniuncta esse solet tenacitas erogandae in alienos usus pecuniae. Nam qui hoc agunt ut quamplurimum habeant, aut id faciunt ut ipsi lautius mollius ac superbius vivant, aut nuda possessione delectantur. Utrumque autem obstat beneficentiae. Eodem sensu sumitur τὸ θησαυρίζειν Luc. 12: 21 et Iac. 5: 3.

Ὅπου σὴς καὶ βρῶσις ἀφανίζει, ubi aerugo et tinea demolitur] Hebraei אכל, quod Graeco βρώσκειν [*comedere*] respondet, usurpant de quavis consumtione, etiam per ignem aut gladium. Hinc factum ut id praecipue quod rem intus depascitur diceretur אכלה, quod hic posuit Syrus, id est, βρῶσις, unde σητόβρωτα *quae a tineis depa-*

pascuntur Iac. 5: 2. Hoc vero loco cum σὴς specialiter nominetur, generis vox ad omnes alias eiusdem generis species referenda est, ut id quod Graeci ἰὸν, Latini pro materiae diversitate *aeruginem* aut *ferruginem* vocant. Nam quod σὴς est in vestibus hoc ἰὸς sive βρῶσις est in metallis: unde ista frequenter coniungi solent, ut apud Menandrum:

Καὶ πάντα τὰ λυμαινόμεν' ἔνεςιν ἔνδοθεν,
Οἷον ὁ μὲν ἰὸς τὸν σίδηρον ἂν σκοπῇς,
Τὸ δ' ἱμάτιον οἱ σῆτες, ἡ δὲ θρὶψ ξύλον.
[*Et rei cuiusque pernicies intus latet:*
Hoc est ferrugo ferro, si consideres,
Ligno teredo, tineaeque vestibus.]

Quin et ipse Iacobus Apostolus haud dubie haec Christi verba respiciens: *Τὰ ἱμάτια ὑμῶν σητόβρωτα γέγονεν· ὁ χρυσὸς ὑμῶν καὶ ὁ ἄργυρος κατίωται* [*Vestimenta vestra a tineis comesta sunt: aurum et argentum vestrum sunt aeruginosa*], dicto capite 5: 2, 3. *Ἀφανίζειν* [*demoliri*] hic est quod Menandro λυμαίνεσθαι, Lucae διαφθείρειν.

Καὶ ὅπου κλέπται διορύσσουσι καὶ κλέπτουσιν, et ubi fures perfodiunt et furantur] Simili argumento Martialis homines ad liberalitatem invitat: nam cum enumerasset casus quibus subiecta esse solent quae possidemus, atque inter caetera dixisset quod huic loco apprime convenit:

Callidus effracta nummos fur auferet arca,

tandem concludit:

Quas dederis, solas semper habebis opes.

In Menandri etiam Dyscolo filius patrem ad beneficentiam hortatur ex eadem possessionum instabilitate:

Περὶ χρημάτων λαλεῖς, ἀβεβαίου πράγματος.
Εἰ μὲν γὰρ οἶσθα ταῦτα παραμένοντά σοι
Εἰς πάντα τὸν χρόνον, φύλαττε μηδένι
Ἄλλῳ μεταδιδούς· αὐτὸς ὢν δὲ κύριος
Εἰ μηδ' ἑαυτοῦ, τῆς τύχης ἅπαντ' ἔχεις,
Τί ἂν φθονοίης, ὦ πάτερ, τούτων τινί;
Αὐτὴ γὰρ ἄλλῳ τυχὸν ἀναξίῳ τινὶ
Παρελομένη σου πάντα προσθήσει πάλιν.
Διόπερ ἐγώ σε φημὶ δεῖν, ὅσον χρόνον
Εἶ κύριος, χρῆσθαί σε γενναίως, πάτερ,
Αὐτὸν ἐπικουρεῖν πᾶσιν, εὐπόρους ποιεῖν
Ὡς ἂν δύνῃ πλείςους διὰ σαυτοῦ τῶν φίλων.

[Di-

[Divitias mihi commemoras, rem fluxa fide:
Quas si perennaturas es certus tibi,
Non intercedo quo minus custodias,
Nec quicquam partiaris: sin nec tui
Es ipse dominus, quaeque habes sibi vindicat
Fortuna, cur ista aliis invideas, pater?
Atque illa, ut levis est, iam tuis pecuniis
Indigniorem forte munerabitur.
Quare, me si audis, dum te pro domino geris;
Mi pater, uteris illis liberaliter,
Opem feres pauperibus, et quantos potes
Amicos opulentabis ex opibus tuis.
Laus haec perpetua, et siquid eveniat secus,
Idem exspectabis quod tute ante feceris.]

de quae iam ex Xenophonte adferemus.. Rabirius di- : *Hoc habeo, quodcunque dedi.* Seneca De vita bea- : *Nihil magis possidere me credam quam bene donata.* 20. Θησαυρίζετε δὲ ὑμῖν θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ, *conge- s autem vobis thesauros in coelo*] Οὐρανὸν hic et is aliquot in locis dixit quod frequentius οὐρανούς. Sen- est, *apud Deum:* quomodo baptisma Iohannis dicitur sse ἐξ οὐρανοῦ, id est, a Deo, Luc. 20: 4. Penu au- a istud quod Christus recondi iubet sunt opera bona, Paulus interpretatur 1 Tim. 6: 17, 18, ut quae Deus memoria sua asservet olim nobis profutura, ut ibidem Paulo exponitur. Inter haec autem bona opera exi- um quendam locum obtinent benefacta in pauperes, ıe peculiariter θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ Christus vocat Luc. 22, sed et Tobiae Scriptor: ut appareat et hoc ex eribus esse dictis Hebraeorum. Est autem locus plane c similis apud Xenophontem De Cyri institutione libro ımo, ubi Cyrus ait longe alios a se thesauros compa- i quam a caeteris Regibus, tales nempe qui non mar- cant, nisi quod ille haec ad huius vitae praesidia, ı ad vitam meliorem refert. Verba sunt: Ὁρᾷς, ὦ ῖσε, ὡς εἰσὶ καὶ ἐμοὶ θησαυροί· ἀλλὰ σὺ μὲν κελεύεις με ἐμοὶ αὐτοὺς συλλέγοντα φθονεῖσθαί τε δι' αὐτοὺς καὶ μι- σθαι, καὶ φύλακας αὐτοῖς ἐφιστάντα μισθοφόρους, τούτοις εύειν· ἐγὼ δὲ τοὺς φίλους πλουσίους ποιῶν, τούτους μοι ίζω θησαυρούς, καὶ φύλακας ἅμα ἐμοῦ τε καὶ τῶν ἡμετέρων ἀγα-

ἀγαθῶν πιστοτέρους εἶναι, ἢ εἰ φρουροὺς μισθοφόρους ἐπεστησάμην [*Vides, Croese, esse et mihi thesauros. Tu vero suades ut eos apud me coacervans invidiam in me et odium accersam, et custodibus appositis conductitiis eos committam: ego vero amicos ditans, hos mihi thesauros existimo, et fidos magis ad mea meorumque bona custodienda quam ii quos mercede conducerem*]. Mox: Ἐγὼ δὲ ὑπηρετῶ μὲν τοῖς Θεοῖς, καὶ ὀρέγομαι ἀεὶ πλειόνων· ἐπειδὰν δὲ κτήσωμαι ἃ ἂν ἴδω περιττὰ ὄντα τῶν ἐμοὶ ἀρκούντων, τούτοις τάς τ' ἐνδείας τῶν φίλων ἐξαρκοῦμαι, καὶ πλουτίζων καὶ εὐεργετῶν ἀνθρώπους εὔνοιαν ἐξ αὐτῶν κτῶμαι καὶ φιλίαν, καὶ ἐκ τούτων καρποῦμαι ἀσφάλειαν καὶ εὔκλειαν, ἃ οὔτε κατασήπεται οὔτε ὑπερπληροῦντα λυμαίνεται [*Ego vero Diis quidem inservio, et maiora in id expeto; quae assecutus ubi ea superare video id quod mihi satis est, inde amicorum necessitatibus subvenio, et hominibus bene faciendo eosque ditando benevolentiam et amicitias mihi acquiro: et ex his consequor vitam tutam et laudem, quae neque putrescunt neque sui abundantia corrumpuntur*]. Locutio huic nostrae non dissimilis apud Philostratum de Herode Sophista: Ἐθησαύριζε τὸν πλοῦτον ἐν ταῖς τῶν μετεχόντων αὐτῷ γνώμαις [*Divitiarum thesaurum reponebat in animis eorum quos reddebat participes*].

21. Ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὑμῶν, ἐκεῖ ἔσται καὶ ἡ καρδία ὑμῶν, *ubi enim est thesaurus vester, ibi erit et cor vestrum*] Καρδία, id est, νοῦς [*animus*], ut Iustinus hunc locum profert Apologetico II. Verissimam esse hanc sententiam ostendit Aulularia Plauti. Diligenter asservare ea demum solemus quae magni facimus. Hoc ergo vult Christus, prout de rebus iudicamus, ita nos erga eas affici. Si in divitiis positam credimus felicitatem, futurum ut nihil praevertamus conquirendae pecuniae studio; sin veram virtutem solidum credimus bonum, ei nos omnem daturos operam. Et sane verum est, quod Philosophi etiam docent, ex decretis in animo conceptis sequi τὰς ὁρμὰς καὶ τὰς ἐκκλίσεις [*impetus et fugas*]. Epictetus, ut solet, nervose: Ὅπου τὸ συμφέρον ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβὲς [*Ubi utilitas, eo fertur veneratio*]. Unde etiam monent sollicitos nos esse debere ut discamus rem quamque suo pretio aestimare. Bene ergo Horatius:

Quod

———— *Quod magis ad nos*
Pertinet et nescire malum est, agitamus, utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati.

Atque alibi avaritiae Staberii hanc causam adfert:

———— *Quoad vixit credidit ingens*
Pauperiem vitium, et cavit nihil acrius, ut si
Forte minus locuples uno quadrante periret,
Ipse videretur sibi nequior.

Neque tamen excusanda sunt vitia, quia ex corruptis iudiciis nascuntur: nam, ut recte dicit Hierocles, *τὰ δεικνύμενα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ οἱ πολλοὶ οὐχ ὁρῶσι, διὰ τὸ μὴ ὀρθῶς χρῆσθαι ταῖς κοιναῖς ἐννοίαις ἃς προσέφυσεν ὁ δημιουργὸς τῷ λογικῷ γένει πρὸς ἐπίγνωσιν ἑαυτοῦ* [*quae a Deo ostenduntur multi non vident, quia non recte utuntur communibus notitiis, quas Deus insevit ratione utentibus ad sui cognitionem*]. Est ergo nostri officii *τὸν νοῦν προσέχειν* [*diligenter attendere*], et pravas illas iudicationes aut non admittere, aut admissas eiicere; quam ad rem datae nobis sunt illae *κοιναὶ ἔννοιαι* [*communes notitiae*] sive *προλήψεις* [*anticipationes*], ut ad earum trutinam minime fallacem opinationum pondera examinemus, ad quas Christus hic provocat.

22. *Ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμὸς, lucerna corporis est oculus*] Hinc oculi *φάεα* Graecis, Latinis *lumina*. Comparat autem Christus iudicium oculis, animum corpori, similitudine etiam apud Philosophos usitata. Aristoteles Topicorum I, 14: *Ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νοῦς ἐν ψυχῇ* [*Ut visus in oculo, ita in anima mens*]. Aristides: *Καὶ γὰρ οὖν ἔχει τι παραπλήσιον ὁ νοῦς τῇ ὄψει· ὡς γὰρ ἐκείνη διεφθαρμένη μὲν οὐδὲν οὐδὲ τῶν πλησιαίτατα ὁρᾷ, ὑγιὴς δὲ οὖσα μέχρις οὐρανοῦ τε καὶ ἀστέρων ἐξικνεῖται, ταυτὸ δὴ τοῦτο ἡ μὲν τοῦ φρονίμου διάνοια καὶ πάντας ἀνθρώπους ἱκανὴ γίνεται διοικεῖν, ἡ δὲ τοῦ ἄφρονος οὐδὲ ἓν σῶμα τὸ ἐκείνου δύναται φυλάττειν, οὐδὲ ἕνα οἶκον* [*Habet enim simile aliquid mens visui; sicut enim hic ubi corruptus est nihil videt etiam eorum quae sunt proxima, contra ubi sanus est ad coelum et sidera pervenit: pari modo prudentis intellectus vel omnes homines recte reget, imprudentis vero ne corpus quidem unum aut domum unam praestet incolumem*]. Plutarchus Quaestionibus Romanis: *Φῶς γάρ*

ἐστιν

ἐστιν ἡ ἐντὸς ψυχή [*Lux enim est anima interior*]. Iamblichus in Symbolis Pythagoricis: Ὁ κατὰ φρόνησιν νοῦς τῷ φωτὶ ἔοικε τῆς ψυχῆς, καὶ ἀόριστον οὖσαν αὐτὴν ὁρίζει, περιάγει τε ὥσπερ ἐκ σκότου εἰς φῶς [*Mens praedita prudentia velut lux est animae, et eam per se indefinitam definit, et quasi transfert ex tenebris in lucem*]. Proclus ad libros Platonis De Republica comparat oculis τὸ ὄμμα τῆς ψυχῆς ᾧ δὴ νοεῖ [*oculum illum animae per quem anima videt*]. Galenus similiter: Ὥσπερ ὀφθαλμὸς τῷ σώματι, τοιοῦτος ἐν τῇ ψυχῇ νοῦς [*Sicut in corpore oculus, ita se habet mens in anima*]. M. Antoninus libro XII: Ἦ τὸ μὲν τοῦ λύχνου φῶς μέχρι σβεσθῇ φαίνει, καὶ τὴν αὐγὴν οὐκ ἀποβάλλει· ἡ καὶ ἐν σοὶ ἀλήθεια καὶ δικαιοσύνη καὶ σωφροσύνη προαποσβήσεται; [*An vero lucernae lux donec extinguatur lucebit, et fulgorem suum non amittet; quae vero in te est veritas et iustitia et modestia ante evanescet?*]. Sic et de Pythagora agens Ovidius:

——— *Et quae natura negavit*
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Sed et apud Iudaeos: Philo De Mundi conditura: Ὅπερ γὰρ νοῦς ἐν ψυχῇ τοῦτ᾽ ὀφθαλμὸς ἐν σώματι [*Quod mens in anima, id in corpore oculus*]. Postea: Τὸν ἄνθρωπον, ᾧ νοῦν ἐξαίρετον ἐδωρεῖτο (ὁ Θεὸς) ψυχῇ τινα ψυχὴν, καθάπερ κόρην ἐν ὀφθαλμῷ [*Hominem dico, cui Deus eximium illud dedit mentem, quasi animae ipsius animam, qualis in oculo est pupilla*]. Clemens in Epistola ad Corinthios: Ἐκβλέψωμεν τοῖς ὄμμασι τῆς ψυχῆς εἰς τὸ μακρόθυμον αὐτοῦ βούλευμα [*Intueamur animi oculis in lenem eius voluntatem*]. Chrysostomus in prioris ad Corinthios caput IV oculo comparat τὸ τῆς διανοίας προορατικόν [*vim animi providam*].

Ἁπλοῦς, *simplex*] Ἁπλοῦς est oculus qui non fallit; cui opponitur πονηρὸς, oculus fallax. Hebraeis ille תם, hic רע.

Φωτεινὸν ἔσται, *lucidum erit*] Φωτεινὸν hic valet πεφωτισμένον *illustratum*; ut σκοτεινὸν, ἐσκοτισμένον *tenebris involutum*. Pleraeque corporis actiones ductu oculorum diriguntur: ideo corpus dicitur oculis recte se habentibus illustrari, aegrotantibus tenebris involvi. Hierocles: Ὥσπερ γὰρ ὀφθαλμῷ λημῶντι καὶ οὐ κεκαθαρμένῳ τὰ σφόδρα φωτεινὰ ἰδεῖν

ἰδεῖν οὐχ οἷόν τε, οὕτως καὶ τῇ ψυχῇ μὴ ἀρετὴν κεκτημένη τὸ τῆς ἀληθείας ἐνοπτρίσασθαι κάλλος [*Sicut enim oculus lippiens et impurus etiam maxime lucentia videre non potest, ita et animus virtute non praeditus videre nequit veritatis pulchritudinem*].

23. *Εἰ οὖν τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότός ἐςὶ, si ergo lumen quod in te est tenebrae sunt*] Iudicium, ut diximus, ὄψις τῆς διανοίας [*visus animi*] Socrati in Symposio, ὄμμα τῆς ψυχῆς [*oculus animi*] Hierocli, ὀφθαλμοὶ τῆς διανοίας [*oculi cordis*] Paulo Eph. 1: 18. Σκότος autem positum est pro σκοτεινὸν [*tenebricosum*] more Hebraeo.

Τὸ σκότος πόσον; ipsae tenebrae quantae erunt?] Quam caecos affectus necesse est sequi iudicio mentis corrupto? Plaeclare Hierocles: Ἐπεὶ οὖν τὸ δεῖξαι ὁτιοῦν δύο προσώπων ἐνεργείας εἰς αὐτὸ δραμούσας ἐμφαίνει, (πῶς γὰρ ἂν δείξαις τυφλῷ, κἂν μυριάκις προσφέρῃς ὃ βούλῃ δεῖξαι, ἢ πῶς ἂν τῷ ὁρῶντι δείξαις μηδὲν προάγων;) ἀμφότερα οὖν παρεῖναι δεῖ, τό τε παρὰ τοῦ δεικνῦντος προσαγόμενον ἀγαθὸν, καὶ τὸ παρὰ τοῦ ᾧ δείκνυται διορατικὸν ὄμμα, ἵνα ἐκεῖθεν μὲν τὸ ὁρατὸν, ἐντεῦθεν δὲ ἡ ὅρασις συνδράμῃ πρὸς τὴν τῆς δείξεως συμπλήρωσιν [*Nam ostendere aliquid significat duarum personarum efficacias in idem concurrentes, (quomodo enim ostendas caeco, etiamsi millies proferas id quod velis ostendere? aut quomodo visu praedito homini ostendas id quod non proferas?) utrumque igitur adesse oportet, tum bonum quod ab ostendente producitur, ac praeterea eius cui fit ostensio praeditus visu oculus, ut illinc res visibilis, hinc vero visio ipsa concurrat ad ostensionis effectum*].

24. *Οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν, nemo potest duobus dominis servire*] Occurrit Christus, ut mos est ipsius, obiectioni tacitae. Facile enim ὁ φιλάργυρος [*habendi studio qui flagrat*] vitio suo hunc in modum patrocinetur: Fateor intendi a me animum ad divitias parandas; verum interim nec omittam ea quae Divini sunt cultus. Respondet Christus: *Non posse quenquam duobus dominis servire; futurum enim ut aut hunc amet, illum oderit, aut certe alterum curet neglecto altero.* Intelligendum est hoc proverbium de dominis in solidum, quomodo et Iurisconsulti dicunt non posse duos esse do-

 mi-

minos eiusdem rei. Sunt autem tales domini Pietas et Φιλοχρηματία [*Habendi studium*]; utraque enim totum sibi hominem postulat. Nam si studia literarum et opum cupiditas in unam sedem convenire non possunt, ut Iuvenalis contendit:

Quis locus ingenio: nisi cum se carmine solo
Vexant, et dominis Cyrrhae Nisaeque feruntur
Pectora vestra, duas non admittentia curas?
Magnae mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitae.

Et Quintilianus: *Neque enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest, et quocunque respexerit, desinit intueri quod propositum fuerat.* Et alibi: *Mentem tantae rei intentam vacare omnibus aliis etiam culpa carentibus vitiis oportet.* Quanto minus unus idemque homo poterit et pietati se quantum opus est impendere, et simul circa divitias quaerendas servandasque perpetua sollicitudine distrahi? Aelianus libro II cap. 27: *Ἀδύνατόν ἐςι, τὸν εἰς μικρὰ οὕτω καὶ οὐδενὸς ἄξια τοσαύτην φροντίδα κατατιθέμενον, ὑπὲρ μεγάλων τινῶν σπουδάσαι· πᾶσαν γὰρ αὐτῷ τὴν διάνοιαν εἰς ἐκεῖνα ἀποτεθεῖσαν ἀνάγκη ὀλιγωρεῖν τῶν ὄντως θαυμάζεσθαι δικαίων* [*Fieri non potest ut qui curam ponit in rebus exiguis et nihili faciendis, idem magnis se rebus intendat. Nam qui cogitationem ad ista deiicit, ei necesse est negligens fiat eorum quae digna sunt consideratu*]. Epictetus: *Τοῦ ἑτέρου ἐπιμελούμενος τοῦ ἑτέρου ἀμελῆσαι πᾶσα ἀνάγκη* [*Omnino necesse est ut qui alteri impendit negligat alterum*]. Persius:

——— *Duplici in diversum scinderis hamo.*
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos.

Arrianus Epicteto IV. 2: *Οὐδεὶς γὰρ ἐπαμφοτερίζων δύναται προκόψαι* [*Nemo alternans proficere potest*].

Μαμμωνᾷ, mammonae] Vocem hanc Syriacam esse omnes testantur, et ostendit hoc etiam loco Syriaca interpretatio. Quod si Syriaca est, etiam Punica, ut nos Augustinus docet sermone XXXV De verbo Domini, ubi *lucrum* interpretatur, nam Poeni Sarra oriundi. Idem dicit Augustinus De sermone Domini in Monte libro II. Vide et Chaldaeum interpretem Ps. 44: 13. Quidam et Hebraeam

braeam arbitrantur, sed corruptam ex מטמון quod est *thesaurus*. Id si verum est, optime haec cohaerent cum superioribus, *περὶ τοῦ μὴ θησαυρίζειν* [*de non thesaurizando*]. Hesychius certe *μαμωνᾶν θησαυρὸν* [*mamonan thesaurum*] interpretatur. Apud Thalmudistas saepe vox haec occurrit: nam illis דיני ממונות sunt *iudicia pecuniarum*. Non longe abit vox Chaldaea מכמני, quam pro *thesauris* usurpat Dan. 11: 43.

25. *Διὰ τοῦτο, ideo*] Quia scilicet non potest animus simul in pietatis et divitiarum studia intendi.

Μὴ μεριμνᾶτε, ne solliciti sitis] Vox *μεριμνᾶν* et nomen *μέριμνα* [*sollicitudo*] haud dubie mediae sunt significationis, 1 Cor. 7: 32, 33, 34, 2 Cor. 11: 28, Phil. 2: 20. Neque hic per se videtur poni in partem sequiorem, quia infra sequitur: *Ἡ αὔριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς* [*Crastinus dies sollicitus erit sibi ipsi*], sed additae circumstantiae vitium denotant. Nam ista *τί φάγητε, τί πίητε, τί ἐνδύσησθε* [*quid manducetis, quid bibatis, quid induamini*], ad tempus futurum referenda sunt. Unde apparet hoc commate et infra commate 31 sollicitudinem quae modum finemque nesciat describi: quo sensu eadem vox usurpatur Phil. 4: 6 et 1 Pet. 5: 7. Lucas idem vocat *μετεωρίζεσθαι*, hoc est, *suspenso esse animo*. Res ut intelligatur, sciendum et hic Christum suo more obiectionem tacitam solvere. Esto enim, dicat aliquis, ut de supervacuis non sit laborandum:

Ἐπεὶ τάγ' ἀρκοῦνθ' ἱκανὰ τοῖσι σώφροσι.

[*Animo modesto quod sat est, semper sat est.*]

at eorum quae natura desiderat non eam habeo copiam quae in vitam omnem possit sufficere: quam ubi sum habiturus, finem faciam studio habendi. Christus hanc obiectionem ostendit procedere *ἐξ ὀλιγοπιστίας* [*ex parva fide*] infra commate 30, quia de bonitate ac potentia Divina minus quam oportet magnifice sentiamus. Nam Deum nobis et posse et velle prospicere de necessariis, etiamsi nos, obiter tantum curantes ea quae praesens usus requirit, omnem animi vim intendamus in studium pietatis: quod illustribus argumentis fulcit. Laudat alicubi Seneca animum curiosum ad corpus pertinentium, non anxie tamen.

Τί φάγητε καὶ τί πίητε, quid manducetis et quid bibatis] Assentior codicibus ita scribentibus. Graecus Poëta:

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς, πώματος θ' ὑδρηχόου;
[*Homini quid est necesse, praeterquam duo,*
Cereale germen atque limpharum latex?]

Et Latinus:

Satis est populis fluviusque Ceresque.

Neque obstat quod sequitur *τροφῆς* [*victus*] solius mentio: Nam eo nomine, ut et Latino *cibariorum*, potus etiam comprehenditur.

Οὐχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς, καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἐνδύματος; nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum?] Recte Aristoteles: *Κρεῖττον τὸ δι' ἑαυτὸ αἱρετὸν τοῦ διὰ θάτερον* [*Melius est quod propter se expetitur quam quod propter aliud*], et trita est regula: *Qui finem vult idem vult et necessaria ad finem. Πλεῖον*, hoc est יותר, *pluris faciendum: ψυχῆς* nomine hic perspicuum est vitam intelligi, *σώματος* voce corpus ipsum. Ad vitam sustentandam cibariis opus est, vestitu autem ad defendendum corpus contra coeli iniurias; Deus autem est qui vitam et corpus nobis dedit: quidni igitur dare et possit et velit bonis quae ad utrumque tuendum sunt necessaria? Confer Philonis locum De praemiis: *Πλοῦτος δὲ ὁ μὲν τῆς φύσεως εὐτελής ἐστι, τροφὴ καὶ σκέπη. Τροφὴ μὲν οὖν ἄρτος καὶ ναματιαῖον ὕδωρ, ἃ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἀνακέχυται· σκέπης δὲ διττὸν εἶδος, τὸ μὲν ἀμπεχόνη, τὸ δ' οἰκία, διὰ τὰς ἀπὸ κρυμοῦ καὶ θάλπους παρακολουθούσας ζημίας, ὧν ἑκάτερα, εἴτις ἐθελήσειε τὴν περίεργον καὶ περιττὴν ἀφελεῖν πολυτέλειαν, εὐποριστότατον* [*Divitiae naturales quidem parabiles sunt, victus et tegmen. Victus nempe panis et aqua de fonte, quae ubique terrarum patent. Tegminis vero duplex genus, vestis et habitatio, ad vitanda mala quae ab aestu et frigore imminent: quorum utrumvis paratu facile, si quis supervacuo et inutili apparatu abstineat*]. Aristides: *Ἐσθῆτος γὰρ οἶμαι καὶ σκέπης καὶ τροφῆς δεόμεθα* [*Vestitu, tegmine et victu nos puto indigere*].

26. *Τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, volatilia coeli*] Ex Hebraeo עוף השמים, Ps. 104: 12. Lucas speciem posuit *κόρακος*

κος [*corvi*], nimirum quod in animal in volucrium genere cibi sit avidissimum.

Οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας, neque congregant in horrea] Non reprehendit hic Christus omnem συγκομιδὴν [*comportationem*], non magis quam sementem et messem; sed argumentum est a maiori: Si Deus volucribus prospicit adversus inediam, quibus non est ea industria quae est hominibus, quanto magis hominibus prospiciet? Simile est argumentum infra commate 28. In Thalmudico libro Kidduschim recitatur dictum Simeonis Eleazaridae: *Vidistine unquam bestiam vel avem quae tenuerit artificium aliquod? et tamen aluntur, neque difficulter.*

Μᾶλλον διαφέρετε, pluris estis] *Μᾶλλον* hic παρέλκει [*abundat*], ut et Marc. 7: 36, 2 Cor. 7: 13. Aristoteles αἱρετώτερον μᾶλλον [*eligibilius*] et μᾶλλον κάλλιον [*pulchrius*] dixit. Sed et apud Demosthenem et Platonem similia reperias.

27. *Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν δύναται προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἕνα; quis autem vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum unum?*] Argumentum est a minori ad maius, quod nos docet Luc. 12: 25, 26. Redit Christus ad id quod dixerat περὶ ψυχῆς καὶ σώματος [*de anima et corpore*]. Haec extra controversiam pluris sunt quam mensura corporis: parum enim refert qua quis sit statura. Quod si hoc quod minus est Deus efficit citra studium nostrum, quanto magis citra anxiam nostram sollicitudinem illa potiora in nobis conservabit, ac proinde largietur quae ad conservationem eorum sunt necessaria? Vocem ἡλικίας pro *statura* reperies apud Aristotelem de Plantis I. 4 et Plutarchum De pueris instituendis, apud Lucianum de Vera narratione et de Dea Syria, apud Constantinum Porphyrogennetam capite De castro Chersonis. Sic et Luc. 2: 52.

28. *Καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ, considerate lilia agri*] *Μεταβατικῶς* [*transitive*], ut recte verterunt Syrus et Latinus interpres: ita *καταμανθάνειν τὴν φύσιν, naturam rerum considerare*, dixit Plutarchus.

29. *Σολομὼν, Salomon*] Salomonem nominat quia eius temporibus ob longam pacem et navigationem in terras auriferas res Iudaeorum fuerunt florentissimae.

Ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ, in omni gloria sua] Id est; cum augusta specie in solio eburno aurato sedens (de quo vide 2 Par. 9: 17) iura daret civibus, aut responsa externis. Vocatur enim illud solium θρόνος δόξης [*thronus gloriae*], quo alluditur infra 19: 28, 25: 31, aut etiam כסא דין, id est, *solium iudicii*. Moris autem erat apud omnes ferme populos ut Rex solio insidens trabea aurata fulgeret. Sed illam quoque trabeam Christus ait pulchritudine liliorum superari, quia nimirum ars nulla potest cum natura contendere. Simillimum huic Christi dicto est Solonis illud, qui cum Regem Croesum in throno sedentem conspicatus interrogaretur, num pulchrius ullum vidisset spectaculum, Vidi, inquit, gallos scilicet, pavones et phasianos: φυσικῷ γὰρ ἄνθει κεκόσμηνται καὶ μυρίῳ καλλίονι [*ornantur enim nativa elegantia et quidem multo pulchriore*], quod ipsum facunde ad hunc locum explicant Chrysostomus et Hieronymus.

Περιεβάλετο, coopertus est] Ita verti solet Hebraeum לבש.

30. *Χόρτον, foenum*] Ita vocat ipsum lilium. Nam Hebraei τὰ φυτὰ [*plantas*] distribuunt in duo genera, עשב et עץ, ut videre est Gen. 1: 11. Hellenistae cum voces Graecas non haberent aeque late patentes, עץ verterunt ξύλον, quo continentur arbores, frutices, et similia: עשב autem aut etiam חציר, χόρτον, quod Thalmudistae scribunt כרתי in quo genere sunt farra, herbae, flores. Hoc sensu ita δένδρον [*arbor*] et χόρτος pariter posita comprehendunt omnia ea quae terra nascuntur, Apoc. 8: 7. Et apud Iacobum idem vocatur ἄνθος et χόρτος [*flos* et *foenum*], et coniunctim ἄνθος χόρτου 1: 10, 11, quod et apud Petrum est 1 Epist. 1: 24. Qui loci desumti sunt ex eo quod est apud Esaiam 40: 6, ubi in Graeco est χόρτος, in Hebraeo חציר, quod, ut dixi, Thalmudistae voce a Graecis accepta כרתי interpretantur.

Σήμερον ὄντα, quod hodie est] Brevis duratio indicatur, ut Ps. 90: 5, 6.

Κλίβανον, clibanum] Bene Syrus תנורא, ut Gen. 15: 17, Exod. 8: 3, Lev. 2: 4, 26: 26, Ps. 21: 10. Neque enim solere semper distingui subtiliter ἰπνὸν καὶ κλίβανον [*furnum et clibanum*] recte ab aliis est annotatum. Quin et Graeci quidam κλίβανον exponunt κάμινον [*caminum*], ut Scho-

liastes Acharnensium Aristophanis, et Hebraei quidam תנור exponunt פורני, id est, *furnum*, quamquam Kimchi istud distinguit. Solebant autem furni incendi non tantum ramalibus arborum, sed et floribus postquam exaruerant, quemadmodum et paleis et lolio. Ulpianus: *Lignorum appellatione in quibusdam regionibus, ut in Aegypto, ubi arundine pro ligno utuntur et arundines et papyrum comburitur, et herbulae quaedam vel spinae vel vepres continebuntur.* Exstat in L. LV. § 5. D. de Leg. III. ubi et sarmenta, et superamenta materiarum, et vitium stirpes dicuntur venire *ligni* nomine, si voluntas non refragatur.

Ὀλιγόπιςοι, parum fidentes] קטני אמנה Hebraeis etiam vocantur hi qui cum in praesens habeant satis, futuri incertitudine crucientur. Vox autem אמנה [*fides*], quam exprimit vox *πίςεως*, praesertim in usu Hellenistarum, non semper significat persuasionem qua credimus vera esse quae dicuntur, sed saepe fiduciam quam in alicuius bonitate ac potentia ponimus, etiam si verba nulla intercesserint: quae significatio hoc loco videtur amplectenda. Quanquam enim promissiones exstant in Lege ad hanc rem pertinentes, non tamen inde argumentum ducit Christus, sed a manifestis bonitatis potentiaeque Divinae testimoniis.

32. *Πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητεῖ, haec enim omnia Gentes inquirunt*] *Πάντα* significat copiam sufficientem in omne tempus, et *ἐπιζητεῖν* [*inquirere*] vehemens quoddam studium designat.

Ὅτι χρῄζετε, vos indigere] Opus esse vobis illis rebus ad vitam et valetudinem tuendam. Sunt enim haec in genere *τῶν πῶς ἀναγκαίων* [*eorum quae certo sensu necessaria sunt*], ut loqui amant Philosophi.

33. *Ζητεῖτε δὲ πρῶτον, quaerite ergo primum*] Hoc agite, ut in Sacris dici solebat. Neque enim contentus est Deus aut perfunctoria aut dimidiata opera: sed vult in sui cultu praecipue nos esse occupatos. Nam plerique hominum:

Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
Τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.
[*Operose id agimus, agere quod non est opus;*
At in eo quod opus est, opera perfunctoria est.]

Atqui egregie dictum est a Poeta:

Nec propter vitam vivendi perdere causas.

A Platone autem: Ἐπιμελεῖσθαι χρὴ τοῦ σώματος ψυχῆς ἕνεκα ἁρμονίας [*Cura habenda corporis ad concentum animi*]. Nam certe, ut alter Poeta cecinit:

——— *Pars haec pretium corpore maius habet.*

Respicitur non obscure id quod est in historia Salomonis, cui sapientiam optanti, et sapientia data est, et ea quae non optaverat, 1 Reg. 3: 11.

Τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, Regnum Dei, et iustitiam eius] *Regnum Dei* sive Regnum coeleste, ut metam; *Iustitiam*, id est, viam qua ad Regnum perveniatur, quomodo hae voces supra ponuntur 5: 20.

Προστεθήσεται ὑμῖν, adiicientur vobis] Significanter admodum: nam προσθήκην Graeci vocant quod et ἐπίδοσιν, πρόσδομα, ἐπίμετρον, Latini *corollarium*, *accessionem*, *auctarium*, *mantissam*. Habet quidem pietas promissa utriusque vitae 1 Tim. 4: 8, Marc. 10: 30, sed principale est gloria vitae alterius: quae ad hanc vitam desiderantur accessionis habent vicem, quapropter etiam parcius solent piis contingere, quo magis illis rebus honos et pretium detrahatur. Atque adeo ipso etiam Veteris Legis tempore, sicut mercedis temporariae gratia operantibus constanter Deus praestitit eam ubertatem quam Lex pollicebatur: ita his qui Spiritus ductu ad coelestem patriam anhelabant, interna magis solatia exhibuit quam rerum exteriorum affluentiam, sine ullo ipsorum damno, cum pro vilioribus meliora acciperent, ut videre est Hebr. 11. Ac sic in illis paucis anticipata est ea dispensatio quae post Christi adventum latissime diffusa. Vidit hic nonnihil Plato cum dixit: Διττὰ δὲ ἀγαθά ἐστι, τὰ μὲν ἀνθρώπινα, τὰ δὲ θεῖα, κἂν μέν δέξηταί τις τὰ μείζονα, κτᾶται καὶ τὰ ἐλάττονα [*Duorum generum sunt bona, Humana et Divina: ac si quis maiora amplexus fuerit, acquirit et minora*]. Hebraeorum est proverbium: כל המקבל עליו עול תורה מעבירים ממנו עול מלכות ועול דרך ארץ *Qui suscipit in se iugum Legis, tollitur ab eo iugum onerum publicorum et molestia quaerendae vitae.*

34. *Εἰς τὴν αὔριον, in crastinum*] Id est, nolite curam

ram in longum promittere. Nam *crastini* appellatione, ut diximus, futurum Hebraeis continetur. Simillimum loquendi genus, quanquam in sensum alium, est apud Philetaerum Comicum:

Εἰς αὔριον δὲ μηδὲ φροντίζειν.

[*Nec quid futurum cras sit nostrum est quaerere.*]

Alludit autem hic ἡ λέξις [*dictio*] ad id quod de Manna, nobili pignore Divinae providentiae, legimus Exod. 16: 20.

Κακία, malitia] Bene olim versum fuerat citante Tertulliano *vexatio*, nam in Hebraeo proverbio quo Christus utitur est צרה, quod LXX θλίψιν solent vertere. Sic et κακότητα pro *vexatione* sumi docet Plutarchus libro De legendis Poetis. Graeci interpretes saepe ita usurpant vocem κακίας ut exprimant Hebraeum רעה, ut Amos. 3: 6. Vide, si placet, Chrysostomum Oratione adversus eos qui Daemonibus asscribunt rerum humanarum regimen.

CAPUT VII.

1. *Μὴ κρίνετε, nolite iudicare*] Melius transfertur *iudicate* quam *condemnate*, quia Lucas cum dixisset μὴ κρίνετε, addit μὴ καταδικάζετε [*nolite condemnare*]. Apparet autem ex sequentibus, non de qualibusque iudiciis Christum agere, sed de iis quae rigide exercentur, quomodo et Iacobus ἔλεος [*misericordiam*] opponit τῇ κρίσει [*iudicio*] 2: 13. Hebraei dicunt הוי דן את כל האדם לכף זכות *Iudico omnem hominem ad lancem innocentiae.* Et de Hasidaeis: *Sollicitos fuisse ut iudicarent unumquemque lance innocentiae, etiam si quem viderent peccare.*

2. *Ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν*] *Remensum vobis ibitur.* Erat autem proverbium hoc quo Christus ad res diversas utitur tritum usu Hebraeorum, quod enuntiare solebant במדה האדם מודד בה ודין לו [*In mensione hominis metietur illi*], aut brevius מדה כנגד מדה [*Mensio sicut mensio*]. Sunt et qui dicant במדה שמודת לי אמוד לך [*Qua mensura mensus es metiar tibi*]. Utuntur et Arabes. Scholiastes vetus ad illud Horatii lib. I Sat. 3: *In trutina: Idem iudicium de ipso erit, et eadem aestimatio; ἀλληγορικῶς. Nam qui ignoscit peccatis alterius, mox eandem*

dem veniam consequetur. Polybius ubi de Timaeo agit Historico in fragmentis a Valesio editis: *Πικρὸς γὰρ γεγονὼς καὶ ἀπαραίτητος ἐπιτιμητὴς τῶν πέλας, εἰκότως οὖν καὶ ὑπὸ τῶν πλησίον αὐτὸς ἀπαραιτήτου τυγχάνοι τιμωρίας* [*Cum enim censor aliorum fuerit asper et inexorabilis, merito et ipse ab aliis censuram talem feret*]. Plane autem statuo de Dei iudicio hic agi, non minus quam apud Iacobum cum dicit: *Ἡ κρίσις ἀνίλεως τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος* [*Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam*], 2: 13. Mos nimirum erat Christo, dicta de rebus humanis usurpari solita ad Divinas transferre.

3. *Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος, quid autem vides festucam*] Bene videtur mihi apud Hesychium exponi *κάρφος· κεραία ξύλου λεπτή* [*festuca, tenuis ligni particula*]. Septuaginta Senes טרף Gen. 8: 11, vertunt *κάρφος*. Quod autem Christus hic explicat proverbio inter Iudaeos frequentato (ut ex ipsorum quoque libris apparet) idem ferme Phryx ille fabulator intellectum voluit narratiuncula de duabus manticis, quarum altera alienis vitiis onusta ante oculos, altera vero nostra ferens vitia retro nos pendeat: unde illud dictum est:

Sed non videmus manticae quod in tergo est.

Libet hoc illustrare Graecorum Poetarum versibus. Menandri est:

Ἅπαντές ἐσμεν εἰς τό νουθετεῖν σοφοί·
Αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες οὐ γινώσκομεν.
[*Alios quidem culpare sapientes sumus;*
At nostra nos delicta non agnoscimus.]

Eiusdem:

Οὐδεὶς ἐφ' αὐτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ, Πάμφιλε,
Σαφῶς· ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται.
[*Quicunque foedum admittit aliquid, Pamphile,*
Non videt hoc ipse; at alius si faxit, videt.]

Alterius ignoti:

Τὸ μὲν ἀλλότριον, ἄνθρωπε βασκανώτατε,
Κακὸν ὀξυδερκεῖς, τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις.
[*Alienum vitium, quae tua est malignitas,*
Acute cernis; at tuum praetervides.]

Cicero Tusculanarum tertio: *Stultitiae proprium est aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.* Seneca: *Aliena vi-*

vitia in oculis habemus, a tergo nostra sunt. Et haec quidem proprie pertinent ad vitia quae nos cum aliis habemus communia, quaeque in aliis severe advertimus, cum ignoscamus nobis, ut apud Horatium Maenius. Certe, ut idem ille canit:

Stultus et improbus hic amor est dignusque notari.

At quorundam malignitas ultra progreditur, ut etiam quae bonam capiunt interpretationem in pessimam partem rapiat;

At nos virtutes ipsas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incrustare.

Cuius κακοήθους [*pravi moris*] exempla videre est in eadem Satyra lib. I. 3. Aut etiam, quod ulcus hîc proprie tangit Christus, ad minora aliorum vitia perspicaces, ad sua longe maiora connivent: qualis ille quem Flaccus ita obiurgat:

Cum tua praevideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius?

Et deinde ita admonet:

——— *Denique te ipsum*
Concute; num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala.

Hoc enim facto appariturum quam nos dedeceat rigida illa Censoris persona:

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Postulat, ignoscat verrucis illius: aequum est
Peccatis veniam poscentem, reddere rursus.

Aliter qui faciunt eos docet legem in se iniquam sancire. Seneca De vita beata: *Papulas observantes alienas, ipsi obsiti plurimis ulceribus.* At certe, ut idem Seneca in Tragoedia dixit, aequum est:

Det ille veniam facile cui venia est opus.

Porro ex Latinis quos citavimus versiculis apparet quod hic est βλέπειν, et apud Menandrum συνορᾶν, recte posse verti *videre* aut *cernere.*

Οὐ κατανοεῖς; non vides?] *Οὐ γινώσκεις* [*non agnoscis*], ut Menander loquitur; *παραβλέπεις*, ut alter Comicus; *praevides*, id est, *praetervides* Horatio.

5.

5. Ὑποκριτὰ, *Hypocrita*] חנף Iob. 8: 13.

Ἔκβαλε πρῶτον, *eiice primum*] Vetus est proverbium quod in Zemach David refertur sub nomine R. Tarphon sive Tryphonis.

Καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν, et tunc videbis eiicere] Non tantum, quia culpa careat oportet qui paratus est in alterum dicere, sed quia severi isti castigatores plerumque habent ulcus in animo latens, quod obstat quo minus aequa lance aliorum facta examinent, superbiam scilicet, cum contemtu aut etiam odio aliorum. Hunc morbum ubi expulerint, tum demum idonei erunt qui de aliis iudicium ferant.

6. *Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί, nolite dare sanctum canibus*] Chaldaei, Hebraei, Aegyptii vetustissimi sapientiae professores praecepta sua tradebant *ἐν συμβόλοις* [*sub signis*], ut docet Clemens Alexandrinus. Pythagoras hunc morem in Graeciam attulit, sive ex Aegypto, ubi vixit aliquandiu, sive ex Syria, unde erat magister ipsius Pherecydes, et ut quidam existimant ipse Pythagoras. Nam Tyrrhenum fuisse multi prodiderunt; alii Tyrium. Sed et Tyrrheni origine, ut diximus, Tyrii erant: et ipse Iudaeos adierat, ut complures de eo Scriptores prodiderunt. Neque vero morem tantum praecipiendi sed et ipsa praeceptorum verba a Barbaris Philosophis accepit Pythagoras, cuius rei magnum est argumentum quod illud *Τὸ πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν* [*Ignem gladio ne fodias*], cuius ut Pythagorici praecepti in Numa Plutarchus meminit, totidem verbis repetitur in Gnomologico Arabum. Talia sunt et illa: *Χελιδόνα ἐν οἰκίᾳ μὴ ἔχειν. Τῆς χύτρας ἀρθείσης ἀπὸ τοῦ πυρὸς ἐν τῇ σποδῷ τύπον μὴ ἀπολιπεῖν. Ἀναστάντας ἐξ εὐνῆς συγχεῖν τὰ στρώματα. Ἐπὶ γῆς μὴ πλεῖν. Κυάμων ἀπέχειν* [*Hirundinem domi ne habe. Postquam olla de igne sublata est in cinere notam ne relinquas. Qui de lecto surgunt stratum confundant. In terra ne navigato. Abstine a fabis*]. Eiusdem generis et hoc est: *Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ, μηδὲ βάλετε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων* [*Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*], quem sensum Pythagorici hoc dicto exprimebant: *Σιτίον εἰς ἀμίδα μὴ ἐμβάλλειν* [*Frumentum in matellam ne coniice*]. Egerat

Chri-

Christus de temerario atque inclemente iudicio, ne quis hinc suspicaretur omnem etiam de rebus manifestissimis iudicandi libertatem tolli, subiungit praeceptum ad eam prudentiam pertinens quam alibi vult cum simplicitate coniungi. Canis in Lege animal erat adeo exsecrandum ut ne pretium quidem inde redactum consecrare fas esset, et quae erant profanissima canibus darentur, Exod. 22: 31. Suem edi vetitum Mosis Lege, Graecis quoque et Romanis notum erat. Coniunxit haec duo animalia etiam Petrus 2 Epist. 2: 21, et in quo maxime conveniant docet, nempe in proiectissima immunditie. Quod autem in universum de omnibus sapientiae praeceptis dici solebat apud Hebraeos, id Christus suae sapientiae praeceptis, praesertim interioribus applicavit, docens qua cautione ea aliis sint impartienda, quod erat non Apostolorum duntaxat, sed piorum quoque omnium officium, etsi non aequali iure ac gradu. Sensus ergo est, prudentiam adhibendam; neque haec inculcanda iis qui admoniti de apertis manifestisque flagitiis in veteri tamen luto foedarum voluptatum pergerent volutari. Nam et Christus poenitentiae praedicationem praedicationi coelestis Regni voluerat antecedere. Et cum Apostolos ad docendum mitteret, explorare eos iussit in quaque urbe aut vico, ecquis ibi esset dignus sermone, infra 10: 14. Non dissimilem sensum habet Platonis illa cautio: *Εὐλαβοῦ μέν τοι μήποτε ἐκπέσῃ ταῦτα εἰς ἀνθρώπους ἀπαιδεύτους· σχεδὸν γὰρ, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐκ ἔςι τούτων πρὸς τοὺς πολλοὺς γελαςότερα ἀκούσματα* [*Cave ne haec ad homines imperitos deveniant: nam, ut mihi quidem videtur, sermonibus his apud plebem nihil magis ridiculum*]. Et illud Heracliti: *Τὰ τῆς γνώσιος βάθη κρύπτειν, ἀπιςίη ἀγαθή* [*Scientiae profundum occultare, laudabilis diffidentia*]. Et Lysidis Pythagorici in Epistola ad Hipparchum: *Μὴ κοινὰ ποιῆσθαι τὰ σοφίας ἀγαθὰ τοῖς οὐδ' ὄναρ τὰν ψυχὰν κεκαθαρμένοις* [*Ne fac sapientiae bona illis communia qui ne minimum quidem animo purgati sunt*]. De his qui contra faciunt idem Lysis sic pronuntiat: *Ἐγκίρναντι γὰρ ἤθεσι τεταραγμένοις τε καὶ θολεροῖς θεωρήματα καὶ λόγως θείως, καθάπερ εἴ τις εἰς φρέαρ βαθὺ βορβόρου πλῆρες ἐγχέοι καθαρὸν καὶ διειδὲς ὕδωρ· τόν τε γὰρ βόρβορον ἀνετάραξε καὶ τὸ ὕδωρ ἠφάνισεν*

νιόειν [*Infundunt enim moribus turbidis et lutulentis praecepta sermonesque Divinos, velut si quis in puteum profundum coeno plenum infundat aquam puram et limpidam: nam is et lutum commoveat et aquam perdat*]. Quod si accuratius libet distinguere inter canes et porcos, *canes* cum Clemente Alexandrino poterimus intelligere eos qui monitis impudenter oblatrant, quales erant Iudaei illi Antiocheni ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες [*contradicentes et blasphemantes*], Act. 13: 45, qui propterea dicuntur *semet indignos iudicasse vita aeterna*. Cuius ingenii Iudaeos etiam Paulus diserte *canes* vocat Phil. 3: 2, ac forte iidem sunt qui *canes* appellantur a Iohanne Apoc. 22: 15. Nam et Psalmus 22: 17, quos *canes* vocarat, interpretatur συναγωγὴν πονηρευομένων [*synagogam malignantium*]. *Porci* autem intelligi poterunt qui non contradicunt quidem, sed vitae impuritate ostendunt quanto contemtui monita habeant. Nam hos proprie sub porcorum imagine a Iudaeis intellectos apertum fiet ad cap. 8 sub finem. Idque discrimen hic sequitur Chrysostomus. Et sane videntur hoc discrimen requirere quae sequuntur; nam aliud est datum proculcare, quod porcorum est; aliud porrigentem morsibus petere, quod canum.

Καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς, et conversi dirumpant vos] Plerumque fit ut obstinati contemtores Divinae veritatis in eius professores, ut commodis aut gloriae suae adversos, et diversitate morum sua ipsis flagitia exprobrantes, immane odium concipiant, plebemque et Potestates in ipsos concitent: quod in Iudaeis praesertim Christus eiusque Apostoli experti sunt. Talem Crescentem Cynicum Philosophum noverat Iustinus, et ab eo non vanus vates mortis suae causas exspectabat. Sicut autem Christus horum solorum causa non vult proponi sacram doctrinam, ita neque illorum causa eam vult reticeri. *Στραφέντες* autem hic est *commoti*, ut explicabimus infra ad caput 16.

7. *Αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν, petite, et dabitur vobis*] Diversis modis haec solent cum superioribus connecti. Mihi videntur multis specialibus praeceptis generalia quaedam subiungi; atque hic tradi ratio quomodo consequi

qui possimus dona illa quae ad insistendum constanter hoc iter a Christo monstratum sunt necessaria. Nam de impetrando Spiritu sancto hic agi, recte ex Luca probat Maximus Dialogo contra ἀνομοίους. Idem hoc donum sapientiae nomine videtur Iacobus appellare 1: 5. Paulus utrumque coniunxit cum pro Ephesiis orare se ait, *ut Deus ipsis det Spiritum sapientiae et revelationis ad cognitionem ipsius, mentis oculos illustratos ad cognoscendum quae sit illa spes vocationis, et quae opulentia gloriae eius quae hereditario iure sanctis datur*, Ephes. 1: 17, 18. Nimirum supra dixerat Christus ad affectus recte dirigendos opus esse ut mentis oculi luceant. Ad hanc rem impetrari vult a nobis lumen coeleste, idque contentis precibus.

8. *Ὁ ζητῶν εὑρίσκει, qui quaerit invenit*] Sophocles:

——— *Τὸ δὲ ζητούμενον*
Ἁλωτόν· ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον.
[——— *Quicquid quaeritur*
Reperire spes est; quod nihil curas, fugit.]

Sed hic verbis αἰτεῖν, ζητεῖν, κρούειν [*petere, quaerere, pulsare*] idem denotatur, studium scilicet precandi. Non male Hierocles: *Εὐχὴ μεθόριον τῆς παρ' ἡμῖν ζητήσεως καὶ τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ δόσεως, ἐχομένη τῆς αἰτίας ἡμῶν τῆς εἴς τε τὸ εἶναι προαγούσης ἡμᾶς καὶ πρὸς τὸ εὖ εἶναι τελειούσης* [*Precatio confinium est nostrae quaesitionis et donationis Divinae, cohaerens causa ei quae et ad esse nos produxit, et ad bene esse perficit*].

9. *Ἢ τίς ἐστιν ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, aut quis est ex vobis homo*] Mirum videri potest quod interrogativo *τίς* alterum interrogativum *μὴ* [*numquid*] subiungitur. Sed notandum est apud Hebraeos *quis* saepe poni non tam *πυσματικῶς* [*interrogative*] quam *ὑποθετικῶς* [*conditionaliter*], pro *si quis*, ut et infra 12: 11 et 24: 45, Luc. 11: 5 et 11, Iac. 3: 13. Sic et in Ps. 107: 43 et Deut. 20: 8. Neque aliter interpretandum illud apud Agg. 2: 4. *Quis ex vobis reliquus qui viderit istam domum in gloria sua priore?* Nemo enim videtur Zorobabelis comitum fuisse qui templum a Salomone conditum videre potuisset: sed hoc vult Propheta: Si quis nunc vestrum esset qui prius templum vidisset, quam valde hoc templum prae illo sorderet.

Hu-

Huius igitur loci sensus est: *Si quis inter vos est quem filius panem poscit, an lapidem ei dabit?* nam τὸ ἐὰν [*si*] post ὃς [*qui*] positum solet παρέλκειν [*abundare*], ut supra 5: 19, infra 10: 14, 42, 11: 27, 12: 36, 15: 5, 16: 19, 18: 5, 19, 20: 4, 7, 26, 27 et alibi, sed et post ὅσος, οὗ, ὅπου [*quantus, ubi, ubi locorum*] aliaque relativae notationis, ut passim in his libris videre est. Μὴ [*numquid*] autem interrogativum hic est; quo sensu et vox Iudaica sed ex Graeco sermone veniens מי in Gemara et alibi. Adagium autem hoc de pane et lapide ab Hebraeis ad alias etiam gentes transiit, ut ex Plauto apparet:

Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.

11. Πονηροὶ ὄντες, *cum sitis mali*] Deo scilicet comparati. Vide Iob. 15: 14, 15.

Ἀγαθὰ δόματα, *bona data*] Dona Spiritus sancti, ut supra diximus. Vide Iac. 1: 17 et confer cum commate 5, eodem capite. Bene autem vetus interpres δόματα *data* transtulit. Est enim ea vox Latinis etiam substantiva. Glossarium vetus, Δόσις, *datum*. *Plenus datorum* de Deo dixit Ausonius.

12. Ὅσα ἂν θέλητε, *quae vultis*] Cum de precibus dixisset Christus, iam ea addit quae conatus nostros excitent. Oportet enim ista coniungi: ὅπως ὃ ἐργαζόμεθα καὶ εὐχώμεθα, καὶ ὃ εὐχόμεθα ἐνεργῶμεν [*ut quod operamur et precemur, et quod precamur operemur*], ut ex Pythagorae disciplina tradit Hierocles. Iubet autem Christus operam nos dare ut aliis praestemus ea quae ratio dictat non inique nos ab aliis postulaturos: hoc autem ideo dicitur, quia plerumque rectius videmus quid aequum sit ubi nobis nihil decedit. Laberius hoc voluit:

Homo semper in se aliud fert, in alterum aliud cogitat.

Contingit autem hoc ex nimio nostri amore. Euripides:

Ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ.

[*Quam quisque sese plus amat quam caeteros!*]

Unde illud Sallustii: *Nemini suae iniuriae leves videntur.* Atqui aequissimum est id quod idem ille Mimus dixit:

Ab alio exspectes alteri quod feceris.

Severus Imperator narratur in ore habuisse nobilem hanc sententiam a Christianis aut a Iudaeis acceptam: *Quod ti-*

tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Isocrates ad Nicoclem: Ἃ πάσχοντες ὑφ' ἑτέρων ὀργίζεσθε, ταῦτα τοῖς ἄλλοις μὴ ποιεῖτε [*Quae si vobis fierent irascamini, ea aliis ne facite*]. Sensus idem in Appii Caeci oratione apud Halicarnassensem. Non frustra autem adiicit Historicus *aut a Iudaeis:* nam et illis in ore fuit hoc dictum: Ὃ μισεῖς μηδενὶ ποιήσεις [*Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*], ut patet Tob. 4: 16. Ergo ut recte iudicemus, persona mutanda est: idemque statuendum in altero quod in nobis aequum simus existimaturi.

Οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται, haec enim est Lex et Prophetae] Hoc est: *Hinc pendet Lex et Prophetae*, ut infra habetur 22: 40. Per hoc Lex πληροῦται [*impletur*], ut Paulus loquitur Rom. 13: 8, Gal. 5: 14. Hic nimirum scopus est quem sibi Lex proponit; nam quae praecessit sententia idem plane valet illi sententiae: *Dilige alterum quemadmodum te diligis.* Quod autem dicitur et hic et apud Paulum *in hoc uno praecepto Legis et Prophetarum summa consistere*, intelligendum est de Lege et monitis spectantibus mutua inter se hominum officia. Nam quae ad Dei cultum pertinent altero praecepto comprehenduntur, ut infra apparebit. Cum autem de precibus dixisset, recte subiunxit Christus ea quae diligentiam nostram excitarent, ob hoc quoque ne otiosi Divinam opem exspectaremus:

Τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ Θεὸς ξυλλαμβάνει.
[*Et ipse fautor est laboranti Deus.*]

Quod et sequente adhortatione prosequitur.

13. *Στενῆς πύλης, per angustam portam*] Sicut דרך plerumque apud Hebraeos, et ὁδός [*via*] apud Hellenistas, ita et hic πύλη vitae institutum significat.

Ὅτι πλατεῖα ἡ πύλη καὶ εὐρύχωρος ἡ ὁδὸς, quia lata porta et spatiosa via est] Si compares verba membri oppositi, videbitur τὸ πλατὺ opponi τῷ στενῷ, at τὸ εὐρύχωρον τῷ τεθλιμμένῳ. Potest via aliqua lata esse quae non sit εὐρύχωρος, hoc est, *campestris*, sed *confragosa*, nam id valet τεθλιμμένη. Puto igitur viam pietatis *angustam* dici, quia suapte natura displicet carni; *confragosam* vero, quia externis impedimentis quasi muricibus

quibusdam strata est: sed has molestias vincit consuetudo, auxilium Spiritus (1 Ioh. 5: 4.) et spes praemii. De consuetudine est Hesiodi sententia:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ και ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα.
[*Sudorem ante aditum virtutis Di posuerunt;*
Et longa huc et celsa simul via ducit euntem,
Ardua principio, sed ubi est ad culmina ventum
Incipiet molli sese submittere clivo.]

Quam Silius imitatur, Virtutem, Prodici exemplo, ita loquentem inducens:

Ardua saxoso perducit semita clivo,
Aspera principio (nec enim mihi fallere mos est)
Prosequitur: labor ad nitendum intrare volenti.
Nec bona censendum quae fors infida dedisset,
Atque eadem rapuisse valet: mox celsus ab alto
Infra te cernes hominum genus.

Exstant in eandem sententiam versus in catalectis quae Virgilio subiungi solent De litera Pythagorae. Non alienus ab hoc sensu est ille apud Plutarchum De Socratis Daemone: *Εὐρεῖαι μὲν γὰρ ἀτραποὶ βίων· ὀλίγαι δὲ δι' ἃς δαίμονες ἀνθρώπους ἄγουσιν* [*Late patent vitarum viae; at paucae sunt per quas Dii homines ducunt*].

Πολλοί εἰσιν οἱ εἰσερχόμενοι δι' αὐτῆς, multi sunt qui intrant per eam] Bias vere *πλείους κακοὺς ἔφη* [*plures dixit malos*]. Neque id mirum:

Ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακοί.
[*Unica namque bonis est via, multa malis.*]

Vitia late patent, et quibusvis affectibus famulantur. Pietatis unica via est, non cupiditatibus nostris indulgens, sed Divinis praeceptis undique circumsepta.

14. *Τί στενὴ, quam angusta*] *Τί* pro *ὡς* Hellenistarum est. Nam in Ps. 8: 1, ubi LXX *ὡς θαυμαστὸν τὸ ὄνομά σου* [*quam admirabile nomen tuum*], alii Graeci interpretes habent *τί μέγα τὸ ὄνομά σου*. Ps. 31: 20, ubi LXX *ὡς πολὺ τὸ πλῆθος τῆς χρηστότητός σου* [*quam magna multitudo dulcedinis tuae*], Symmachus posuit *τί πολὺ τὸ ἀγαθόν σου*. Ita autem hoc loco legisse Graecos apparet, ita Syrum, ita

ita Latinum interpretem. Nihil igitur mutandum. Simile dictum Philonis libro de Agricultura: *Αἱ δὲ φρονήσεως καὶ σωφροσύνης καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν ὁδοὶ, καὶ εἰ μὴ ἄβατοι, ἀλλά τοι πάντως ἄτριπτοι· ὀλίγος γὰρ ἀριθμός ἐςι τῶν αὐτὰς βαδιζόντων, οἳ πεφιλοσοφήκασιν ἀνόθως* [*Prudentiae et temperantiae et aliarum virtutum viae non quidem plane inviae sunt, sed parum tritae. Exiguus enim est numerus per eas incedentium, qui sincere philosophantur*].

Οἱ εὑρίσκοντες αὐτήν] *Qui eam assequuntur*, ut infra 11: 29, Luc. 1: 30, et alibi. Quare autem non assequuntur? Quia de rerum finibus viisque ad finem non recte iudicant, neque ut recte iudicare possint operam ponunt.

Incerte errat animus: praeterpropter vitam vivitur. Magna autem huius rei culpa est penes malos magistros, de quibus consequenter agit Christus. Ulpianus ad Demosthenis Orationem in Leptinen: *Οἱ ἀγαθοὶ ὀλίγοι ἀναγκαίως· κακοὶ γὰρ οἱ πολλοί* [*Boni necessario pauci, quia multi mali*]. Opponitur autem hoc dictum, ut et cap. 7 Apocalypseos, falsae Iudaeorum opinioni, de universali hominum pietate temporibus Messiae.

15. *Ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, a falsis Prophetis*] Id est, *ψευδοδιδασκάλων* [*falsis Magistris*], ut interpretatur Petrus II. cap. 2: 1. Nam Hebraeis *Prophetae* dicebantur, non tantum praesagi futurorum, sed et alii qui ad populum docendum procedebant, praesertim si mandata coelitus data prae se ferrent. Qualis erat Simon, et Bariesus quem *ψευδοπροφήτην* Lucas vocat Act. 13: 6. Hos Pseudoprophetas Christus distinguit a Pseudochristis infra 24: 5, 11, 24, qualis erat Barchochebas. Neque tamen hic de quibusvis Pseudoprophetis agi arbitror, sed de iis qui se Christi sectatores profiterentur, ob ea quae cohaerent infra commate 21. *Falsos* autem vocat non ratione missionis, ut ex eodem commate 21 convincitur, sed ob doctrinam falsam atque exitialem. Vide Petrum dicto loco.

Ἐν ἐνδύμασι προβάτων, in vestimentis ovium] *Ἐν μηλωταῖς*, ut loquitur Scriptor ad Hebr. 11: 37. Namque is ferme habitus erat Prophetarum. At Christus, ut ex opposito membro liquet, sub habitus nomine omnem ex-

teriorem innocentiae speciem in vultu, verbis et operosis ritibus vult intelligi, praesertim vero illas χρηστολογίας καὶ εὐλογίας [*dulces sermones et benedictiones*] de quibus agit Paulus Rom. 16: 18, idque exemplo Zach. 13: 4.

Λύκοι ἅρπαγες, *lupi rapaces*] *Non enim Christo serviunt, sed ventri*, Rom. 16: 18, et *pietatem quaestui habent*, 1 Tim. 6: 5. Sic et in Aesopi fabulis lupus inducitur ovina pelle obtectus.

16. *Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς*, *ex fructibus eorum cognoscetis eos*] Ex operibus iniquitatis, ut infra dicitur 23. Atqui, dicat aliquis, iam dictum est pietatem ab istis vel maxime simulari. Sane, sed verum est illud Mimi:

Cito ad naturam ficta reciderunt suam.

Lysias: *Ὀλίγον χρόνον δύναιτ' ἄν τις πλάσασθαι τὸν τρόπον τοῦ αὐτοῦ* [*Ad modicum tantum tempus potest quis habere fictos mores*]. Interdum mora aliqua, interdum attentione sola opus est. *Secerni*, inquit Cicero, *blandus amicus a vero et internosci tam potest, adhibitâ diligentiâ, quam omnia fucata et simulata a sinceris et veris*. *Non diu proficient*, inquit Paulus, *nam insipientia illorum manifesta fiet. Habent enim speciem pietatis, sed vim ipsam evertunt*, 2 Tim. 3: 5, 9, atque ita revera *repudiant Dominum ac Redemtorem suum*, 2 Pet. 2: 1. Fructus eorum hi esse solent, quod perpessiones defugiunt; allectant eos qui in vitiis haerent, praesertim opulentiores; quaestiones movent nihil facientes ad profectum pietatis; libenter obtrectant aliis, praesertim in dignitate positis, ut ea libertatis specie se apud populum iactent: et ad istas res dogmata sua accommodant, ut videre est in utraque ad Timotheum, in Iudae Epistola et Petri secunda: atque ita ostendunt se tales esse quales revera sunt, fastuosos, odii et invidentiae plenos, maledicos, avaros, neque tam alienos a voluptatibus quam existimari volunt, ut iisdem locis videre est. Quae si quis diligenter conferat cum iis quae de Cerintho deque Nicolao, aut si Clementi credimus, Nicolai nomen falso obtendentibus Gnosticis et Carpocratitis, aliisque primaevae veritatis adulteris apud Ecclesiasticos Scriptores leguntur, facile inveniet ab illis ferme omnibus summam religionis

con-

constitutam aut ἐν τῇ γνώσει [*in cognitione*] aut in ceremoniis, multa autem cum Christi praeceptis pugnantia posita in numero ἀδιαφόρων [*rerum mediarum*], aut certe necessitatem praeceptorum variis obtentibus imminutam.

Μήτι συλλέγουσιν, numquid colligunt] Et hic activum personale pro passivo impersonali est positum, ut saepe. Est proverbium etiam apud Arabas frequens: *Qui serit spinas, non metet cum eis uvas.*

17. *Τὸ δὲ σαπρὸν δένδρον, mala autem arbor*] *Σαπρὸν* est באש, quod interdum sic, interdum πονηρὸν [*malum*] vertunt Graeci.

18. *Οὐ δύναται δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς πονηροὺς ποιεῖν, non potest arbor bona malos fructus facere*] Tale est et Menandri illud:

> Οὐδεὶς πονηρὸν πρᾶγμα χρηςὸς ὢν ποιεῖ.
> [*Nemo scelestum facinus vir faciet bonus.*]

Propius etiam accedit illud M. Antonini: *Ὁ μὴ θέλων τὸν φαῦλον ἁμαρτάνειν, ὅμοιος τῷ μὴ θέλοντι συκῆν ὀπὸν ἐν τοῖς σύκοις φέρειν* [*Qui non vult peccare hominem vitiosum, par est ei qui nolit in ficu esse sui generis succum*]. Causam reddit Christus infra 12: 34, quia *ex ubertate cordis os loquatur;* quod simili ratione ad facta protendi debet. Philosophi dicunt, actiones similes esse qualitatibus: quae omnia ut in moralibus intelligenda sunt ἐπὶ τὸ πολύ [*ut plerumque*]. Hoc ergo vult Christus: Si vere essent isti amantes pietatis, quales haberi volunt, non talia admitterent. Hoc autem non eo perducendum ut dicantur qualitates mutari non posse, recte adversus sui temporis sectarios defendit Tertullianus, cuius verba abscribam ex libro De anima: *Non dabit arbor mala fructus bonos, si non inseratur: et bona malos dabit, si non colatur. Et lapides filii Abrahae fient, si in fidem Abrahae formentur: et genimina viperarum fructum poenitentiae facient, si venena malignitatis exspuerint. Haec erit vis Divinae gratiae, potentior utique natura, habens in nobis subiacentem sibi liberi arbitrii potestatem, quod αὐτεξούσιον dicitur: quae cum sit et ipsa naturalis atque mutabilis, quoquo vertitur, natura convertitur.* Chrysostomus VII ad Romanos: Ὥσπερ οὖν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ φησίν, Οὐ δύναται δένδρον σαπρὸν καρποὺς καλοὺς ποι-

ποιεῖν, οὐ τὴν ἀπὸ κακίας εἰς ἀρετὴν μεταβολὴν κωλύων; ἀλλὰ τὴν ἐν τῇ κακίᾳ διατριβὴν, λέγων μὴ δύνασθαι φέρειν καρποὺς καλούς· οὐ γὰρ εἶπεν, Οὐ δύναται δένδρον πονηρὸν καλὸν γενέσθαι· ἀλλ' ὅτι φέρειν καρποὺς καλοὺς οὐ δύναται μένον πονηρόν [*Sicut ergo in Euangelio dicit: Non potest arbor mala bonos fructus proferre, non impediens transitum a vitio ad virtutem, sed hoc dicens, perseverantiam in malo talem esse ut bonos fructus proferre nequeat: non enim dixit: Non potest arbor mala bona fieri, sed hoc vult, dum manet mala non posse eam bonos proferre fructus*].

19. *Πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν ἐκκόπτεται, omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur*] Probat Baptistae sententiam ex Daniele desumtam. Vide supra 3: 10.

20. *Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτοὺς, ex fructibus eorum cognoscetis eos*] Cum libenter homines moribus suis convenientia doceant, ex factis istiusmodi suspectos ipsos habete priusquam dogmata sua vobis instillent. Quales enim magistri sunt tales facturi sunt et discipulos.

21. *Οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, Κύριε, Κύριε, non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine*] Quanquam ista locutio Hebraeis universaliter negat, hic tamen manifestum est negationem esse particularem; nam et qui obediunt Deo comprehenduntur in ista universalitate dicentium Christo, *Domine, Domine*, id est, eorum qui se Christi sectatores profitentur, Ioh. 13: 13. Communis utrisque est professio Christianismi, secundum quam *ἀκροαταὶ τοῦ λόγου* [*auditores verbi*] dicuntur Iac. 1: 22, at obedientia eos distinguit.

Ποιῶν, qui facit] *Ποιεῖν τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς* [*facere voluntatem Patris*] dicuntur qui serium habent obediendi propositum, nimirum *οἱ πίστιν ἔχοντες οὐ νεκρὰν, ἀλλὰ δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην* [*qui fidem habent non mortuam sed operantem per dilectionem*]. Neque enim rarum est ut agendi verbis significetur studium, sed tale quod data occasione actuosum est. Hunc locum in Apologetico ita explicat Iustinus: *Οἱ δ' ἂν μὴ εὑρίσκωνται βιοῦντες ὡς ἐδίδαξε, γνωριζέσθωσαν μὴ ὄντες Χριστιανοὶ, κἂν λέγωσι διὰ*

γλώτ-

γλώττης τὰ τοῦ Χριςοῦ διδάγματα· οὐ γὰρ τοὺς μόνον λέγοντας, ἀλλὰ τοὺς καὶ τὰ ἔργα πράττοντας σωθήσεσθαι ἔφη [*Qui verò deprehenduntur non ita viventes ut ille iussit, norint se non esse Christianos, etiamsi memoriter recitent Christi documenta. Dixit enim salvos fore non qui dicerent tantum, sed qui et opera facerent*]. Idem in Colloquio cum Tryphone refutat noxiam opinionem non Iudaeorum tantum sed et quorundam qui Christiani dicerentur: οἳ λέγουσιν ὅτι κἂν ἁμαρτωλοὶ ὦσι, Θεὸν δὲ γινώσκουσιν, οὐ μὴ λογίσηται αὐτοῖς Κύριος ἁμαρτίαν [*qui dicunt etiamsi peccatores sint, at Deum norint, Deum ipsis peccata non imputaturum*]. Bene in eandem sententiam Scriptor Responsionum ad Orthodoxos: *Τὸ ἀγαθοὺς ἡμᾶς εἶναι ἢ κακοὺς ὁ Θεὸς οὐκ ἐν τῇ γνώσει ἔθηκε τῶν γινωσκομένων, ἀλλ' ἐν τῇ αἱρέσει τῶν αἱρουμένων* [*Ut boni simus vel mali Deus non in cognitione posuit rerum noscendarum, sed in electione eligendarum*]. Vetustior his Ignatius in Epistola ad Magnesios: *Πρέπον ἐςὶ μὴ μόνον καλεῖσθαι Χριςιανοὺς, ἀλλὰ καὶ εἶναι· οὐ γὰρ τὸ λέγεσθαι, ἀλλὰ τὸ εἶναι μακάριον ποιεῖ* [*Oportet nos non dici tantum sed esse Christianos, neque enim dici, sed esse beatos facit*]. Basilius ad Amphilochium: *Ἐάν τις τὸ ὄνομα λαβὼν τοῦ χριςιανισμοῦ, ἐνυβρίζῃ τὸν Χριςὸν, οὐδὲν ὄφελος αὐτῷ ἀπὸ τῆς προσηγορίας* [*Si quis nomen Christianismi induens Christum contumelia afficiat, nihil ipsi vocabulum proderit*]. Eandem sententiam hunc in modum explicat et confirmat Salvianus: *Totum in id revolvitur, ut qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videatur. Nomen enim sine actu atque officio suo nihil est. Nam sicut ait quidam in scriptis suis: Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate nisi honoris titulus sine homine, aut, quid est dignitas in indigno nisi ornamentum in luto? Itaque ut iisdem verbis etiam nos utamur, quid est aliud sanctum vocabulum sine merito nisi ornamentum in luto?* et quae porro sequuntur initio libri IV De providentia. Hi omnes illud εἰσελεύσεται εἰς βασιλείαν τῶν οὐρανῶν [*intrabit in Regnum coelorum*] de aeterna felicitate interpretantur. Neque vero aliter eam locutionem sumi solere a Scriptoribus nostris supra observavimus 5. 20.

22. *Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρα, in illa die*] Refer ad praecedentia. In illa die qua intrabitur in Regnum coeleste. ביום הוא dicunt Hebraei.

Τῷ σῷ ὀνόματι, in nomine tuo] Hoc est, profitendo nos id facere ad testandam potentiam tuam. Ita enim in his libris passim sumuntur ista, *τῷ ὀνόματι, ἐν ὀνόματι, ἐπὶ τῷ ὀνόματι*, quorum verborum explicatio petenda est ex Actorum locis 16: 18, 19: 13. Miror Origenem tantum Philosophum hoc argumento niti, ut contra Aristotelem probet nomina non esse ex instituto, quasi ipsa syllabarum prolatio et non potius Dei voluntas, testatam facere cupientis veritatem syllabis expressam, ad miraculum valeret; praesertim cum ipse etiam narret iuxta nomen Iesu in exorcismis solitas etiam referri res gestas Iesu praecipuas. Cum vero, ut dixi, miracula in testimonium veritatis data sint, mirum non est, etiam per eos fuisse edita qui veritatem palam agnoscebant, quanquam animum ad eius obedientiam non composuissent. Interdum enim non tam ad commendandos eos per quos fiebant quam ad convincendos spectatores adhibebantur: quanquam ipsa Christi promissio, quae exstat Marc. 16: 17, praecipue credentes, hoc est poenitentia ductos in Christum confisos eique obedientes respiciebat, teste Petro Act. 2: 38 et 5: 32. Iustinus martyr Apol. II. *Πιςέυοντες, μᾶλλον δὲ καὶ πεπεισμένοι, κατ' ἀξίαν τῶν πράξεων ἕκαςον τίσειν διὰ πυρὸς αἰωνίου δίκας, καὶ πρὸς ἀναλογίαν ὧν ἔλαβε δυνάμεων παρὰ Θεοῦ, τὸν λόγον ἀπαιτηθήσεσθαι* [*Credentes planeque persuasi, quemque pro actionum merito poenam passurum per ignem aeternum, et rationem redditurum pro modo efficaciarum quas a Deo acceperit*]. Origenes: *Ταῦτα γὰρ λεγόμενα πολλάκις τοὺς δαίμονας πεποίηκεν ἀνθρώπων χωρισθῆναι, καὶ μάλισθ' ὅταν οἱ λέγοντες ἀπὸ διαθέσεως ὑγιοῦς καὶ πεπιςευκυίας γνησίως αὐτὰ λέγωσι· τοσοῦτον μέν γε δύναται τὸ ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ κατὰ τῶν δαιμόνων, ὡς ἐσθ' ὅτε καὶ ὑπὸ φαύλων ὀνομαζόμενον ἀνύειν* [*Haec enim enuntiata saepe effecere ut Daemones ab hominibus discederent, praecipue ubi qui ea enuntiant id faciunt ex animo sano et sincere credente. Tantum potest nomen Iesu contra Daemonas ut interdum etiam a malis hominibus prolatum vim habeat*]. Quibus similia sunt

sunt apud Scriptorem Responsionum ad Orthodoxos quaestione V et Clementis quae dicuntur Constitutionibus lib. VIII cap. 2.

Προεφητεύσαμεν, vaticinati sumus] Cum hic de factis admiratione dignis agatur, plane hic futurorum praesagia intelligenda arbitror.

23. *Ὁμολογήσω αὐτοῖς, aperte dicam illis*] Graeci hanc vocem isto sensu non usurpant. Sed quia Hebraeum הוד, quod saepe valet *confiteri*, latius patet, et quamvis publicam professionem significat, ideo et τὸ ὁμολογεῖν Hellenisticus usus eousque extendit.

Οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς, nunquam novi vos] *Nunquam vos pro meis habui*, ut Gal. 4: 9, more Hebraeo, apud quos ידע [*novit*] ita sumi solet: Ps. 1: 6, 2 Tim. 2: 19, 1 Cor. 8: 3.

Ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, qui operamini iniquitatem] Ita LXX verterunt in Ps. 5: 6, פעלי און. Lucas vim participii recte vertit per verbale ἐργάται τῆς ἀδικίας [*operarii iniquitatis*]. Utitur autem hoc Christi dicto Paulus, dicto iam ad Timotheum loco, ex opposito, hoc modo: *Ἔγνω Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ· καὶ ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα Κυρίου* [*Cognovit Dominus qui sunt eius: et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*].

24. *Ὅστις ἀκούει μου τοὺς λόγους τούτους, qui audit verba mea haec*] Sicut modo ostendebamus ex Iacobo ἀκροατὰς [*auditores*] dici eos qui Christianismum profiterentur, ita hic verbo ἀκούειν tota professio designatur.

Καὶ ποιεῖ αὐτούς, et facit ea] *Ποιεῖν*, ut modo diximus, propositum agendi significat. Atque hic notandum est discrimen assensionis contemplativae tantum et assensionis activae. Nam ut assensio fiat activa haec tria requiruntur: primum, ut diligenter consideretur quae sit via a Christo praescripta, quaeque difficultates internae atque externae eam comitentur; deinde, ut attente itidem expendatur magnitudo aeternae eius gloriae quam Christus promittit; tertio, ut bene infigatur animo certa connexio viae istius cum meta, et metae cum via, nempe ut constet fieri non posse quin isthac eo veniatur, nec alia eundo eodem posse perveniri. His bene perceptis at-

atque meditatis, flectitur voluntas in obedientiam intellectae veritatis, unde insurgit in animo dilectio, quae radicis et fundamenti vicem praestat, Eph. 3: 17. Confer quae infra sunt capite 13, et Luc. 14: 28. Haec est quae adversus blanditias voluptatum, formidinem doloris, paupertatis, exsilii, ignominiae, mortis denique, et novam falsi magisterii disciplinam, assensionem illam priorem et contemplativam, eiusque professionem inconcussam retinet. Contra qui rebus non bene expensis neque iacto tali fundamento veracem doctrinam intellectu atque etiam professione approbant, peccandi illecebris, metu imminentis mali, novitatis lenocinio facile eo adducuntur ut quod lubidini suae adversatur malint non esse verum, et quovis modo quaerentes effugium dubitent primum, paulatim labascant et a professione deficiant. Consequens enim est, docente Paulo 1 Tim. 1: 19, ut qui bonam conscientiam aut non acquirunt aut non conservant, etiam fidei naufragium faciant. Bonae autem conscientiae comitem ante dederat dilectionem sinceri cordis comm. 5. — Est autem similis aedificii comparatio apud Philonem libro de Caino: *Οἶκον μὲν οὖν ἐπίγειον τὴν ἀόρατον ψυχὴν τοῦ ἀοράτου Θεοῦ λέγοντες ἐνδίκως καὶ κατὰ νόμον φήσομεν· ἵνα δὲ βέβαιος καὶ περικαλλέςατος εἴη ὁ οἶκος, θεμέλιοι μὲν ὑποβεβλήσθωσαν εὐφυΐα καὶ διδασκαλία· ἀρεταὶ δὲ μετὰ καλῶν πράξεων ἐποικοδομήσθωσαν αὐτῷ* [*Vere igitur et secundum Legem loquemur, si dicamus invisibilem animam Dei invisibilis esse terrestre domicilium. Ut vero hoc domicilium sit quam firmissimum atque pulcherrimum, fundamenta ei substruantur bona indoles et institutio. Ei autem superstruantur virtutes et pulchrae actiones*]. Sensus ferme idem in dicto Hebraeorum: *Cuius scientia maior est quam opera, similis est arbori cuius rami multi sunt, radices paucae; in quam irruens ventus evellit eam radicitus et subvertit.* Accedit illud Plutarchi Sertorio: *Ἀρετὴν εἰλικρινῆ καὶ κατὰ λόγον συνεςῶσαν οὐκ ἄν ποτε δοκῇ τύχη τις ἐκςῆσαι πρὸς τοὐναντίον* [*Sinceram virtutem atque consilio firmatam nulla unquam fortuna videtur in contrarium deflectere posse*].

25. *Τεθεμελίωτο, fundata enim erat*] Ita haec vox exstat in omnibus codicibus, cum usus postularet ἐτεθεμε-

μι-

μελλοντο. Sic et apud Iosephum aliquoties invenies πεποιήκει.

Ἐπὶ τὴν πέτραν, super petram] Substrato solo saxeo cui superficies incumbat. Nam ut arces intelligamus in rupibus positas non satis patitur id quod sequitur de fluminis impetu. Oppositum est in *arena aedificare*, etiam Latino proverbio tritum.

27. *Ἦλθον οἱ ποταμοὶ, venerunt flumina*] *Inundatio* in Psalmis saepe res adversas significat: quod et βάπτισμα [*baptisma*] infra vocatur 20: 22. Sic et Esai. 59: 19, hostilis adventus *fluvio* comparatur. Et eidem Deus dicitur *protectio contra inundationem* 25: 4.

Καὶ ἔπνευσαν οἱ ἄνεμοι, et flaverunt venti] Compara Dan. 7: 2. Christus contra fluvios et ventos firmum praesidium, Esai. 32: 2.

29. *Ὡς ἐξουσίαν ἔχων, ut potestate praeditus*] Manifestum est ex eo quod sequitur, non Prophetis vetustis Christum comparari, quos plebs illa nunquam loquentes audierat, sed Legisperitis quos quotidie audiebant Legem interpretantes. Legisperiti omni efficacia miraculorum destituti, ne ipsi quidem aliud quam doctrinam humanae institutionis prae se ferebant, laudantes sententiarum suarum auctores alii Sameam, alii Hillelem, alii alios: Christus contra ea maiestate loquebatur, qua solebant qui a Deo praefinita mandata acceperant, ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως [*demonstratione spiritus et virtutis*], ut loquitur Paulus. Atque hoc ipsum novum iam et insolitum erat, quando iam aliquot a seculis Prophetia, certe illa quae erat ordinaria et quasi publica, desierat. Solent annotare Iudaei ad Esdrae tempora: *Hactenus Prophetae, deinceps viri eruditi*, חכמים. Nam hoc erat vice ἐποχῆς [*notae temporum*]. Hinc 1 Macc. 9: 27. *Καὶ ἐγένετο θλίψις μεγάλη ἐν τῷ Ἰσραὴλ ἥτις οὐκ ἐγένετο ἀφ' ἧς ἡμέρας οὐκ ὤφθη προφήτης αὐτοῖς* [*Et facta est vexatio magna in Israel, qualis non fuit ex die qua non est visus Propheta inter illos*]. Et si quid erat difficilioris controversiae id indefinitum relinquebant μέχρι τοῦ παραγενηθῆναι προφήτην [*quoadusque veniret Propheta*], ut videre est 1 Macc. 4: 46, quod eodem lib. 14: 41 dicitur ἕως τοῦ ἀναστῆναι προφήτην πιστόν [*donec surgat Pro-*

Propheta fidelis]. Hoc igitur est quod narrat Luc. 7: 16, dixisse populum: *Magnus Propheta inter nos excitatus est, et invisit Deus populum suum.* Atque hinc apparet ἐξουσίαν hic significare *ius ac potestatem extraordinariam.* Vide infra 21: 23, Marc. 11: 28, Luc. 20: 2. Huic autem ἐξουσίᾳ apposite aliquot locis additur δύναμις [*virtus*] tanquam nota τῆς ἐξουσίας Luc. 4: 36, 9: 1. Iustinus martyr Apologetico II de Christo: Οὐ γὰρ σοφιστὴς ὑπῆρχεν, ἀλλὰ δύναμις Θεοῦ ὁ λόγος αὐτοῦ ἦν [*Non enim declamator erat, sed sermo eius erat virtus Dei*]. Haec explicatio loci Ps. 45: 4.

CAPUT VIII.

2. *Προσεκύνει αὐτῷ, adorabat eum*] Proiecto in terram corpore, ut Lucas explicat 5: 12. Ita autem procidit ut genua Christi contingeret, quod est γονυπετῶν [*genua amplectens*] apud Marcum, non autem flexis genibus, ut quidam interpretantur, quae minor erat venerandi species. Sic et quod infra Matthaei interpres dixit προσκυνεῖν 9: 18, Marcus et Lucas dixerunt πίπτειν πρὸς πόδας [*procidere ad pedes*]. Alibi quod hic noster προσκυνεῖν dixit, Lucas exponit πίπτειν ἐπὶ πρόσωπον [*procidere in faciem*]. Videtur omnino vitilitiginosus iste magnum aliquid et eximium de Iesu animo concepisse, nimirum liberrimam sanandi potestatem. Sed an hunc esse promissum Messiam crediderit, dubitari potest, cum ipse Iesus id nondum palam esset professus neque is rumor in vulgus manasset.

Κύριε, Domine] Moris erat Iudaeis hoc modo quemvis etiam ignotum appellare, Ioh. 20: 15.

Ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι, si vis, potes me mundare] Persuasio de potentia Dei initium esse solet pietatis. Nam hinc fit ut *ad Deum accedamus*, Hebr. 11: 6, et si quid promisit et habeamus fidem, quantumvis difficillimum videatur id quod promissio continet, Rom. 4: 21, Hebr. 11: 19. Sic etiam Christianae religionis principium est confidere Dei potentiae in Christo, per quam etiam corpora nostra sint revictura: quod ut signo visibili adumbraretur, sanitatem corporis, alterius maioris sanitatis ima-

imaginem, iis demum Christus conferre voluit qui ipsum id posse confiderent. Vide quod infra est 9: 28. Simul notanda hominis modestia, qui a Deo correptum se humiliter agnoscens (morbus enim ille plerumque a Deo in poenam criminis alicuius, maledicentiae praesertim, ut Num. 12, immittebatur) nihil postulare aperte audet; tantum quid Christum posse credat testatur: καθαρίζειν autem טהר proprie dicitur de lepra.

3. Ἥψατο αὐτοῦ, *tetigit eum*] Ex hac historia, tum ex duabus aliis in quibus mortua corpora Christus contigisse dicitur, argumentum trahunt Graeci interpretes ut doceant Christum non fuisse Legi subditum. Atqui Paulus diserte dicit Christum γενέσθαι ὑπὸ νόμον [*factum sub Lege*] Gal. 4: 14, et Christus ipse, ut iam diximus, negavit venisse se in terras ut quicquam contra Legem committeret committendive auctor esset. Sed praeterquam quod istis factis immunditia quidem aliqua contrahebatur, non autem proprie peccabatur in Legem (nam alioqui nec pollingere nec condere corpora, nec scabiem sanare licuisset), certum insuper est omnia opera patrata virtute Divina semper exemta fuisse praeceptis ritualibus, quemadmodum de lege Sabbati infra dicemus. Nam et Elisaeus puero mortuo incubuit ut vitam ei restitueret, 2 Reg. 4: 34, neque eo facto quicquam admisit Legi contrarium. Contactus autem iste maximi erat usus, ut appareret neque fortuito redditam sanitatem, neque virtutem eam aliunde quam ab ipso Iesu profectam.

Καθαρίσθητι, mundare] Actiones imperare etiam homines solent: at res solo imperio effectas dare vere Divinum est. Ideo Christus ad miracula usus saepe est vocibus imperandi passivis. Nam et Moses creationem ita descripserat: *Et dixit Deus, Fiat lux, et facta est lux:* quibus in verbis maiestatem esse miram et σεμνότητα τοῦ λόγου recte animadvertit paganus homo Longinus Rhetor, cuius haec sunt verba: *Ταύτῃ δὲ καὶ ὁ Ἰουδαίων θεσμοθέτης οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ Θείου δύναμιν κατ' ἀξίαν ἐγνώρισε κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων, Εἶπεν ὁ Θεός, φησί, τί; Γενέσθω φῶς· καὶ ἐγένετο· Γενέσθω γῆ· καὶ ἐγένετο* [*Sic et is qui Iudaeis leges scripsit, homo minime vulgaris; nam is Dei potentiam*

digne significavit et ostendit cum in principio legum scripsit: Dixit Deus; quid. vero? Fiat, inquit, Lux: et facta est. Fiat Terra: et facta est].

4. Ὅρα μηδενὶ εἴπῃς, *vide nemini dixeris*] Diversae causae afferuntur indicti silentii. Alibi non nego modestiae exemplum nobis a Christo datum. Sed hoc loco videtur mihi Christus non diutius silentium imperasse quam dum se ille stitisset Sacerdoti explorandum, ne si ante ad Sacerdotes pervenisset rumor ab Iesu hoc esse factum, Sacerdotes, quorum ea notio erat, invidiae veneno tacti, hominem a scabie mundatum adhuc immundum pronuntiarent. Notandum enim est hoc miraculum in Galilaea accidisse, quod priora ac posteriora indicant et apertissime Marc. 1: 39. Sacerdotes autem Hierosolymis erant: quare sanatus iste a Christo iussus est quantum poterat properare: id enim notant illa apud Marcum εὐθέως ἐξέβαλε [*statimque eiecit illum*], scilicet ne fama ipsum anteverteret. Evocandus autem erat extra portam Sacerdos, ut ibi de morbo iudicaret.

Τῷ ἱερεῖ, *Sacerdoti*] Cuivis e Sacerdotum numero, cui caeteri eam provinciam delegaverant, Levit. 13: 22. Sacerdotes autem Hebraei, non minus quam Aegyptiorum παςοφόροι [*palliati*], omnibus Sapientiae partibus operam dabant; atque inter eas etiam cognoscendae rerum naturae corporumque affectionibus: in qua parte qui plurimum profecisset, ei morbidorum inspectio mandabatur.

Τὸ δῶρον, *munus*] At duplex munus debebat scabie purgatus, primum passerculos duos cum cedro, cocco et hyssopo; deinde et agnos duos, aut si pauperior esset agnum unum cum pari turturum aut columbarum addita simila et oleo. Sed cum Marcus et Lucas diserte exprimant τὸ δῶρον περὶ τοῦ καθαρισμοῦ [*munus pro emundatione*], prius illud munus hic intelligi satius est quod dabatur ביום טהרתו, id est, αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ τοῦ καθαρισμοῦ [*die emundationis suae*], Levit. 14: 2, 8, cum posterius illud daretur octavo post die, idque partim in sacrificium ἱλαςικὸν [*pro peccato*], partim in holocaustum.

Εἰς μαρτύριον αὐτοῖς, *in testimonium illis*] Ut nimirum post id munus acceptum fateri debeant mundum te esse. Neque enim recipiebatur munus nisi post valetudinem...

diligenter exploratam. Ita illud *μαρτύριον αὐτοῖς* pro argumento quo quis convinci possit sumitur infra 10: 18, Marc. 6: 11, 13: 9, Iac. 5: 3.

5. *Προσῆλθεν αὐτῷ, accessit ad eum*] Sicut Latine *convenire aliquem* dicimur etiam per epistolam, ita et *προσέρχεσθαι* Graece usurpatur citra praesentiam corporis. Sic et Deo *προσέρχεσθαι* [Deum *adire*] dicimur Hebr. 4: 16, 7: 25, 10: 22, 11: 6. Et *προσέλευσις* pro libello supplice sumitur. Quamquam, etiamsi proprietas vocis hac in parte non suffragaretur, sufficere deberet illud in Iure receptissimum, *facere nos et quod per alium facimus.* Ita et infra 11: 3 Iohannes dixisse dicitur quae per discipulos nuntiabat. Atque ita haec et sequentia exponenda esse non dubito. Nam ut aliam credamus historiam a Luca narrari, tanta circumstantiarum *ταυτότης* [*in idem concursio*] non patitur: neque magis vero simile est post allegatos ad Christum Seniores Iudaeos et familiares alios, ipsum Centurionem venisse ad colloquium Christi, cum eadem plane *κατὰ λέξιν* [*verbo tenus*] Lucas narret per amicos dicta quae hic adscribuntur Centurioni, addatque cum rediissent amici ut legationis suae eventum renuntiarent, iam revaluisse servum. His adde quod Lucas vocem *λέγων* [*dicens*] eandem quae hic exstat usurpat de Centurione ea commemorans quae verbis ipsius per alios dicebantur: et *τὸ παρακαλεῖν* [*praecipere*] ipse a Centurione allegatis tribuit, quod hic tribuitur Centurioni. Est ergo hoc unum ex iis quae a Matthaeo *παχύτερον* [*crassius*] tradita Lucas *ἀκριβέστερον* [*distinctius*] exsequi voluit.

6. *Παῖς μου, puer meus*] Mos veterum dura molliter efferendi. Nec Hebraei tantum ita loquuntur, ut videre est 1 Sam. 21: 2, 5, 1 Reg. 20: 15, Esth. 2: 2, sed et Aristophani *παῖς*, et Terentio, Ciceroni, Horatio *puer* servum significat. Sic et dominus *paterfamilias* dicebatur. Macrobius: *Nostri maiores omnem dominis invidiam, omnem servis contumeliam detrahentes, dominum patremfamilias, servos familiares appellaverunt.* Vide si libet Servium ad illud Maronis, *Claudite iam rivos pueri*, et Plinium in Epistolis. Tertullianus: *Gratius est pietatis nomen quam potestatis: etiam familiae magis patres quam domini vocantur.*

Bé-

Βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ, decumbit domi] *Βεβλῆσθαι decumbere* interpretor, ut infra de febricitante commate 14, et de alio cui nervi itidem resoluti, initio capitis sequentis. Decumbebat ergo iste, et, quod Lucas in hac historia addidit, cum mortis periculo: quare credibile est *παράλυσιν* hic dici non partis sed totius corporis resolutionem, *ἀποπληξίαν* scilicet. Nam suo tempore hanc etiam *παράλυσιν* dictam docet Celsus. Accedit quod Medici *ἀποπληξίαν* vehementiorem dicunt insanabilem: quod auget orandi causam et magnitudinem beneficii.

Βασανιζόμενος, et male torquetur] Vox haec est, ut multae aliae, isto sensu Hellenistica, quam propterea ut minus Graecam culpat Lucianus Pseudosophista: non autem dolorem vox ista significat, quo carent siderati, sed miseram corporis constitutionem.

8. *Ἀποκριθεὶς, respondens*] Secunda legatione, quae Christo iam adventanti obviam processit.

Ἑκατόνταρχος, Centurio] Romani in Iudaea non minus quam per alias imperii sui partes in potissimis urbibus milites habebant ad continendos in officio provinciales. Iosephus de Vespasiano: *Ἐγκαθιστὰς ἑκατοντάρχους πόλεσι* [*Cum Centuriones urbibus imposuisset*]. Hierosolymis maior erat numerus sub Tribuno et Centurionibus: Caesareae, Capharnaumi atque aliis in locis pauciores erant sub Centurionibus, quam Romanam vocem ut vulgo notissimam Syrus servavit.

Οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς, non sum dignus] Sciebat se magnam vitae partem exegisse in cultu falsorum Deorum et aliis mundi inquinamentis. Videbat Iudaeos, in quorum gratiam etiam synagogam exstrui curaverat, convictum ipsius propiorem abhorrere. His motus de se quam humillime sentiebat.

Εἰπὲ λόγον, dic verbo] Excitavit Centurionem fama tum eorum quae fine capitis quarti narrata sunt, tum proxime sanatae vitiliginis: neque enim ille servaverat reticentiae Legem ut ex Marco et Luca apparet. Sed talibus narrationibus, etiamsi testimoniis validis nitantur, fidem nemo adhibet, nisi qui de Dei potentia recte sentit.

9. *Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας· καὶ λέγω τούτῳ, nam et ego homo*

sum

ι sub potestate constitutus, habens sub me milites, lico huic] Hebraismus, εἰμὶ καὶ λέγω [sum et dico] ὢν λέγω [cum sim, dico]. Sensus enim est: Καὶ ἐγὼ ἄνθρωπος ὢν ὑπ' ἐξουσίαν, ἔχων δὲ ὑπ' ἐμαυτὸν τιώτας, λέγω τούτῳ. Nam et ego cum sim alienae ditus potestati, tamen militibus, in quos potestatem eo, verbo quid fieri velim edico. Simile est illud li Rom. 6: 17. Χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ρτίας, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον ιχῆς [Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, listis autem ex corde in eam formam doctrinae in m traditi estis], pro ὅτι οἱ πρὶν ὄντες δοῦλοι τῆς ἁμαρ- ὑπηκούσατε [quod qui prius fuistis servi peccati obe- is]. Nec aliter infra 11: 25 et 18: 21, ut ibi dicemus. longe aliter infra 23: 16. Neque enim reprehenditur Pharisaeis quod proselytos faciant, sed quod factos rumpant. Centurio igitur tacite se, alieno imperio sub- ım nec potestate praeditum nisi quae esset ὑπάλληλος balterna], Christo comparat, quem plane summa ac rrima potestate praeditum agnoscit. Ait autem se esse ἐξουσίαν [sub potestate], nimirum non Imperatoris tum et Procuratoris, sed et Tribuni. Et proprie hic itur vox ἐξουσίας, quomodo οἱ ἐπ' ἐξουσίας [potestate editi] dicuntur qui aliis imperant, et tutela definitur ισία κατ' ἐλευθέρας κεφαλῆς [potestas in caput liberum]. ›d autem hic ait Centurio se sub imperio constitutum, alios vicissim imperium habere, ea de re locus est ıus legi in Papinii Sylvis:

——— *Vice cuncta reguntur,*
Alternisque premunt.

i et exempla subiicit, imitatus ut videtur Philiscum, allatis itidem exemplis ita concluserat sententiam:

——— Πάντα δ' ἂν σκοπῇς, ὅλως
Ἑτέρων πέφυκε μειζόνων ἐλάττονα·
Τούτοις ἀνάγκη ταῦτα δουλεύειν ἀεί.
[——— *Iuris alieni vides*
Quodcunque rerum est: parva sub magnis iacent;
Aliisque debent alia servitii fidem.]

Ὀρεύθητι, καὶ πορεύεται, *veni, et venit*] Citra excep- em, ut mos habet disciplinae militaris, quae non

 sci-

sciscitando imperia sed parendo constat. Ideo apud Tacitum reprehenditur miles qui imperia Ducum interpretari mallet quam exsequi.

10. *Οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίςιν εὗρον, ne in Israël quidem inveni tantam fidem*] Πίςις hoc loco firmam de Divina in Iesu potentia animi persuasionem significat. Haec autem in Romano homine maior fuit quam in Israelitis antehac sanatis, quia vim Divinam credebat efficacem satis esse sine ullo contactu. Vide historiam quae est 2 Reg. 4: 30.

11. *Πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι, multi ab Oriente et Occidente venient*] Sensus est: Quemadmodum hic ἀλλόφυλος [*Gentilis*] de Divina in me potentia supra Iudaeos persuasus sanitatem corpori afflicto impetravit, ita ex Gentibus plurimi simili persuasione ad me confugientes aeternam salutem consequentur. Apud Lucam est plenius, *ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν, ἀπὸ βοῤῥᾶ καὶ νότου* [*ab Oriente et Occidente, ab Aquilone et Austro*], quomodo Graeci quoque et Latini loqui solent quoties significare volunt omnes orbis regiones: sed et Hebraei, ut patet Esai. 43: 5 et 11: 12, et alibi. Aperte autem respicit Christus promissionem Iacobo factam Gen. 28: 14.

Ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ, recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob] Τὰ νοητὰ [*res intelligendae*] describi solent imaginibus τῶν αἰσθητῶν [*rerum sensibilium*]. Ita virtutes Divinae humanis membris exprimuntur: coeleste gaudium convivii specie depingitur. Qui mos a vetustissima aetate deductus Poetis et Thalmudistis et Mahumeti uberem fabulandi materiam praebuit. De more discumbendi agemus infra 26: 20. Est autem notanda ἔμφασις [*praegnans locutio*] in hoc verbo ἀνακλιθήσονται, quasi diceretur: Omnes Iudaei tam sanctos se existimant ut cum extraneo nolint cibum capere; at multi extranei cum ipsorum Maioribus, quorum nomina Iudaei solent iactare, cibum capient, ipsis Iudaeis exclusis.

12. *Υἱοὶ τῆς βασιλείας, filii autem Regni*] Sicut בן מות [*filius mortis*] Hebraeis est *mortis damnas*, υἱὸς θαλάμου [*filius thalami*] is qui in thalamum admittitur, ita *filii Regni* sunt quibus ex Federis privilegio Regnum prae

cae-

caeteris destinabatur, nisi ipsi sibi obsisterent. Vide Rom. 9: 4.

Τὸ ἐξώτερον] Locorum nominibus statum vitae alterius exprimi ante diximus: quare τὸ ἐξώτερον σκότος [*tenebrae exteriores*], et hic et infra 22: 13 et 25: 30, poenas significat non quaslibet, sed graviores, quibus ad pleniorem notationem omnibus iisdem locis additur *fletus et dentium stridor*. Agitur autem omnibus istis locis de iis quibus maxime testata fuit Dei voluntas, quod genus hominum duplis suppliciis puniendum alibi Christus pronuntiat. Est ergo σκότος ἐξώτερον status qui longissime remotus est a coelesti gaudio, quod *lucis* nomine solet appellari. Hunc statum mystice notat Ps. 49: 20. Iosephus ᾅδην σκοτιώτερον [*Inferos tenebricosiores*] dixit Belli Iudaici lib. III, quomodo Aeschylo et Graecorum aliis τάρταρος νέρθεν ᾅδου [*tartarus infra Inferos*], et Statius:

Indeprensa tenent nobis qui Tartara, quorum
Vos estis superi.

Ita Salvianus alicubi monet quosdam: *Ut si beati fieri posse desperent, certe operam dent ne urantur, ne torqueantur, certe ne in tenebras exteriores iniiciantur.* Eandem interpretationem hic sequitur Theophylactus.

Κλαυθμὸς, fletus] Esai. 65: 14.

Βρυγμὸς τῶν ὀδόντων, stridor dentium] Ex Ps. 112: 10.

13. *Ὕπαγε, vade*] Hebraei cum quod petitur concedunt solent dicere לך, ut 1 Sam. 17: 37, ubi LXX habent πορεύου [*vade*], 2 Sam. 14: 8, ubi alii itidem habent πορεύου, ipsi βάδιζε. Sic ὕπαγε usurpatur infra Marc. 5: 34, 7: 29, 10: 52. Πορεύου apud Lucam 7: 50, 8: 48, Ioh. 4: 50 et 8: 11. Diximus alibi ὕπαγε nonnunquam aversantis esse. Est et imperantis, ut infra 21: 28, Marc. 6: 38, 16: 7. Has significationes distinguebat pronuntiatio. Interdum in prima illa notione addebatur ἐν εἰρήνῃ [*in pace*], vel simile aliquid, ut aliquot locis iam citatis videre est. Neque dubium quin Syri זל, quod hic habet interpres, simili modo usurpaverint, ut non tam verbi quam interiectionis vim haberet. Est eadem vox Esd. 5: 15.

Ἐπίστευσας, credidisti] Quod me posse credidisti, effectum habe.

'Εν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ, in illa hora] Sic αὐτῇ τῇ ὥρᾳ vertunt LXX Dan. 4: 30, ubi in Chaldaico est שעתא בה *ipso illo temporis momento*. Occurrit et infra ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης sensu eodem 15: 28, 17: 18.

14. *Εἰς τὴν οἰκίαν Πέτρου, in domum Petri*] In quam Petrus et Andreas quoties erant Capharnaumi recipere se solebant. Credibile enim est socrus domum fuisse, cum Petrus et Andreas Bethsaidae habuissent larem antequam Christum sectarentur.

17. *Ὅπως πληρωθῇ, ut adimpleretur*] Sicut Veterum res gestae rerum Christi figuram habuerunt, ita et ipsius Christi actiones aliae aliis denotandis inservierunt. Nam beneficium corporibus redditae sanitatis quin figuram remissionis peccatorum et sanatarum mentium tulerit, dubitari non potest. Bis ergo impletum est vaticinium; prius, cum Christus semet defatigans ad vesperam usque aliorum morbis levandis vacavit, ut hic ostendit Matthaeus; posterius, cum crucis supplicium perferens remissionem peccatorum nobis impetravit, ut docet Petrus 2 Epistola 2: 24. Nam eundem locum Esaiae a Petro respici docet collatio versionis LXX, quam ferme κατὰ πόδας [*verbo tenus*] Petrus sequitur.

'Ασθενείας, infirmitates] חליינו proprie admodum LXX et Petrus ἁμαρτίας [*peccata*], respicientes sensum secundum ac pleniorem.

'Εβάστασεν, portavit] *Abstulit* interpretatur Tertullianus. Sed est in hac voce, ut et in Hebraea סבל, et ei simili טען quam hic Syrus posuit, *oneris* quaedam, id est, molestiae, significatio: sicut et quod praecessit ἀνέλαβε est quasi dicas *in humeros sustulit*. Sensus est ergo, Christum ut morbos hominibus demeret, nullos labores quantumvis intempestivos defugisse. Nam quod hic, neque minus apud Marcum et Lucam, tempus exprimitur *post solem occasum*, habere suam ἔμφασιν [*notionem praegnantem*] non male a Theophylacto notatum est. Sed neque altera circumstantia omittenda est, quod Christus inter haec pene oblitus sit hominum concurrentium turba, quod Marcus et Lucas annotandum putaverunt cum paralytici sanati historiam referrent. Sane Esaias etiam praeter mortem, molestias aerumnasque

que multas Christi in obeundo munere μυςικῶς [*sub figura*] describit. Eandem vim verbi סבל Paulus expressit cum dixit Rom. 15: 1, τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαςάζειν [*imbecillitates infirmorum sublevare*], et Gal. 6: 2, ἀλλήλων τὰ βάρη βαςάζετε [*alter alterius onera portate*], hoc enim vult, sublevandos alios etiam cum nostro aliquo incommodo. Bis igitur impletum est Esaiae vaticinium etiam in Christo: primum in morborum sanatione, non sine Christi molestia, deinde multo perfectius in ipsa morte quae animi morbos sustulit.

18. Ἐκέλευσε ἀπελθεῖν εἰς τὸ πέραν, *iussit ire trans fretum*] Est ἔλλειψις [*dictionis defectio*] pro ἐκέλευσε πάντα ἑτοιμάσαι εἰς τὸ ἀπελθεῖν [*iussit parari omnia ad abeundum*]. Nam in navi cum esset, tum demum iussit se transvehi.

19. Ἀκολουθήσω σοι ὅπου ἐὰν ἀπέρχῃ, *sequar te quocunque ieris*] Erat hic Legisperitus, quales plerique eius aevi, honorum et lucri studiosus: quare cum magnam Christo tot miracula edenti potentiam brevi adfuturam opinaretur, sectam eius profiteri voluit. Sed Christus paupertatem suam profitens, ipsum hominis ulcus tetigit.

20. Αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσι, *vulpes foveas habent*] Est in hac Comparatione δεινότης [*in dicendo vehementia*] quam Plutarchus observat in simili illa Tiberii Gracchi: Τὰ μὲν θηρία τὴν Ἰταλίαν νεμόμενα καὶ φωλεὸν ἔχει, καὶ κοιταῖόν ἐςιν αὐτῶν ἑκάςῳ καὶ καταδύσεις· τοῖς δὲ ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας μαχομένοις καὶ ἀποθνήσκουσιν ἀέρος καὶ φωτὸς, ἄλλου δὲ οὐδενὸς μέτεςιν, ἀλλ' ἄοικοι καὶ ἀνίδρυτοι μετὰ τέκνων πλανῶνται [*Ferae quae Italiam depascuntur et lustra habent et cubilia et receptus. At iis qui pro Italia et pugnant et moriuntur patent aër et lux, praeterea nihil: sine lare, sine certa sede cum liberis palantur*].

Κατασκηνώσεις, *nidos*] Quin vox haec ad arborum ramos pertineat dubitaturum non puto qui loca infra 13: 32, Marc. 4: 32 et Luc. 13: 19 inspexerit.

Ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *filius autem hominis*] Obiecerunt Christianis Pagani et Sectarii hanc appellationem, quasi virginali partui contrariam: quod quomodo solverint Veteres videre est apud Scriptorem Responsionum ad Orthodoxos. Simplicissimum autem erat id dicere quod

Tryphoni dixit Iustinus: *Πατέρας τῶν γεννωμένων ταῖς θυγατράσιν αὐτῶν τέκνων τοὺς τῶν θηλειῶν γεννήτορας ἐπιςάμεθα* [*Scimus feminarum genitores dici parentes eorum qui ex iis feminis nati sunt*]. Sed cum Christus nunquam hoc modo nisi a se ipso appelletur, quaerenda est alia vocabuli huius ratio. Sciendum igitur אדם [*hominem*] et בן אדם [*filium hominis*] Hebraeis saepissime designare hominem contemtae sortis. Palam est אדם ita sumi Iud. 16: 7, 11, et Ps. 82: 7, nec aliter בנות האדם [*filias hominis*] Gen. 6: 2, veteres Hebraei interpretantur, quibus opponuntur, ut eorum multi censent, בני האלהים [*filii Dei*], id est, בני האיתנים *υἱοὶ τῶν ἡρώων*, aut ut Graeci post LXX verterunt, *τῶν δυναςευόντων* [*Summatûm*], ut et Chaldaeus vertit; quomodo decem illos primae aetatis pios Patres appellare solebant Hebraei. Sic et in Ps. 49: 3 opponuntur בני אדם iis qui ibidem dicuntur בני איש [*filii viri*], ubi בני אדם LXX verterunt *γηγενεῖς*, id est, *ignobiles*, quos et Latini *Terrae filios* vocabant. Sic Ezechiel, Daniel, Zacharias cum Angelis versantes appellatione *filii hominis* suae fragilitatis admonentur: quo significari vilitatem notatum et Iacchiadae ad Dan. 10: 16. Neque aliter בר אנש accipiendum apud Danielem 7: 13. Dicit enim ei qui *filius hominis*, hoc est, contemtae sortis videbatur, datam esse Regiam potestatem. Describit ergo hac voce Christus suam illam *κένωσιν* [*exinanitionem*] de qua agitur Phil. 2: 7. Nec aliud est hic *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* quam apud Esai. 53: 3, נבזה וחדל אישים [*despectus et relictus ab hominibus*].

Οὐκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ, non habet ubi caput reclinet] Adeo se remotum a divitiore fortuna Christus ostendit ut ne domum quidem habeat propriam. Habitavit ergo Capharnaumi in conducto, aut divertit apud discipulos. Vide supra comm. 14.

21. *Τῶν μαθητῶν, de discipulis*] Philippum hunc fuisse docet nos Clemens Alexandrinus ex antiqua traditione.

Θάψαι, sepelire] Id est, eousque patri adesse doneo ei faciam supremum officium. Vide Tob. 4: 3, 14: 12. Satis mature post patris mortem putabat se Christi sectatorem fore et praecepta eius hausurum. Christus ostendit auditioni sermonum suorum nihil esse antehabendum,

sed

sed rapiendam ambabus manibus discendi occasionem. Agi enim rem maximam, consecutionem aut iacturam vitae aeternae. *Etiam sepelire patrem tardum erat fidei*, ait Tertullianus libro De Idololatria.

22. *Ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς, dimitte mortuos sepelire mortuos suos*] Christus ex rebus obviis occasionem sumere solebat suarum sententiarum. Ita cum ille ab ipso vocatus excusasset se sepulturae officio, Christus et Legem et Legis sensum spiritualem illi atque aliis in memoriam revocavit. Lex tum Pontifici Maximo tum Nazaraeo praescripta erat Levit. 20 et Num. 6, ne quantumvis proximorum exsequiis interessent. Nam corpus anima cassum, ut Philo explicat fine *τῶν ἐν εἴδει νόμων* [*De legibus specialibus*], significat res eas omnes quae corporales sunt et ad animum nihil pertinent. Ab harum rerum cura abstrahere se debent qui Deo inserviunt. Iam vero Christiani *Sacerdotes* vocantur et *Nazaraei:* ad hos igitur, et inter hos peculiariter ad Euangelii praecones, praecipue pertinet praeceptum illud intellectum *πνευματικῶς* [*spiritualiter*]. Philo De Sacerdote: *Παρ' ἣν αἰτίαν ἀμίαντος ἀεὶ διατελείτω, μὴ προσαπτόμενος νεκροῦ σώματος, ὅπως τὰς ὑπὲρ τοῦ κόσμου εὐχὰς καὶ θυσίας ἕτοιμος ὢν ἐν καιροῖς τοῖς προσήκουσιν ἀκωλύτως ἐπιτελῇ· καὶ γὰρ ἄλλως προσκεκληρωμένος Θεῷ καὶ τῆς ἱερᾶς τάξεως γενόμενος ταξίαρχος, ὀφείλει πάντων ἀλλοτριοῦσθαι τῶν ἐν γενέσει, μὴ γονέων, μὴ τέκνων, μηδὲ ἀδελφῶν εὐνοίας οὕτως ἡττώμενος, ὡς ἢ παρελθεῖν ἢ ὑπερθέσθαι* (hoc est proprie de quo hic agitur) *τι τῶν ὄντων ὃ πραχθῆναι αὐτίκα ἄμεινον* [*Ea de causa maneat semper impollutus, non attingens corpus mortuum, ut paratus suis temporibus peragat preces et sacrificia pro genere humano, nullo intercedente impedimento. Nam certe cum Deo dicatus sit et sancti ordinis princeps, debet seorsim se habere a rebus genitis: neque liberûm neque parentum neque fratrum amore ita vinci ut aut omittat aut differat quicquam eorum quae quam primum fieri optimum est*]. Est autem in dicto hoc Christi docta allusio in duplici significatu vocis *νεκρῶν*. Nam *νεκροὶ* dicuntur proprie ipsa cadavera, ut in parte dicti posteriore, per quae tamen, ut diximus, intelligi debent res omnes ad ani-

animum non pertinentes; improprie vero homines a vera disciplina, quae animi vita est, alieni. *Ἐν γὰρ τῇ βαρβάρῳ φιλοσοφία*, inquit Clemens, *νεκροὺς καλοῦσι τοὺς ἐκπεσόντας τῶν δογμάτων καὶ καθυποτάξαντας τὸν νοῦν τοῖς πάθεσι τοῖς ψυχικοῖς* [*In Barbara enim Philosophia mortuos vocant eos qui rectis placitis exciderunt, et mentem manciparunt animae affectibus*]. Philo *Θάνατον ἐκ τιμωρίας* [*Poenalem mortem*] definit, *ὅταν ἡ ψυχὴ τὸν ἀρετῆς βίον θνήσκῃ, τὸν δὲ κακίας ζῇ* [*ubi anima, vitae quae secundum virtutem mortua, vivit vitiis*], et alibi: *Οἱ ἄθλιοι τὰς ψυχὰς τεθνᾶσιν* [*Miseri mortui sunt animos quod attinet*], multaque in eam sententiam occurrunt apud Hebraeos et Arabas Scriptores. Hausit hoc quoque ut alia ab Orientis Philosophia Pythagoras, *τὰς τῶν Ἰουδαίων δόξας μιμούμενος* [*Iudaeorum sectans sententias*], ut de eo scribebat Hermippus; siquidem *καὶ πρὸς Ἑβραίους ἀφίκετο* [*nam et ad Hebraeos pervenerat*], ut de eo ex Diogene scribit Malchus: unde mos ortus, ut his qui coetu Pythagoreorum essent eiecti cenotaphia struerentur, quod Hipparcho cuidam factum legimus. Arrianus Epict. IV. 5, *Ταὐτου τὸ αἰδῆμον ἀπονενέκρωται* [*Verecundia talis hominis emortua est*]. Sensus ergo verborum Christi est, eorum esse curam rerum corporalium animi culturae antevertere quibus animus hebes atque iners torperet. — Sunt et aliae leges duae apud Mosem quae significationem aliquatenus habent similem. Nam qui nec Sacerdotes essent, nec voto adstricti, non vetabantur cadaver tangere; sed si tetigissent erant ad tempus aliquod impuri et aqua lustrandi. Deinde Iudaei omnes vetabantur edere carnem animalis fato suo emortui. Cuiusmodi instituta etiam extra Iudaicam Rempublicam observare est. Nam prioris illius mentio est apud Euripidem:

> *Τὰ τῆς Θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα,*
> *Ἥτις, βροτῶν μὲν ἄν τις ἅψηται φόνου*
> *Ἢ καὶ λοχείας ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν,*
> *Βωμῶν ἀπείργει.*
> [*Mihi ista Divae non placet sapientia,*
> *Quae, si quis ulla caede foedavit manus*
> *Vel inane corpus vel puerperium attigit,*
> *Hunc arcet aris.*]

In

In Chrysippi libris erat: *Τὸ προελθεῖν ἀπὸ λέχους ἢ θανάτου πρὸς ἱερὸν, ἀλόγως διαβέβληται* [*Immerito culpatur ire ad templum recta a puerpera aut a mortuo*]. In Calpurnii sententiis: *Magis religio polluitur funestato quam mortuo sacerdote.* Apud Tacitum: *Neque Imperatorem auguratu et vetustissimis ceremoniis praeditum attrectare feralia debuisse.* Quibus locis videre est etiam puerperarum contactu homines impuratos; quod et Lex Mosis praescribit, incertum an, ut alia quaedam, etiam ante moribus usurpatum: ut videri haec possint a Noae liberis profecta. Alterius testem habemus Hieroclem, qui inter Pythagorae praecepta refert: *Τὸ θνησιμαίων ἀπέχεσθαι* [*Abstine a morticinis*], quo avocatos ait discipulos ipsius a cura rerum mortalium. Meminit eius moris et Porphyrius Epistola ad Anebonem et Aelianus lib. IV.

23. *Οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, discipuli eius*] Hic quoque plures illis duodecim intelligi satis apparet ex comm. 27.

24. *Σεισμὸς μέγας, motus magnus*] סער גדול Ion. 1: 4. *Moti fluctus* Virgilio; aliis *motum mare.* Sed et *quati aequora* dicunt Poetae.

25. *Σῶσον ἡμᾶς, salva nos*] הושיעני. Ps. 3: 8.

26. *Ὀλιγόπιστοι, parum fidentes*] Confidere debuerant, se, dum Christum comitabantur, in peculiari esse Dei tutela; quia id Divinae bonitati erat consentaneum. Ostendit ergo Christus *δειλίαν*, hoc est, trepidam illam formidinem quae de sede sua animum dimovebat, prolem esse *τῆς ὀλιγοπιστίας* [*defectus fidei*]. Nimirum, ut Varro olim dicebat, Deus a religioso veretur, a superstitioso timetur, anxio scilicet metu; cuius exemplum nobile habemus in illo qui ad quemvis tonitrus sonum abditissimas latebras quaerebat. Contra verum est quod Aristoteles aliovorsum tamen dixerat, habere cur forti excelsoque sint animo qui de rebus Divinis recte iudicant.

Ἐπετίμησε τοῖς ἀνέμοις] Figurata locutio, qualis Ps. 106: 9, id est, *ventos compescuit.*

27. *Ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ; quia venti et mare obediunt ei*] Incipiunt maius quiddam humana magnitudine in Christo suspicari. Nam Dei *ἐπίθετον* est in Ps. 65: 8, משביח שאון ימים, *compescens fremitum marium.* Adde Ps. 107: 25.

28. *Τῶν Γεργεσηνῶν, Gergesenorum*] Ex reliquiis Chananaeorum.

Ἐκ τῶν μνημείων, de monumentis] Putat Theophylactus viguisse eo tempore dogma animas hominum mortuorum Daemonas fieri. Mihi vero similius est, creditum a multis animas mortuorum circa cadavera haerere et in Daemonum esse potestate. Nam et nunc Iudaei talia tradunt, et olim ei probando historia Pythonissae Samuelem Sauli excitantis abutebantur, quae opinio ad Christianos etiam manavit, ut videre est in Colloquio Iustini cum Tryphone. Hanc ergo opinionem *καὶ τὴν νεκυομαντείαν* [*et vaticinia ex mortuis*], ut in animis hominum foverent Diaboli, multum in sepulchretis versati sunt, ac pleraque *φάσματα* [*spectra*] ad hominum mortuorum instar effinxerunt.

29. *Τί ἡμῖν καὶ σοί, quid tibi nobiscum*] Hoc si ex usu Latini sermonis interpreteris contemtum videtur inducere. Ita enim Latini aiunt: *Quid tibi mecum est?* At Hebraeis aliud significat, nimirum: Cur mihi molestiam exhibes? Quod clare apparet 2 Sam. 16: 10, et 2 Paral. 35: 21. Nec aliter accipio quod est Ioel. 3: 4. Negat enim Deus se Tyriis aut Sidoniis causam ullam dedisse cur populo suo infesti essent. Et eodem prope sensu apud Curtium hoc loquendi genus usurpant Scythae: *Quid nobis tecum est? nunquam terram tuam attigimus.*

Πρὸ καιροῦ, ante tempus] Ante diem illum iudicii in quem servari se norunt impuri Spiritus, 2 Petr. 2: 4, Iud. 6.

Βασανίσαι, torquere] Mali cum iniuriam facere non sinuntur iniuriam se accipere existimant. Hoc est mitti *εἰς ἄβυσσον* [*in abyssum*]. Vide quae ad Lucam et ad Apocalypsim.

30. *Ἀγέλη χοίρων, grex porcorum*]. Solere et sues gregatim pasci Aelius Marcianus in Iuris Romani institutionibus probabat his Homeri versibus:

Δήεις τόν γε σύεσσι παρήμενον· οἱ δὲ νέμονται
Πὰρ Κόρακος πέτρῃ, ἐπί τε κρήνῃ Ἀρεθούσῃ.
[*Invenies illum porcis adsidere, Corvi*
Qui pascuntur apud scopulum fontemque Arethusae.]

31.

31. Ἐπίτρεψον ἡμῖν, *permitte nobis*] Ita et Marcus, ἐπέτρεψεν αὐτοῖς εὐθέως ὁ Ἰησοῦς [*concessit eis statim Iesus*]. Lucas quoque eandem vocem bis usurpat, tum in exprimenda postulatione Daemoniorum, tum in narrando Christi facto. Quare cum hoc ipsum Marcus etiam πέμπειν εἰς τοὺς χοίρους [*mittere in porcos*] vocet, apparet verissimum esse vocibus activis saepe nihil aliud quam permissionem, praesertim sapientem ac providam, indicari. Vide loca Gen. 20: 6, 31: 7, Exod. 3: 19, 12: 23, Ps. 16: 10, Act. 2: 27. Eiicere Diabolum ex homine, Christi fuit actio; in porcos ut irent nulla actione Christi erat opus: hoc enim optabant ipsi Diaboli, et viribus nativis id ipsum efficere poterant, dum ne vi maiore impedirentur. Non ergo Christus in hac re vim agentem exseruit, sed vim impedire valentem sustinuit; magnis haud dubie de causis. Habitabant illis in locis, ut ex Iosepho apparet, homines Iudaei Graecis permixti. Graecis in more erat positum ridere Iudaica instituta, praesertim vero abstinentiam a suillis carnibus, tanquam humanae superstitionis inane commentum. Notum est illud Iuvenalis:

Nec distare putant humana carne suillam.

Sed iampridem Anaxandrides Comicus dixerat:

Οὐκ ἐσθίεις ὗεἰ, ἐγὼ δέ γ' ἥδομαι.
[*Non vesceris suilla: mihi nulla est caro*
Quae sapiat melius.]

Et Plato itidem Comicus:

Τῶν γὰρ τετραπόδων οὐδὲν ἀποκτείνειν ἔδει
Ἡμᾶς τὸ λοιπὸν πλὴν ὑῶν· τὰ γὰρ κρέα
Ἥδιστ' ἔχουσι, κ' οὐδὲν ἀφ' ὑὸς γίνεται
Πλὴν ὕστριχες ἡμῖν καὶ πηλός τε καὶ βοαί.
[*Profecto nullum nos quadrupedem occcidere*
Praeter sues decebat: nam suavissima
Caro est suilla, et de sue nil ad nos redit
Praeter clamorem et coenum et setas hispidas.]

Neque alia sententia cuiusdam apud Plutarchum qui Iudaeos dicebat abstinere eo cibo qui omnium esset iustissimus. Eandemque ob causam dicebat Aesopus ex omni animantum genere sues maximum clamorem tractas edere, quia scirent se nisi morientes nulli esse usui. Sic et Caligula Iudaeos Alexandrinos cum irrisu interrogabat:

Διὰ

Διὰ τί χοιρείων κρεῶν ἀπέχεσθε; [*Cur a suilla abstinetis?*] cumque illi varia variarum gentium instituta memorarent, atque inter caetera esse qui ne agnina quidem vescerentur, *Merito*, inquit, *neque enim tam suavis est.* Quidam etiam, ut idem Plutarchus notat, existimabant Iudaeos veneratione quadam eius animalis teneri: quod et Persius voluisse videtur cum ait:

Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Alii alias causas coniectabant; ut illi ex quibus hoc hausit Tacitus: *Sue abstinent, memoria cladis quod ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.* Christus igitur permittens Daemonibus in sues irruere, ostendit Graecis, Iudaeorum religionem ex Dei esse praecepto, simulque Iudaeos qui se Graecorum moribus nimium aptabant, contra Maiorum constitutionem factam Hyrcani temporibus in sepimentum Legis, Ne cui porcum alere liceret, admonuit de mystico Legis sensu, significans homines qui se in foedis voluptatibus suum more volutarent, Deo quam maxime displicere et Diaboli esse mancipia. Barnabas Apostolus: *Οὐδὲ ἐν ὁδῷ ἁμαρτωλῶν ἔστη, καθὼς οἱ δοκοῦντες φοβεῖσθαι τὸν Κύριον ἁμαρτάνουσιν ὡς ὁ χοῖρος· πεινῶν γὰρ κραυγάζει, πληρωθεὶς δὲ τὸν δεσπότην οὐ γνωρίζει* [*Neque in via peccatorum stetit, sicut quidam qui Deum timere videntur peccant suis instar; nam sus dum esurit clamat: ubi satiata est, dominum non novit*]. Philo: *Παγκάλως τοὺς οὕτω βιοῦντας τῶν σοφιστῶν ὁ νομοθέτης τῷ σύων παραβάλλει γένει· διαυγεῖ μὲν οὐδενὶ καὶ καθαρῷ, θολερῷ δὲ καὶ βαραθρώδει βίῳ καὶ τοῖς αἰσχίστοις ἐμφερομένῳ* [*Egregie sapientiae simulatores qui ad eum vivunt modum Legum Scriptor suum generi comparat; quae vitam non quaerunt limpidam ac puram, sed coenosam et res foedas dictu*]. Idem alibi eos qui se saginae et potui mancipant ait *συὸς τρόπον ἐν βορβόρῳ διαιτωμένους χαίρειν* [*suis in morem gaudere cum in luto versantur*]. Quibuscum conferenda quae legimus 2 Petr. 2: 22. Eandem interpretationem mysticam legis de suilla carne non edenda aut ex Philone aut ex Apostolorum traditione acceptam pulchre explicat Lactantius libro IV Institutionum, cap. 17. *Eodem spectat etiam suillae carnis interdictio. A qua cum eos abstinere Deus*

ius-

iussit, id potissimum voluit intelligi, ut se a peccatis atque immunditiis abstinerent. Est enim lutulentum hoc animal atque immundum, nec unquam coelum adspicit, sed in terra toto et corpore et ore proiectum ventri semper et pabulo servit; nec ullum alium, dum vivit, praestare usum potest, sicut caeterae animantes, quae vel sedendi vehiculum praebent, vel in cultibus agrorum iuvant, vel plaustra collo trahunt, vel onera tergo gestant, vel indumentum exuviis suis exhibent, vel copia lactis exuberant, vel custodientes domibus invigilant. Interdixit ergo ne porcina carne vescerentur, id est, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur: ne ventri ac voluptatibus servientes ad faciendam iustitiam inutiles essent ac morte afficerentur. Ad hanc ergo Mosis legem Christus ut verbis alias, ita nunc facto digitum intendit. Simul autem ostensum voluit, quomodo Deus sapientissimus vim Diaboli limitibus quibusdam circumscribat, ut in Iobi historia videre est: quod ni esset, haud dubie acturum cum hominibus Diabolum quemadmodum cum porcis istis agebat. Observat etiam contra Manichaeos Augustinus tum ex hoc loco tum ex illo de ficus exsecratione, nullam esse hominibus iuris societatem aut cum belluis aut cum arboribus.

34. *Ὅπως μεταβῇ ἀπὸ τῶν ὁρίων, ut transiret a finibus*] *Prae metu*, ut Lucas explicat. Nimirum peccatorum sibi conscii vim in Christo Divinam metuebant. Confer locum 1 Reg. 17: 18. Et verba Iobi de hominibus aetate Diluvii cap. 22: 17.

CAPUT IX.

1. *Εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν, in civitatem suam*] Etiam in Romano Iure *civitas nostra* dicitur ubi larem fiximus. Capharnaumum autem Christum immigrasse iam ante a Matthaeo erat proditum. Quare miror veterum et recentium quosdam Nazaretham hic interpretari, cum Capharnaumi haec esse acta mihi satis certum videatur Marci testimonio 2: 1.

2. *Τὴν πίστιν αὐτῶν, fidem illorum*] Sicut Centurionis ser-

servo profuerat domini fides, ita prodest huic aegroto fides amicorum: quanquam et ipsi fiduciam non defuisse credibile est.

Θάρσει τέκνον· ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου, confide fili: remittuntur tibi peccata tua] Percellebat ipsum haud dubie facinorum graviorum conscientia, quae timebat obstitura sibi quominus sanitatem reciperet. Nam quia non omnia contra Legem delicta ad iudicum cognitionem perveniebant, ideo Deus mortis intempestivae atque etiam morborum comminationibus Legem sanxerat, ut videre est Deut. 28: 22 et 27. Sunt quidem et naturales interdum morborum aut vitiorum corporalium causae, Deo permittente, ut videbimus apud Iohannem, cap. 9. Sed hic morbus haud dubie causam trahebat ex ipsius hominis culpa. Quod saepe contingere docemur Ioh. 5: 14, 1 Cor. 11: 30. Quare Christus, ut eum in spem sanitatis erigat, testatur veniam ipsi factam peccatorum. Θάρσει omnino vertendum est *Bono esto animo*, sicut etiam vertit Syrus et hic et infra 22. Hanc enim significationem habet vox ista ubi ponitur ἀμεταβατικῶς [*neutraliter*]. Hinc θαῤῥεῖν κελεύειν, *animum addere*. Deinde τέκνον amica et blanda est compellatio, ut Marc. 10: 24. Non omnino alienum est ab hoc loco quod Plato a Zamolxi dictum refert: Ὅτι ὥσπερ ὀφθαλμοὺς ἄνευ κεφαλῆς οὐ δεῖ ἐπιχειρεῖν ἰᾶσθαι, οὐδὲ κεφαλὴν ἄνευ σώματος, οὕτως οὐδὲ σῶμα ἄνευ ψυχῆς [*Quomodo non tentanda est medicatio oculorum non sanato capite, aut capitis non sanato corpore, ita nec corporis non sanato animo*].

3. *Βλασφημεῖ, blasphemat*] Vocem hanc in Graeco etiam sermone proprie referri ad Dei iniuriam praeter caetera istis Menandri versibus docemur:

> Ὁ λοιδορῶν τὸν πατέρα δυσφημεῖ λόγῳ.
> Τὴν εἰς τὸ θεῖον δὲ μελετᾷ βλασφημίαν.
> [*Qui patrem incilat, voce maledicit patri;*
> *At in hoc se parat ut ipsi maledicat Deo.*]

Est et apud Pythagoricos frequens eius vocis usus. Hierocles τὸ βλασφημεῖν exponit ἀρᾶσθαι κατὰ Θεοῦ ἀνόσια [*impia contra Deum optare*]. Dicitur autem hic βλασφημεῖν non qui Deo maledicit, sed qui quod Dei est sibi arrogat. Vide infra 26: 65, et quod ad Marcum hoc loco

4

4. *Καὶ ἰδὼν Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν, et cum vidisset Iesus cogitationes eorum*] Erat id inter notas Messiae, ut contra Barchochebam observant Thalmudici titulo De Synedrio.

5. *Εὐκοπώτερον, facilius*] Plus est condonare peccatum quam sanare morbum. Sed non aeque facile vanitatis convincitur qui rem inconspicuam pollicetur, quam qui id se facturum spondet quod sub adspectum cadit.

6. *Ἵνα δὲ εἰδῆτε, ut autem sciatis*] Miraculum adspectabile specialiter adhibitum ad probandam rem alteram quae spectari non potest, firmam eius fidem facit. Neque ullas hic preces adhibet, sed imperium nudum. Et aeger non sensim, sed subito totusque revalescit.

Ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι, in terra dimittendi] Illud *ἐπὶ τῆς γῆς* cum verbo *ἀφιέναι* coniungendum Marcus nos docet, ac similis constructio *λύειν ἐπὶ τῆς γῆς* [*solvere in terra*], quanquam non eodem remittendi sensu, invenitur infra 18: 18. Significanter autem a Christo dictum est, sibi, quanquam inter homines vitam agenti mortalem, tantum ius esse concessum. Non igitur agit Christus de annuntiatione veniae, quae Nathani etiam ad Davidem et Prophetis aliis mandata fuerat, sed de potestate peccata suo arbitrio remittendi. Distinguenda tamen est potestas Christo ut homini in terris agenti data ab ea quam post resurrectionem sibi datam profitetur. Illa potestas ad ea extendebatur quae ad ministerii tum suscepti functionem pro locorum ac temporum ratione pertinebant, altera nullis locorum limitibus circumscripta, coelestia omnia ac terrestria complectebatur.

8. *Τοῖς ἀνθρώποις, hominibus*] Ἐναλλαγὴ [*permutatio*] numeri familiaris omnibus prope linguis, quoties aliquid ἀόριστον [*indefinitum*] denotare volumus. Tale est: *Sepultus in urbibus Galaad, Descendit in latera navis:* et quae notabimus infra 21: 7, 27: 44. Sic et pluraliter positum Gen. 27: 29, mox 37 explicatur per singulare; et Os. 2: 1 in Hebraeo plurale est, in Graeco et Latino singulare: et Gen. 21: 7 in Hebraeo plurale, singulare in Graeco. Non hoc plebs admirabatur, isti potissimum Iesu Nazareno hoc ius esse concessum, sed ulli hominum tantum iuris datum esse cum stupore intelligebat. Nul-

lum

lum enim talis rei exemplum in omni vetustate exstabat. Haec autem omnia eo tendebant ut libentius maioreque cum fiducia homines se in Christi traderent disciplinam, confisi se veniam peccatorum non tantum per ipsum sed et ab ipso consecuturos.

9. *Τελώνιον, in telonio*] Ita dictus locus in quo publicum exigebatur. Quare quod in veteri est Glossario, *Τελώνιον, vectigalium, telonatum, mancipatum*, scribendum est *vectigalarium, telonarium, mancipariu*m, ea nimirum forma qua *spoliarium* dicitur. *Mancipes* vocabantur ipsi publicorum redemtores.

Ματθαῖον λεγόμενον, Matthaeum nomine] Eum nimirum qui Apostolus postea est factus, ut apparet infra 10: 3, quique hunc librum scripsit sermone Hebraeo. Video omnes hodie ita existimare hunc eundem esse quem Marcus et Lucas *Levin* nominant: et sane congruunt narrationum circumstantiae. Tamen neque Matthaeus usquam se *Levin* vocat, neque isti Levin *Matthaeum* nominant, neque in recensione Apostolorum Matthaeum alio quam *Matthaei* vocant nomine, cum alios cognomentis suis indigitent. Sed magis me movet quod Heracleon, illis temporibus proximus, recitans eos quibus publicum testimonium apud Potestates Christo exhibendi negata est occasio, nominat Matthaeum, Philippum, Thomam, Levin; quodque ea verba ita citat Clemens Alexandrinus ut quod dicitur non obscure approbet. Sed et Origenes adversus Celsum disputans, cum dixisset Matthaeum publicanum fuisse, addit deinde: *Ἔςω δὲ καὶ Λεβὶς τελώνης ἀκολουθήσας τῷ Ἰησοῦ, ἀλλ' οὔτι γε τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἀποςόλων αὐτὸς ἦν, εἰ μὴ κατά τινα τῶν ἀντιγράφων τοῦ κατὰ Μάρκον εὐαγγελίου* [*Esto vero et Levis qui Iesum sectatus est publicanus; at is ex numero non fuit Apostolorum, nisi secundum quaedam exemplaria Euangelii a Marco scripti*]. Ecce aperte negat Levin Apostolorum fuisse, quanquam, ut ait, Marci quaedam exemplaria id videantur praeferre: unde coniectare licet in recensu Apostolorum libros quosdam Marci nomen *Levi* seorsim a nomine *Matthaei* habuisse. Forte is Levis simul cum Matthaeo vocatus frater fuerat Iacobi, quando utrique pater Alphaeus adscribitur; unusque non illorum duodecim, sed aliorum

Chri-

Christi sectatorum. Quod si recipimus, in huius domo, non in Matthaei domo, ut qui tum omnia sua reliquerat, dicemus celebratum convivium; nam Levin dominum domus nominant alii; Matthaeus autem nude *domum* dixit, domino non nominato. Forte Levis fuit ἀρχιτελώνης, ut Zacchaeus, in cuius ministerio fuerit Matthaeus.

10. *Καὶ ἁμαρτωλοί, et peccatores*] Supra diximus ita Iudaeis vocatos esse eos quos ipsi ob vitae institutum aut morum impuritatem non minus quam profanos ἀλλοφύλους [*alienigenas*] detestabantur.

11. *Ἰδόντες, videntes*] Id est, *cum animadverterent.* Neque enim praesentes fuisse videntur. Eodem sensu vox ista tum in his tum in aliis libris non raro invenitur.

Ἐσθίει, manducat] Contra quam fieri oportere legisperiti docebant. Publicanos autem et similis vitae homines eodem habebant loco quo τοὺς ἀλλοφύλους, unde coniungi solent τελῶναι καὶ ἐθνικοί [*Publicani et Gentiles*].

12. *Οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, non est opus valentibus medicus*] Loquitur Christus ex suppositione: Si vos tales estis quales vobis videmini, sane meae operae non indigetis. Sic Antisthenes cum obiectum illi esset quod cum improbatae vitae hominibus versaretur, *Etiam Medici*, inquit, *cum aegrotis.* Pausanias: *Οὐδὲ ἰατρὸς παρὰ τοῖς ὑγιαίνουσιν, ὅπου δὲ οἱ νοσοῦντες διατρίβειν εἰώθασι* [*Neque Medici ibi esse solent ubi sunt sani, sed ubi aegroti*]. Ovidius III De Ponto, elegia IV.

Firma valent per se, nullumque Machaona quaerunt:
Ad medicam dubius confugit aeger opem.

Et Diogenes rogatus cum Lacedaemoniorum laudaret instituta cur non apud eos viveret: *Οὐδὲ γὰρ ἰατρὸς, εἶπεν, ὑγιείας ὢν ποιητικὸς ἐν τοῖς ὑγιαίνουσι τὴν διατριβὴν ποιεῖται* [*Nam nec medicus sanitatis effector cum sanis versari solet*]. Pharisaei tam egregii erant pietatis simulatores ut non aliis tantum sed et sibi imponerent. Vide Luc. 18: 11. Interea animus erat plenus odii, invidiae, fastus, avaritiae, crudelitatis. Adeo verum est, facilius sanari corporis quam animi morbos; quia cum corpus aegrotat, animus morbum intelligens corpori consulit: at animo aegrotanti corpus, quippe brutum, consulere non potest, et animus ipse morbo impeditur quo minus morbum in-

intelligat, quem sentire pars aliqua est sanitatis. Vide quae ad Marcum cap. 2.

13. Ἔλεον θέλω καὶ οὐ θυσίαν, *misericordiam volo et non sacrificium*] חסד apud Oseam est quod hic ἔλεος. Latine recte reddideris *beneficentiam*. Huic opponitur זבח θυσία, quae vox hic συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] omnem rituum observationem significat, quia in eo operum genere sacrificia excellebant. Sub priori membro comprehenditur, peccantem hominem ad bonam frugem revocare; sub altero, abstinere a convictu hominum flagitiosorum. Quanquam autem posterius hoc non erat diserte praeceptum in Lege Mosis, tamen cum experientia doceat multos inquinari pravorum consuetudine, neque possint viri graves apertius ostendere quantum sibi displiceat vita turpis quam si talium hominum congressum conspectumque defugiant, qui mos ab antiquissimis seculis deductus omnes prope gentes pervaserat, non improbat tale institutum Christus, ut alibi apertius demonstrabitur; sed comparatis inter se duabus legibus, altera naturaliter honesta quae dilectionem et beneficentiam erga quosvis homines a nobis exigit, altera rituali, quae vitari nocentes praecipit, ex Osea docet utra utri praeponderare debeat. Nam illud ולא, quod hic transfertur καὶ οὐ, non simplicem sed comparatam negationem designat, quod sequentia apud Oseam verba manifestissimum faciunt, ודעת אלהים מעלות, id est, *et religionem prae holocausto*. Vide et infra 10: 19, 20. Notus est apud Rhetoras locus de legibus non ex auctorum propoposito sed casu aliquo inter se pugnantibus. Graeci hanc ἀντινομίας [*legum repugnantiae*] speciem vocant τὴν ἐκ περιστάσεως μάχην [*pugnam ex casu*]. Ad talis controversiae diiudicationem regulae quaedam tradi solent, quarum praecipuam Ciceronis verbis explicabo, qui sic ait De Inventione secundo: *Primum igitur leges oportet contendere, considerando utra lex ad maiores, hoc est, ad utiliores, ad honestiores ac magis necessarias res pertineat: ex quo conficitur ut si leges duae, aut si plures, aut quotquot erunt, conservari non possint, quia discrepent inter se, ea maxime conservanda putetur quae ad maximas res pertinere videatur.* Iam docet nos Oseas

Dei ipsius nomine, pietatem in animo positam et humanitatis officia apud Deum multo maioris esse momenti quam rituum ceremoniarumque observationem. Causa in promtu est, quia Dei reverentia et vitae integritas ac beneficentia per se *καὶ προηγουμένως* [*principaliter*] Deo probantur, ritualia autem opera *ἑπομένως* [*consectanee*] duntaxat, quatenus ex instituto, non naturaliter pietatem testantur: unde sequitur illa Deo nunquam non placere, haec vero non aliter nisi illa praecesserint. Adduximus supra ad cap. 5 ex Platone et Seneca quaedam in hanc sententiam: sed infra plenius hac de re agendi se dabit locus. Recte igitur Christus colligit ita observandum illud institutum de vitanda familiari consuetudine *τῶν ἀτάκτων* [*non ex ordine viventium*] ut non negligantur interim occasiones eos reducendi in rectam viam, quamobrem cum palam appareat se vocatum ad eos venire qui spem melioris vitae facerent, neque alio animo quam ut Dei fugitivos ad Deum retraheret, iniquissime id sibi vitio verti. Hoc documentum sequens Paulus Thessalonicenses Christianos monet *μὴ συναναμίγνυσθαι* [*non commisceri*] iis qui verbo Euangelii non obedirent; sed ne quis omnem ad eos aditum indiscriminatim vetitum putaret, adiecit, *non pro hostibus ducendos* (quod facere solebant Iudaei) *sed fraterne admonendos.* Nimirum resoluto illo nexu propiore qui pietatis studiosos inter se colligat, manet commune humanae naturae vinculum et prioris amicitiae memoria. Bene monet Hierocles: cum dixisset amicum a nobis separandum *διὰ τὴν πρὸς τὸ χεῖρον μεταβολὴν* [*propter mutationem in peius*], addidit, *ἡ δὲ ἀπόθεσις φυλαττέτω τὸ μὴ εἰς ἔχθραν μεταπεσεῖν· δέον γὰρ, εἰ κἀκεῖνος τῆς φιλίας ἑαυτὸν ὑπεξήγαγεν, ἡμᾶς γοῦν πλείστην ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι ὅπως ἐπανακληθείη πρὸς τὸ δέον, οὐκ ἀγαπῶντας τὴν ἀπόπτωσιν τοῦ φίλου, οὐδὲ ὑπερφρονοῦντας τὸ καταδεὲς αὐτοῦ τῆς γνώμης* [*ita autem observetur ista declinatio ut non in hostilitatem transeat; oportet enim nos, etiamsi ille ab amicitia se subduxit, omnem curam adhibere ut ad officium revocetur, ut qui non delectemur lapsu amici, nec spernamus sapientiae in ipso penuriam*].

Οὐ γὰρ ἦλθον, non enim veni] Vide ad Marc. 2: 17.

14. *Οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου, discipuli Iohannis*] Eandem controversiam motam Apostolis etiam a Pharisaeis Lucas et Marcus docent; an eodem tempore, incertum: quanquam Marcus ista connectit.

Νηστεύομεν πολλὰ, ieiunamus frequenter] Agitur et hic, ut supra, non de publicis ieiuniis, sed de iis quae privatim suscipiebantur: quod fiebat a Pharisaeis quidem ad aucupium famae, a Baptistae autem discipulis ob captivitatem magistri pro quo preces apud Deum fundebant. Hoc enim ostendere videtur et ratio temporum, et quae apud Lucam est δεήσεως [*obsecrationum*] mentio.

Οὐ νηστεύουσι] Id est, *non solent ieiunare;* nam verbum hoc ut et alibi frequentiam actus significat: ita Marc. 14: 12: ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον, *quo tempore Pascha mactare solebant;* et 15: 6, ἀπέλυε *solebat dimittere.* Lucas pro eodem dixit ἐσθίουσι καὶ πίνουσι [*edunt et bibunt*], id est, vivunt populariter: quo sensu et infra dicitur Baptista venisse μήτε ἐσθίων μήτε πίνων [*neque manducans neque bibens*], Christus autem ἐσθίων καὶ πίνων, 11: 18, 19.

15. *Οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, filii thalami*] מרעים [*sodales*] in Iudicum historia, ubi νυμφαγωγοὺς verterunt LXX. Sed νυμφαγωγὸς proprie est *auspex;* cui respondet *pronuba:* hic magis est ut παρανυμφίοι [*sponsi deductores*] intelligantur, ὁμήλικες Graecis, *aequales* etiam Latinis, Hebraeis posterioribus שושבין. Iohannes Apostolus pro eodem dixit τὸν φίλον τοῦ νυμφίου [*amicum sponsi*] 3: 29, quomodo et αἱ παρανυμφίοι virgines vocantur ידידות, id est, αἱ φίλαι [*amicae*], Ps. 45: 1, et רעות ibidem comm. 15, ubi LXX vertunt αἱ πλησίον. Est autem Hebraismus υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, significans eos qui intra thalamum admittebantur, nempe cum sponso, sicut cum sponsa virgines. Sic apud Oseam בני מים [*filii aquarum*] sunt *maritimi:* primo Macc. 4: 2, υἱοὶ τῆς Ἄκρας [*filii Acrae*] *Acrae custodes.* Apud Graecos prior cubitum ibat novus maritus, ad quem deinde nova nupta deducebatur, ut nos docet Epithalamium Helenae apud Theocritum. Contra Romae factum ex Catullo discimus:

Iam licet venias, marite:
Uxor in thalamo est tibi.

Utrum

Jtrum apud Hebraeos observatum sit haud facile dixerim. Iarrant Iudaei collocatis in cubili novis coniugibus hos odales extra thalamum stetisse, ac deinde in thalamum egressos ad cognoscenda signa illa de quibus agitur Deut. 2: 17. Apud Pollucem invenio: *Καλεῖται δέ τις τῶν νυμφίου φίλων καὶ θυρωρὸς, ὁ ταῖς θύραις ἐφεστηκὼς καὶ εἴργων τὰς γυναῖκας βοηθεῖν τῇ νύμφῃ βοώσῃ* [*Vocatur et quidam micorum sponsi Ianitor, qui ianuae adstat vetatque mulieres sponsae clamanti opem ferre*]. Hac autem comparatione Christus, omissis ieiuniis Pharisaicis, de quibus egerat antehac, proprie respondet Baptistae discipulis, ostendens causam, propter quam ipsi ieiunarent, in nos discipulos nunc quidem non congruere; sed ventura empora, cum ipsi quoque Magistro orbati non ieiunia antum, luctus scilicet signa, sed graviora etiam tolerarent. Aequum igitur esse, quos tam acerba manerent, os interim frui brevis gaudii interusurio. Sic obiter Baptistae discipulis in mentem revocatur ipsius Baptistae dictum qui Iesum *νυμφίου* nomine designaverat, et locus Is. 2: 16.

Πενθεῖν, lugere] Ieiunia luctus signa, aut magni periculi, 1 Macc. 3: 17, 47, 2 Macc. 13: 12, 1 Sam. 14: 24, unde Sabbato ieiunare religio erat Iudaeis, quia Sabbatum laetitiae dicatum. Quare peccatum est a Romanis scriptoribus ignorantia moris Iudaici, aut certe vox *Sabbati* per abusionem sumto pro quovis religioso die, cum a scribit Martialis:

Et ieiunia Sabbatariorum.

Persius autem:

Exercent ubi festa mero pede Sabbata Reges.

Iam nudipedalia certum est dies esse ieiuniorum. Christiani Iudaeorum exemplo a ieiuniis abstinuerunt diebus dominicis et tota Pentecoste, quia totum illud tempus quinquaginta dierum post Pascha non minus quam Dominici dies consecrati erant memoriae resurrectionis.

Καὶ τότε νηστεύσουσι, et tunc ieiunabunt] Saepissime in luctu erunt, interque multa incommoda etiam fame et siti torquebuntur, 1 Cor. 4: 11, 2 Cor. 6: 5, 11: 27. Sed et ieiunia sibi indicent, Act. 10: 30, 13: 2, 3, 14: 22. 1 Cor. 7: 5. Christianus apud Lucianum: *Ἡλίους δέκα*

 ἀσι-

ἄσιτοι διαμένουμεν, καὶ ἐπὶ παννύχους ὑμνῳδίας ἐπαγρυπνοῦντες [*Per decem soles mansimus absque cibo, noctes autem pervigiles in cantibus exegimus*]. Ostendit autem in sequentibus Christus factum Dei benignitate ne tanti labores discipulos suos exciperent adhuc infirmos.

16. *Οὐδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ*] Optime et Latinissime hunc locum expressit vetus Marci interpres Latinus: *Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri.* Nam *pannum assuere* etiam Horatius dixit. Et *rudis pannus* est ἄγναφος nunquam interpolatus: nam et Iurisconsulti *nova vestimenta* opponunt *interpolis.* Et Lucas quod hic est ῥάκος ἄγναφον dixit ἱμάτιον καινὸν [*vestimentum novum*], quomodo et Syrus hic vertit. Tertullianus *plagulam* III in Marcionem. Ἐπίβλημα est συμβολὴ, מחברת Exod. 26, 28, 36.

Αἴρει γὰρ τὸ πλήρωμα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἱματίου, tollit enim commissura eius a vestimento] Πλήρωμα est nominativus, αὐτοῦ intellige τοῦ ῥάκους [*panni*], αἴρει ἀπὸ τοῦ ἱματίου dictum ἐλλειπτικῶς [*defective*] pro τὶ ἀπὸ τοῦ ἱματίου [*aliquid de vestimento*], sicut et alibi τινὲς [*quidam*], cum ἀπὸ sequitur, subaudiri solere infra ostendemus 27: 9. Atque ita haec omnia accepit Syrus. Significat autem hic πλήρωμα *commissuram* sive *iunoturam rudis panni cum veste vetere*, Hebraeorum exemplo, apud quos מלאים sive מלאות dicuntur *commissurae*, et מלא *committere*, ut Exod. 25: 7 et 28: 17, cuius originis nomen etiam Syrus tum hic tum apud Marcum posuit. Hebraeorum Magistri omne id quod concavitatem implet vocari aiunt מלאת aut מלאה aut מלאים. Vocem מלאת, quanquam sensu paulum diverso, πλήρωμα verterunt etiam LXX Cant. 5: 12. Dicitur igitur illa commissura *partem vestis abrumpere*, id est, causam rupturae dare. Exstat non dissimilis sententia apud Philonem ubi exponit legem quae ἔρια καὶ λινὰ συνυφαίνεσθαι [*una texi linum et lanam*] vetat: *Καὶ γὰρ ἐπὶ τούτων οὐ μόνον ἡ διαφορότης ἀκοινώνητον, ἀλλὰ καὶ ἡ ἐπικράτεια θατέρου, ῥῆξιν ἀπεργασομένου μᾶλλον ἢ ἕνωσιν ὅταν δέῃ χρῆσθαι* [*Nam in his rebus non tantum differentia est insociabilis, sed et alterius rei praevalen-*

lentia facilius fracturam quam iuncturam efficiet ubi opus erit uti].

17. *Εἰς ἀσκοὺς παλαιοὺς, in utres veteres*] Cogitemus an apud Iob. 32: 19 *utres novi* dicantur hi in quibus est vinum novum, continens pro contento.

18. *Ἄρχων, princeps*] Nimirum *τῆς συναγωγῆς* [*Synagogae*], quod addit Luc. 8: 41. Notandum est Synagogae Iudaicae praepositos fuisse viros spectatae probitatis qui vocabantur Chaldaico vocabulo פרנסים, id est, *οἱ ποιμαίνοντες* [*Pastores*], quae vox et in Itinerario Benjamini non semel legitur, aut etiam רבים [*magistri*], ut Syrus apud Marcum posuit, aut כשישים, quod est *congregatores* aut *disceptatores*, quod in Actis apud Syrum legitur. Hellenistae hos vocabant *ἀρχισυναγώγους* [*Archisynagogos*], ut docemur Act. 13: 15, ubi plurium *ἀρχισυναγώγων* unius eiusdemque coetus fit mentio. Sed inter eos unus eminebat, eruditionis nomine praelatus caeteris, cuius proprium erat munus Legem interpretari et preces concipere, ut Iustinus adversus Tryphonem nos docet. Is Hebraeis vocabatur ממנה [*Praepositus*], aut etiam ראש הקהל, Syriace ריש כנושתא, Graece *ἄρχων τῆς συναγωγῆς*, quam vocem hic Syrus retinuit, et *κατ' ἐξοχὴν ὁ ἀρχισυνάγωγος* [*per excellentiam Archisynagogus*] Luc. 13: 14. Philoni *ὁ πρόεδρος* [*praeses*], intérdum etiam *ὁ πρεσβύτατος* [*maximus natu*], cui tribuit *τὰ μὴ γνώριμα ἐν ταῖς βίβλοις ἀναδιδάσκειν* [*quae in libris obscuriora sunt, enodare*], item *τὸ διαλέγεσθαι καὶ τὸν ὕμνον ᾄδειν* [*dissertare et hymnum praeire*], talis fuit Iairus iste Capharnaumi, ubi unam duntaxat Synagogam fuisse arbitror. Quare nihil necesse est hic *τὶς* [*aliquis*] subaudiri, cum unus duntaxat *ἄρχων* fuerit, quamvis ille idem esset ut Marcus loquitur *εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων* [*unus Archisynagorum*]. Non erant autem isti Archisynagogi Sacerdotes; nam Sacerdotum opera Templo erat assignata: isti in suis urbibus morabantur. Quin et diruto Templo mansit ordinum discrimen. Constantinus in Lege quae exstat Codicis Theodosiani titulo De Iudaeis: *Hiereos* et *Archisynagogos* et *Patres Synagogarum*, ubi *Patres* sunt quos dixi פרנסים [*Pastores*]. Epiphanius nominat *ἀρχισυναγώγους, ἱερέας, πρεσβυτέρους* [*Archisynagogos, Sacerdotes, Presbyteros*],

et de quibus infra dicetur, ἀζανίτας [*Azanitas*]. Idem Epiphanius alibi ait Ebionitis suos fuisse πρεσβυτέρους καὶ ἀρχισυναγώγους [*Presbyteros et Archisynagogos*]. Et Severum Imperatorem, quod Iudaismo favere crederetur, legimus convitio *Archisynagogum* et *Archierea* fuisse appellatum.

Ἄρτι ἐτελεύτησε, *modo defuncta est*] Id est, *iam mortua est*. Neque enim ἄρτι semper exactum tempus, sed saepe praesens significat: εἰς τὸ παρὸν [*in praesens*], ut interpretantur Graeci Scholiastae, quemadmodum apud Sophoclem:

Ἔνδον γὰρ ἀνὴρ ἄρτι τυγχάνει,
[*Est iam vir intus ille.*]

Apud Philostratum: Ἄρτι περὶ τὸν καιρὸν τῶν ῥημάτων [*Iam quo loquimur tempore*]. Atque ita plerumque in his libris sumitur, ut supra 3: 15, 26: 53, Ioh. 9: 19, 25, 13: 7, 33, 37, 16: 12, et hinc ἀπ' ἄρτι *deinceps*, et ἕως ἄρτι *hactenus*, passim occurrunt. Neque aliter hic ea vox interpretanda est. Non enim hoc significat Iairus, multum parumve temporis effluxisse ex quo mortua sit filia, sed hoc ipso tempore cum Christum compellaret non dubitare se quin exspirasset, idque ideo quia iam animam agentem reliquerat. Hoc enim est quod ait Lucas αὕτη ἀπέθνησκεν [*haec mortua erat*], cui convenit quod colloquenti cum Christo supervenit nuntius pro certo affirmans quod ille ex coniectura dixerat, filiam scilicet exspirasse; ut nos idem Lucas docet.

Ἐπίθες τὴν χεῖρά σου, *impone manum tuam*] Notum erat Iudaeis solere Deum Prophetis hunc exhibere honorem ut in alios dona sua conferret ad Prophetarum preces, quarum symbolum erat manuum impositio. Ita Moses Iosuae iussus erat manus imponere, ut ille ea ratione ad Mosis preces Divini spiritus augmenta acciperet, Num. 27: 18, 20. Et Naaman Syrus invocationem Dei coniungit cum manuum impositione, 2 Reg. 5: 11. Proprie manuum impositio designat efficaciam Divinae potentiae. Nam χεῖρας ἐκτεῖναι [*manum extendere*] de Deo eum in sensum usurpatur Act. 4: 30. Ideo quia per preces Divina potentia pro altero invocabatur, usitata erat cum precibus manuum impositio. Vide quae infra 19: 13. Vide-

detur autem Iairus minus praeclare de Christo sensisse quam alii qui solo contactu sanitatem a Christo sperabant, quam Iairus, ut credibile est, arbitrabatur ab Iesu non nisi precibus posse praestari.

20. *Τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, fimbriam vestimenti eius*] Videri potest hic alludi ad id quod de Messiae temporibus dicit Mal. 4: 2, מרפא בכנפיה *sanatio in fimbriis eius.* Nam Deut. 22: 12, quod in Hebraeo est כנפות in versione LXX est *κρασπέδων*. Et Syrus infra 14: 36, vocem *κρασπέδου* vertit כנפא. Videntur autem, et hic et dicto loco 14: 36 et infra 23: 5, *κρασπέδων* nomine *συνεκδοχικῶς* [*per complexionem*] intelligi filamenta illa *ἐν τοῖς κρασπέδοις* [*in fimbriis*] quae ציצית Hebraei vocant: ut et Zach. 8: 23, ubi itidem in Hebraeo est כנף, in Graeco *κρασπέδου*. Sic dicto Deuteronomii loco pro Hebraeo גדלים, quod *filamenta* significat, Chaldaeus posuit כרוספדין, quae vox est ipsa Graeca *κράσπεδον* [*fimbria*]. Erat autem haec peculiaris nota sanctimoniae Israeliticae.

21. *Ἐὰν μόνον ἅψωμαι τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, σωθήσομαι, si tetigero tantum vestimentum eius, salva ero*] Videtur haec femina partim recte partim non recte de Christo sensisse. Recte, quod Christum totum quantus erat plenum esse intelligeret Divinae virtutis; et quemadmodum unguentum fusum in caput Sacerdotis ad imas usque vestimenti oras defluebat, ita ab ipso undique vim mirificam emanare. Non recte, quod hanc emanationem putaret naturalem magis esse quam arbitrii ac dispensationis Christi ipsius: sicut Philosophi multi dicebant Deum agere omnia *φύσει, οὐ βουλήσει* [*natura, non voluntate*], quos solide refutat Scriptor Responsionum ad Graecos. Hinc spem aliquam conceperat sanitatem se posse ab ipso furtim subducere. Quod autem Christus ab hac femina se passus est contingi, nihil ea in re fecit contra Legem, ut supra de factis similibus dictum est: quanquam et illud addi potest quod adversus Marcionem Tertullianus observat, Legis interdicto contineri profluvium sollemne ex officio naturae, non ex vitio valetudinis.

22. *Θάρσει θύγατερ· ἡ πίστις σου σέσωκέ σε, confide, filia: fides tua te salvam fecit*] *Θάρσει* ut supra significat *bono esto animo.* Solent enim trepidare qui clam

 ali-

aliquid agunt, trementes ne deprehendantur, sicut haec mulier, quae verebatur ne Christus contactum suum ut impurum declinaret. At Christus simul errorem ipsius corrigens, et tamen quid in ea probandum esset ostendens, significat non contactum sed insignem illam de Divina potentia persuasionem ipsi ad sanitatem profuturam: quod praesagium fuit, ut aliquoties iam diximus, veniae delictorum et salutis aeternae consequendae per obedientem in Deum et Christum eius fiduciam: unde etiam factum est ut hoc Christi effatum frequens esset in ore Christianorum, quod etiam Celsus Christianis obiecit quasi signum animi non rationibus fulti, sed caeco quodam assensu occupati. Huic duobus locis respondens Origenes fatetur doctrinam Christi simpliciter traditam, ut quae salutifera esse deberet non hominibus tantum studio literarum vacantibus, sed quibusvis de plebe, etiam maxime occupatis, a quibus iniquum esset exigere disputandi subtilitatem. Interim vero istam *συγκατάθεσιν* sive *κατάληψιν* [*assensionem*] niti certissimis argumentis, hinc Dei potentia, inde virorum optimorum consentiente testimonio. Clemens autem idem dictum explicans recte monet, *οὐχ ἁπλῶς τοὺς ὁπωσοῦν πιςεύσαντας σωθήσεσθαι* [*non quovis modo credentes servatum iri*], sed eos demum qui pia opera (data scilicet occasione) fidei adiunxerint, hoc est, eos qui fidem habuerint vivam atque efficacem. De Pythagora Iamblichus: *Ὑπῆρχε δὲ αὐτῷ ἀπὸ τῆς εὐσεβείας καὶ ἡ περὶ τῶν Θεῶν πίςις· παρήγγελλε γὰρ ἀεὶ περὶ Θεῶν μηδὲν θαυμαςὸν ἀπιςεῖν, μηδὲ περὶ θείων δογμάτων, ὡς πάντα τῶν Θεῶν δυναμένων* [*Inerat illi ex pietate magna etiam in Deos fiducia; semper enim praecipiebat, nihil, quamvis mirum, in Diis pro incredibili habere, nec ullum Divinorum dogmatum; cum Dii possint omnia*]. Vide et Dan. 6: 23.

23. *Τοὺς αὐλητὰς, tibicines*] Tibias in luctu usitatas apud Iudaeos etiam Iosephus Belli Iudaici lib. III nos docet. Puto etiam falli eos qui a profanis gentibus morem hunc ad Hebraeos putant deductum. Recte enim ab aliis demonstratum est, exstare in antiquissimis Hebraeorum scriptis eius moris vestigia; sicut et praeficarum mentio est apud Ier. 9: 17; neque vero in Lege ulla eius

rei

rei interdictio invenitur. Denique tota pompa funeralis non novitium erat inventum, sed Abrahami, Isaaci, Iacobi, Iosephi exemplo nitebatur. Quo convincitur Taciti error putantis curam corporis, moremque condendi magis quam cremandi, ab Aegyptiis ad Iudaeos pervenisse. Apparet enim ex Sacra historia multo ante quam Hebraei in Aegyptum immigrassent eundem morem ab ipsorum maioribus usurpatum. Vero autem simile est ritus funerales, praesertim vero humandorum corporum morem (qui apud omnes gentes crematione est antiquior), originem habere a primis post Diluvium temporibus, ad detestationem τῆς ἀνθρωποφαγίας [*moris edendi humanas carnes*], quae inter caetera extremae feritatis scelera pristinum orbem invaserat. Nam et eius rei famam ad Graecos manasse ostendunt versus Moschionis:

——— Καὶ τὸν ἠγριωμένον
Εἰς ἥμερον δίαιταν ἤγαγον βίον·
Κἀκ τοῦδε τοὺς θανόντας ὥρισεν νόμος
Τύμβοις καλύπτειν, κἀπιμοιρᾶσθαι κόνιν
Νεκροῖς ἀθάπτοις, μηδ' ἐν ὀφθαλμοῖς ἐᾷν
Τῆς πρόσθε θοινῆς μνημόνευμα δυσσεβές.
[——— *Illud agreste ac ferum*
Sensim domari coepit et mansuescere:
Tunc morte raptos imperatum legibus
Mandare terrae, pulveremve inspergere
Necdum sepultis, ne darentur conspici
Abominanda signa pastus pristini.]

Sic et luctus septemdialis, cuius mentio est in historia sepulturae Iacobi, Gen. 50: 10, et apud Iosephum fine VI et libro XVII Originum, apud Iudaeos mansit, non ex lege ulla, sed ex antiqua et Lege non vetita consuetudine. Hinc Sirachides: Πένθος νεκροῦ ἑπτὰ ἡμέραι [*Luctus mortui septem dies*], 22: 12. Quin et apud Iosephum eiusdem moris ad ultima usque tempora servati memoria est, et apud Clementem Stromateon quarto. Sed ne hoc quidem peculiare fuisse Iudaeis, sed aliis quoque gentibus usurpatum ex Marcellino discimus, lib. eius XIX. Verba sic habent: *Per dierum spatium septem, viri quidem omnes per contubernia et manipulos epulis indulgebant, saltando et cantando tristia quaedam genera*

nae-

naeniarum; Regium iuvenem lamentantes; feminae vero miserabili planctu in primaevo flore succisam spem gentis solitis fletibus conclamabant. His adde quae infra dicentur 11: 17. Tibiam tamen non antiquissimis temporibus sed serius adhibitam funeribus notat Plutarchus libro *περὶ τοῦ ΕΙ* [*De EI*]. At idem aut quisquis est auctor libri De Musica ait: *Ὄλυμπον ἐπὶ τῷ Πύθωνι ἐπικήδειον αὐλῆσαι Λυδιςί* [*Olympum Lydio more tibia cecinisse in Pythonis funere*].

24. *Οὐ γὰρ ἀπέθανε τὸ κοράσιον, non est enim mortua puella*] *Εὐφημισμὸς* [*emolliens sermo*], qualis ille apud Antiphanem:

> *Οὐ γὰρ τεθνᾶσιν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὁδὸν*
> *Ἣν πᾶσιν ἐλθεῖν ἐς̓ ἀναγκαίως ἔχον*
> *Προεληλύθασιν.*
> [*Nec enim perierunt; sed eam quam necessitas*
> *Indixit cunctis anteverterunt viam.*]

Vocem *κοράσιον* minus puris accenset Phrynichus.

Ἀλλὰ καθεύδει, sed dormit] *Κατέδαρθεν εὐδαίμων* [*miser ille dormit*] inquit Menander de mortuo. Hae autem locutiones, ut et quod mortuos *μάκαρας* aut *μακαρίτας* [*beatos*] vocabant, et quod Tertullianus apud Romanos antiquitus usurpatum scribit, *Abiit et reverti debet*, vestigia esse videntur antiquissimae traditionis, opposita Sadducaeis, quorum sententiae favisse videtur Iairi domus.

25. *Ἐκράτησε τῆς χειρὸς αὐτῆς, tenuit manum eius*] Sicut solemus facere cum aliquem ex somno excitamus. Ita demonstravit Christus non minus Deo in proclivi esse mortuos in vitam revocare quam expergefacere dormientes: quod ad fidem nostram confirmandam maximi erat momenti. Alioqui *κρατεῖν τῆς χειρὸς* est etiam *manu ducere* aut *sustentare*, ut apud LXX Es. 41: 13 et 45: 1. Nihil autem hac contactione Christum in Legem deliquisse apparet ex iis quae dicta sunt ad cap. 8.

27. *Υἱὲ Δαβὶδ, fili David*] Frequentiora et maiora veteribus exemplis miracula iam hoc effecerant ut a quibusdam Iesus non Propheta tantum sed promissus ille Messias crederetur. Vide Ioh. 7: 31. Idem autem valet *ὁ υἱὸς Δαβὶδ* et *ὁ Χριςὸς*, ut apparet infra 12: 23.

28.

28. *Οἰκίαν, domum*] Notant Iurisconsulti Romani *domum alicuius dici etsi quis in aliena domo habitet, sive in conducto sive gratuito.* Vide quae supra ad cap. 8.

Ὅτι δύναμαι, quia possum] Vide quae dicta sunt ad cap. 8.

29. *Κατὰ τὴν πίστιν ὑμῶν, secundum fidem vestram*] Vide ibidem.

30. *Ἀνεῴχθησαν, aperti sunt*] Hebraismus significans facultatem utendi instrumento sensus. Vide Marc. 7: 34, ubi de auribus dicitur, ut hoc loco et alibi de oculis. Vide Ps. 146: 7, 8, cuius hic complementum.

33. *Καὶ ἐκβληθέντος τοῦ δαιμονίου, et eiecto daemonio*] Hoc est *solvere vinctos* dicto Psalmi loco.

Οὐδέποτε ἐφάνη οὕτως, nunquam apparuit sic] Subauditur *τι* [*aliquid*], ut supra quoque, ac praeterea *γενόμενον* [*factum*]. Sic et Marc. 2: 12. Sensus est: Tot signa, tam admirabilia, tam celeriter, neque contactu tantum sed et verbo, et in omni morborum genere, a nemine antehac edita, ne a Mose quidem. Locutio eadem Iud. 19: 30.

34. *Ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων, per principem Daemoniorum*] De huius loci sensu agemus infra cap. 12. *Ἐν* autem hic est positum pro *ἐν χειρὶ* [*in manu*, id est, *per*], ut supra quoque admonuimus: *ὁ ἄρχων τῶν δαιμονίων* est *ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου* [*princeps mundi*], Ioh. 12: 31.

35. *Καὶ τὰς κώμας, διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς, et vicos, docens in Synagogis*] Erant quidem plerumque in urbibus tantum Synagogae, ad quas conveniebant omnes qui in earum urbium erant territorio, *οἱ τῆς παροικίας*. Caeterum in vicis quoque maioribus ac frequentioribus aliquas constitutas ex hoc loco videtur posse colligi. Sic etiam primis Christianismi temporibus fieri solebat *πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων συνέλευσις ἐπὶ τὸ αὐτό* [*conventus omnium qui in urbibus aut agris habitabant*]. Et Cenchreis, qui portus erat Corinthiorum, Ecclesia fuit iam Pauli tempore, cuius Diaconissa erat Phoebe.

36. *Ἐσκυλμένοι, vexati*] Apparet ita legisse non veterem tantum Latinum interpretem sed et Syrum, qui posuit לאין. Videbat Christus plebem Israeliticam pessime

me haberi ab iis qui pascere ipsos debebant, Sacerdotibus et Legisperitis, ut qui suis studerent commodis, *vindicantes* (quemadmodum loquitur Salvianus) *improbissimis quaestibus nomen religionis, et praeferentes ad sordidissimas negotiationes titulum sanctitatis.* Videbat praeterea miseros homines hinc a Pharisaeis inde a Sadducaeis in partes diversas trahi, ita ut quid sequerentur, quid fugerent non satis esset ipsis exploratum. Ita ἐσκυλμένοι ad malam tractationem, ἐῤῥιμμένοι [*disiecti*] ad sectarum studia pertinebit. Confer Ier. 50: 6. Et figuram huius rei Esth. 3: 8.

Μὴ ἔχοντα ποιμένα, non habentes pastorem] Qui nimirum pastorali animo gregem curet, gregis commodo non suo studens, quod est καλοῦ ποιμένος [*boni pastoris*] officium, ut Christus docet Ioh. 10: 11. Homerus de ovibus:

——— *Αἵ γ' ἐν ὄρεσσι*
Ποιμένος ἀφραδίῃσι διέτμαγεν.
[——— *Quae per iuga fusae*
Ob culpam pastoris eunt.]

Locutio haec sumta ex Num. 27: 17, et 1 Reg. 22: 17.

37. *Ὁ μὲν θερισμὸς πολὺς, messis quidem multa*] Hoc est quod apud Ioh. 4: 35 dicitur, *agros albos esse ad messem:* id est, animos multorum satis erectos exspectatione sanioris doctrinae καὶ εὐθέτους πρὸς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*aptos Regno Dei*], λαὸς πολὺς [*populus multus*] Act. 18: 10. Figura huius rei in Ruthis historia cap. 2.

38. *Ἐκβάλῃ ἐργάτας, mittat operarios*] Ἐκβάλλειν saepe non est aliud quam ἐξάγειν [*emittere*], Ioh. 10: 4, aut προφέρειν [*proferre*], infra 12: 35, hic idem quod ἀποστέλλειν [*dimittere*] Paulo Rom. 10: 15. Utroque significatur non sola Divinae providentiae dispensatio, sed collatio specialis potestatis, cum peculiaribus mandatis donisque. Ita olim missus Moses, Elias, Ieremias, atque alii. Optime autem cum his verbis cohaeret sequens historia de missione Apostolorum, qua coepit impleri id quod Christus optandum dixerat.

Ἐργάτας, operarios] Ἐργάτην γῆς *agricolam* vocant Graeci, ut Plutarchus. Hic apparet *messores* intelligi, ut similitudo suis partibus constet.

CAPUT X.

1. *Τοὺς δώδεκα μαθητὰς, duodecim discipulos*] Familiariores caeteris et convictores quotidianos aliquanto prius a se selectos, ut ex Luca apparet. Olim ad dividendum duodecim factae partes per Achiam Siloniten; nunc ad colligendum duodecim per Christum.

Καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν, et dedit illis potestatem] Hic Christi Divina vis manifestius quam unquam antea elucet. Fecerant mira etiam Prophetae, sed mira faciendi potestatem nemini suopte arbitrio concesserant; ne Moses quidem Iosuae, nec Elias Elisaeo. Sic impletus Ps. 92: 12.

2. *Ἀποςόλων, Apostolorum*] Quod Hebraice est שלוח id LXX vertunt *ἀπόςολον* [*missum*], ut 1 Reg. 14: 6. Proprie autem vocabantur in Thalmudicis libris שלוחין qui decimas atque alia percipiebant et ad Levitas deferebant, *οἱ τὰς θυσίας ἀνάγοντες* [*qui res sacratas perferunt*], ut eos vocat Philo Legatione ad Caium. Augustus in edicto ad Asiae civitates eosdem vocat *ἀποδοχέας* [*receptores*], Philo etiam *ἱεροπόμπους τῶν χρημάτων ἀριςίνδην ἐπικριθέντας* [*sacrarum pecuniarum portatores electos ex optimis*], functionem eorum *ἀποςολὴν* [*missionem*] Iulianus in Epistola ad Iudaeos, et Epiphanius. Mansit hoc nomen inter Iudaeos etiam post Urbis excidium; nam Patriarcharum adsessores vocabantur *ἀπόςολοι*, teste Epiphanio. Honorius et Arcadius in Lege quae est Codice Theodosiano, titulo De Iudaeis: *Superstitionis indignae est ut Archisynagogi sive Presbyteri Iudaeorum, vel quos ipsi Apostolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum a Patriarcha certo tempore diriguntur, a singulis Synagogis exactam summam atque susceptam ad eundem reportent.* Ad quod exemplum etiam prima Christianorum aetate qui ad perferenda ultro citroque Ecclesiarum munera ab Ecclesiis mittebantur dicti sunt *ἀπόςολοι* eorum a quibus mittebantur, ut videre est 2 Cor. 8: 23, Phil. 2: 25. Ignatius eosdem modo *θεοδρόμους* [*cursores Dei causa*], modo *θεοπρεσβεύτας* [*Dei causa legatos*] appellat. Quanquam autem vox *ἀποςόλων* per se latissime patet

(nam

(nam et Christus ipse eo nomine appellatur Hebr. 3: 1 et apud Iustinum Martyrem atque alios), credibile tamen est Christum hac appellatione alludentem ad usum Hebraeorum, simulque ad Mosis historiam qui duodecim exploratores in eandem terram dimiserat, ubi in Hebraeo est vox שלח [*mittere*], in Graeco vox ἀποςέλλειν, significatum voluisse et se habere ministros quos cum mandatis sed longe aliis mitteret, qui sibi fructus optatos reportarent. Data autem haec appellatio peculiariter illis qui tum eximia potestate mittebantur, numero duodecim, testes omnium rerum Christi dum in terris vixit, ut docemur Act. 1: 21. Post Christi resurrectionem idem honos datur Matthiae, Paulo, Barnabae, forte etiam aliis Ecclesiarum fundatoribus, de quibus suo tempore erit agendi locus.

Δώδεκα, duodecim] Christus spirituale Regnum exstructurus exprimit Iudaicae Reipublicae imaginem, quo clarius appareat Regni aeterni promissiones in ipso solide impletas. Sicut enim Tribus duodecim, ita duodecim erant φυλάρχαι [*Tribuum principes*] eximia dignitate, ad quam alludunt verba Christi infra 19: 28, Luc. 22: 30. Vide Apoc. 21: 12 et 14.

Ὀνόματα, nomina] Magni retulit sciri horum nomina ex quorum consentiente testimonio veritas erat aestimanda. Non defuerunt enim qui id nomen ementirentur.

Πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος, primus Simon qui dicitur Petrus] Princeps haud dubie collegii a Christo designatus, ad retinendam corporis compagem. Nec offendat quenquam quod Gal. 2: 9 Cephas medius inter Iacobum et Ioannem legitur. In manuscripto enim antiquissimo, qui ex Graecia in Angliam devenit, abest ibi id nomen, ut et in aliis manuscriptis nonnullis: Graeci posteriores apposuere.

3. *Ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, dictus Thaddaeus*] Puto idem esse nomen quod vetuste Lucas extulit Ἰούδας [*Iudas*], cuius nominis pronuntiatione quidam Iudaei, ut videtur, abstinebant ob concursum literarum τοῦ τετραγραμμάτου [*nominis quadriliteri*]. Origo, ni fallor, eadem est, sed alia flexio. Neque novum ut pro vocali longa ponatur geminatio consonantis. Nomen autem huius Apo-

postoli alterum *Λεββαῖος*, Hieronymus *Corculum* interpretatur, quo nomine Romae P. Nasica fuit appellatus. Plinius masculina terminatione *Corculos* nominatos refert qui sapientia praestabant. Sed malunt alii esse לבי, quia Hebraei eos, qui nomen habebant *Iudae*, *Leones* vocabant ex Iacobi vaticinio. Neque mirum est τὸ *ἐπικαλεῖσθαι* [*agnominari*] hic usurpari de nomine maxime proprio. Nam et Appianus dixit: *Κράσσος ὁ Μάρκος ἐπίκλην* [*Crassus agnominatur Marcus*]. Et Iohannes alius ab Apostolo dicitur *ἐπικαλούμενος Μάρκος* [*agnominatus Marcus*], Act. 12: 12; 25.

4. *Κανανίτης*, *Cananites*] Non originem significat, quomodo Urias *Chittaeus* dicitur, sed est cognomen Hebraeum קנא, quod Lucas proprie reddidit *Ζηλωτὴς* [*Zelota*]; quomodo et LXX eam vocem reddiderant Exod. 20: 5 et alibi. Quare et Syrus per ק non per כ hoc nomen expressit. Graecanicam terminationem nomini addidit Graecus Matthaei interpres, repetita ν litera et interposita vocali, ut magis ad Graecam formam vox haec accederet: quomodo Athenodorum Philosophum *Κανανίτην* vocabant, sed a pago quodam, ait Strabo. Sic *Ἄνναν* Iosephus *Ἄνανον* vocat, simili literae eiusdem repetitione.

Ἰσκαριώτης, *Iscariotes*] Videtur esse contractum ex איש יששכר, [*vir de Issaschar*], quod exstat Iud. 10: 1, sed addita terminatione Graecis familiari.

5. *Εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθητε, καὶ εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε*, *in viam Gentium ne abieritis, et in civitatem Samaritanorum ne intraveritis*] *Εἰς ὁδὸν ἐθνῶν* est versus Gentes, ut Ier. 2: 18, *εἰς πόλιν* subaudiendum *τινὰ* [*aliquam*], ut *ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ* [*os non comminuetur ex eo*], Ioh. 19: 36, est *ὀστοῦν τι* [*os quodpiam*]. Vetat Christus Legatos suos egredi fines Palaestinae. Per agrum Samaritanorum transiri non vetat (erat enim is transitus opportunus ex Galilaea tractum Hierosolymitanum petentibus), sed prohibet oppida intrari, ut appareat Samaritanorum causa non institutam hanc legationem. Nam Samaritani partim erant et ipsi externae originis non consociati cum Iudaeis consortio religionis, partim erant Iudaei qui relictis patriis ritibus ad illos defecerant. Voluit igitur Christus servari Iudaeis no-

nobilitatis suae privilegium: quod neque tantum erat quantum ipsi existimabant, hac prope sola fiducia securi, neque tamen momenti erat exigui, ut Paulus ad Romanos et alibi docet. Huius igitur praelationis illustre signum hoc est, quod Christus in ipsis instituendis primam curam poni voluit: quod etiam post Christi resurrectionem ab Apostolis diligenter servatum est, ut liquet Act. 2: 39, 13: 46.

6. *Πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραὴλ, ad oves perditas domus Israel*] Quibus servandis Christus ipse proprie se missum profitetur infra 15: 24. Nam ut plena constaret fides promissis quae Deus Iudaeorum Maioribus fecerat, ipse Christus se exhibuit *διάκονον περιτομῆς* [*ministrum Circumcisionis*], Rom. 15: 8, Luc. 1: 54, 55. Externis autem nulla nisi obiter beneficia praestitit, exspectans patientissime Iudaeorum ad se conversionem, ut deinde per ipsos cum summa ipsorum gloria gentes aliae converterentur.

7. *Ἤγγικεν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, appropinquavit Regnum coelorum*] Si quis hoc conferat cum proclamatione Baptistae et exordio sermonum Christi, reperiet nihil nunc quidem ultra mandatum Apostolis quam ut Iudaeos ad vitam meliorem hortarentur, et ad Christum audiendum pertraherent, a quo accepturi essent caetera quae ad salutem ipsis essent necessaria.

8. *Καθαρίζετε, mundate*] Quod hic quidam asscribunt, *νεκροὺς ἐγείρετε* [*mortuos resuscitate*], id non miror abesse a vetustissimis exemplaribus, neque agnosci a Graecis hunc locum exponentibus. Nullum enim mortuum ab Apostolis vitae redditum legimus ante Christi resurrectionem. Adiectum ex aliis locis eo est credibilius, quia Syrus et Latinus non eodem loco ponunt hoc membrum.

Δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε, gratis accepistis, gratis date] Dictum est non inusitatum apud Hebraeos. Nam Deut. 4: 5 et 14, ubi Moses dicit se ita tradidisse Legem sicut acceperat, explicant Interpretes מה אני בחנם אף אתם בחנם כמי, *Quod ego gratis feci, et vos gratis facere oportet.* Ita et hic Christus, *Gratis accepistis*, inquit, nempe potestatem hanc sanandi. Cum medicorum discipuli non nisi magno temporis impendio, et magna magistris merce-

cede soluta qualemcunque morborum medendorum peritiam accipiant, vos hanc plenissimam facultatem uno momento, sine ullo sumtu vestro accepistis. Hinc *χαρίσματα* [*gratiae*] dici solent istae *δυνάμεις* [*virtutes*]. Ostendit hinc Christus nec grave nec iniquum esse quod imperat, ut earum potestatum actus gratis quoque exerceantur. Et quidem mercedem pacisci pro actu tali qui directe ordinatur ad Dei gloriam, haud dubie Dei gloriae adversatur: quod ipsa dictat ratio naturalis, ex qua Simonem Magum, huius alioquin praecepti ignarum, acriter convincit Petrus. Nam si *Civilem scientiam pretio nummario non esse aestimandam nec dehonestandam* dixit Ulpianus, quanto id iustius de donata Divinitus virtute dicitur? Caeterum citra pactionem pro actu eiusmodi dona sponte oblata recipere non habent naturalem turpitudinem. *Quaedam* enim, ut idem ait Ulpianus, *tametsi honeste accipiantur, inhoneste tamen petuntur.* Imo, ut ad Michaeam notat Hieronymus, qui Prophetas consulebant solebant iis munuscula aliqua donare, cuius moris indicia habemus 1 Sam. 9: 7, 8, et 1 Reg. 14: 3. Sic et Graecorum Philosophi, ut Origenes adversus Celsum notat, *ἀπὸ τῶν γνωρίμων ἐλάμβανον τὰ πρὸς τὰς χρείας* [*a discipulis accipiebant quae ipsis erant necessaria*]. Neque tamen ea semper recipiebant Prophetae, sed ex temporum ac personarum circumstantiis quid opus factu esset aestimabant. Ideo a Satrapa Syro nihil omnino accipere voluit Elisaeus, ne apud hominem externum vilesceret accepti beneficii gratia. Hinc ad puerum suum inquit Propheta: *Eratne nunc tempus accipiendi argentum aut vestes?* et quae sequuntur 2 Reg. 5: 26. Et a Rege Baltasare dona accipere abnuit Dan. 5: 17. Simili olim prudentia Abrahamus vivens inter homines a veri Dei cultu alienos, nihil de praeda ab hostibus parta ad se pervenire voluit, Gen. 14: 22. Christus, qui videret multum decessurum auctoritati doctrinae Euangelicae, quin neque extra calumniam futuros discipulos suos, si pro actibus qui ad testandam duntaxat veritatem pertinere debebant aliquid acciperent praemii, non foedas tantum pactiones, sed omnem omnino ex rebus eiusmodi, aut etiam ex ipsa docendi opera quaestum prohibuit.

Quod a veris Apostolis eorumque successoribus sanctissime est observatum, apud quos, ut Tertullianus loquitur, *nulla res Dei pretio constabat.* Tatianus Oratione contra Graecos: *Φιλοσοφοῦσί τε οὐ μόνον οἱ πλουτοῦντες, ἀλλὰ καὶ οἱ πένητες τῆς διδασκαλίας ἀπολαύουσι· τὰ γὰρ παρὰ Θεοῦ τῆς ἐν κόσμῳ δωρεᾶς ὑπερπαίει τὴν ἀμοιβὴν* [*Non soli divites philosophantur, sed et pauperes de doctrina hauriunt. Nam quae a Deo veniunt omnem humanae liberalitatis vicem longe superant*]. Lactantius: *Nemo vereatur nos. Aquam non vendimus, nec Solem mercede praestamus.* Interim et Christus et Apostoli tum verbis tum exemplo docuerunt aequum esse, ut qui rebus omnibus neglectis procurandae aliorum saluti vacarent ab ipsis vicissim honeste alerentur. Quomodo a Quintiliano notatum est, et Socrati collatum ad victum, et sapientes, si res familiaris id exigeret, passos sibi gratiam referri. *Sustentationem necessitatis*, ut Augustinus loquitur, *recipiebant a populo, mercedem dispensationis a Domino:* quanquam huic quoque iuri suo Apostoli, et Paulus praesertim, saepissime cesserunt, manibus suis victum sibi potius quaerentes quam aut pauperculis oneri essent, aut ad malevolorum calumnias paterent. His artibus Euangelica veritas per orbem totum propagata est. A quibus quantopere recesserint posteriorum temporum mores, tam dictu supervacuum est quam triste cogitatu.

9. *Μὴ κτήσησθαι, nolite possidere*] Cum vetuisset mercedem pro sanatione accipi, non dubitabat quin statim in mentem venturum esset Apostolis, oportet nos igitur hoc iter non incipere nisi rerum omnium commeatu pulchre instructos. Huic cogitationi occurrens Christus affirmat Deum, cuius res gerant, prospecturum ipsis de rebus necessariis. Quo autem certius habeant documentum, iubet illos sine ullo commeatu proficisci. Hoc *σύμβολον* [*signum*] pro illo tempore praeceptum, quo certior ipsis esset Divinae providentiae experientia, ut recte notavit Chrysostomus in sermone: *Ὅτι οὐ χρὴ ὀνειδίζειν τοὺς ἱερεῖς* [*Non contumeliose tractandos Sacerdotes*]. Res notata *διὰ συμβόλου* [*per symbolum*], fiduciae securitas, in perpetuum erat valitura. Est ergo hic *κτᾶσθαι* [*acquirere*] *in antecessum comparare*, quod *σκέπτεσθαι* et *περιποιεῖσθαι* dixit Menander:

Ἂν

Ἂν μὲν πλέωμεν ἡμερῶν που τεττάρων,
Σκεπτόμεθά τ' ἀναγκαῖ' ἑκάστης ἡμέρας·
Ἂν ᾖ δὲ φείσασθαί τι τοῦ γήρως χάριν,
Οὐ φεισόμεσθ' ἐφόδια περιποιούμενοι;
[*Si navigandum sit diebus quatuor,*
Quantum sat est paramus in totidem dies:
Cur non item sollicita parsimonia est,
Viaticum ne desit aetati malae?]

In Hebraeo haud dubie fuerit צדה, quod eo significatu usurpari notissimum est.

Εἰς τὰς ζώνας, in zonis vestris] *Ζώνην* recte *βαλάντιον* [*sacculum*] dixit Luc. 10: 4, 22: 35. C. Gracchus apud Gellium: *Zonas quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Eundem vocis usum apud Horatium, Iuris auctores, Suetonium, Spartianum, Lampridium alii annotarunt: ex quibus apparet non aera tantum sed et aureos et argenteos nummos in zona portari solitos.

10. *Πήραν*] *Manticam* Latine, in quam viatores condere panem et obsonioli aliquid solebant. *Peram* Latine dixit etiam Martialis.

Μηδὲ δύο χιτῶνας, neque duas tunicas] Qui mos ferme eorum etiam qui minimo contentos se putant. Galenus libro De corrigendis animi passionibus: *Οὕτω δὲ καὶ τὴν ἐσθῆτα διπλῆν ἔχειν αὔταρκες* [*Sic et binas habere vestes sufficit*]. Unam vestem habere valde pauperum, quales subulci apud Homerum, qui sic loquuntur Odyssea ξ.

Οὐ γὰρ πολλαὶ χλαῖναι ἐπημοιβοί τε χιτῶνες
Ἐνθάδε ἕννυσθαι, μία δ' οἴη φωτὶ ἑκάστῳ.
[*Non etenim multas tunicas et pallia multa*
Induere est nobis, sed sufficit unica vestis.]

Idem contra, ubi luxum Phaeacum describit, nominat:

Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ λοετρά τε θερμὰ καὶ εὐνάς.
[*Mutatos habitus lectosque undasque calentes.*]

Vide 2 Reg. 5: 22. Inter Essenorum, unde plurimi Christiani, instituta Iosephus memorat: *Οὐδὲ ἐσθῆτας οὐδὲ ὑποδήματα ἀμείβουσι πρὶν ἢ διαῤῥαγῆναι τὸ πρότερον, ἢ παντάπασι δαπανηθῆναι χρόνῳ* [*Neque vestes neque calceos mutant, priusquam priores ruptae sint, aut usu plane detritae*]. Musonius: *Τὸ μὲν εὖ ἑνὶ χρῆσθαι χιτῶνι τοῦ δεῖσθαι*

δυοῖν προτιμητέον [*Una veste bene uti honestius quam duabus egere*].

Μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον, neque calceamenta, neque virgam] *'Ράβδον* non *ῥάβδους* legerunt Syrus et Latinus. Intellige baculum alium quam quem manu geritis, aut soleas alias quam quibus nunc induti estis: nam hunc esse sensum ostendit tum quod praecessit *δύο χιτῶνας*, hoc est, vestem alteram ab ea qua vestimini; tum quod apud Marcum est, ubi diserte permittitur unus baculus quem gerebant, et soleae illae quibus erant induti. Nimirum quia iter facientibus soleae facile atterebantur, neque raro fiebat ut baculus frangeretur, aut alicubi adhaeresceret, ideo in sarcinulis solebant ponere alias soleas aliosque baculos. Hac cautione Christus Apostolos suos vult abstinere, quocunque iter facturi essent reperturos et victui et itineri necessaria. Atque ideo multitudinis numero *ῥάβδους* [*baculos*] dixit Lucas, ut significaret non interdici quo minus baculum unum haberent, sed quo minus plures: quod aequo iure de paribus solearum debet intelligi. Vide etiam quae ad Marcum dicentur.

Ἄξιος, dignus] Vox ista Graecis, et quae huic respondent Hebraeis ac Latinis, non semper *τὸ ἴσον* [*aequale*], sed qualemcunque rei convenientiam notat, ut liquet Eph. 4: 1, Phil. 1: 27, Col. 1: 10, 1 Thess. 2: 12, 3 Ioh. 6. Pro *idoneo* ea voce utitur Origenes contra Celsum II.

Τροφῆς, cibo] Sumitur hic *τροφῆς* nomen generalius, quomodo Iurisconsulti pronuntiant legatis alimentis, cibaria et vestitus et habitationem deberi, quia sine his ali corpus non potest. Quanquam autem sententia haec: *Eum qui operas praestet, victu*, aut, ut Lucas et Paulus loquuntur, *mercede dignum esse*, referri possit ad Divinae benignitatis aestimationem, tamen cum Lucas et Paulus aperte hanc *σχέσιν* [*relationem*] ponant, non inter Deum et Euangelii praecones, sed inter eosdem praecones et qui eorum praeconio edocentur, putem hic quoque eiusdem pronuntiati eandem esse sententiam; ut hoc dicat Christus: Deo providente victum accipietis ab illis ipsis quibus docendis sanandisque operam navabitis; idque iure aequissimo. Quid enim iustius quam *τοὺς πνευματικὰ σπείροντας τὰ σαρκικὰ θερίζειν* [*qui spiritualia serunt* me-

metere carnalia], 1 Cor. 9: 11. Quantillum est tenuis victus, si cum tantis beneficiis comparetur? Atque hic iterum apparet *μισθὸν* [*mercedem*] dici citra aequalitatis rationem; neque tantum ubi merces operam excedit, quod alibi ostendimus, verum etiam ubi indigna est merces quae ad operam comparetur. Nam et de humanae sententiae documentis non est veritus dicere Aristoteles: *Οὐ πρὸς χρήμαθ' ἡ ἀξία μετρεῖται, τιμὴ δ' ἰσόῤῥοπος οὐκ ἂν γένοιτο· ἀλλ' ἴσως ἱκανὸν, καθάπερ καὶ πρὸς Θεοὺς καὶ πρὸς γονεῖς, τὸ ἐνδεχόμενον* [*Non potest dignitas harum rerum pecuniis remensionem recipere, par enim nullum sit pretium; at forte sufficit id quod dari potest, ut adversum Deos ac parentes*].

11. *Κἀκεῖ μείνατε, ibi manete*] Displicet Christo levitas desultoria: nihil vult temere mutari. Qui parvo didicit vivere, is neque coenas lautiores captabit, neque timebit ne hospitem sumtu exhauriat. Ergo *κἀκεῖ* ad domum pertinet; quod sequitur *ἕως ἂν ἐξέλθητε* [*donec exeatis*], ad urbem aut pagum. Vide Luc. 10: 7.

12. *Ἀσπάσασθε αὐτὴν, salutate eam*] Verissimum arbitror in Hebraeo fuisse שאלו שלום [*postulate pacem domus*] quomodo est in Syriaco. Ita apposite secuta est mentio *pacis* commate sequenti. At Graecus interpres non verbum verbo reddidit, sed vim Hebraicae locutionis Graeca notissima voce expressit. Alii postea cum non putarent satis cohaerere quod sequitur *ἡ εἰρήνη ὑμῶν* [*pax vestra*], voces aliquot ex Luca huc infarserunt. Atqui vis ipsa vocis *εἰρήνης*, hoc est, *salutis* sive *incolumitatis*, in illo *ἀσπάζεσθαι* [*salutare*] satis comprehendebatur.

13. *Ἡ οἰκία ἀξία, domus illa digna*] *Οἰκίαν* pro *familia* etiam Xenophon posuit cum dixit *οἰκίαν διατρέφειν* [*familiam alere*]. Neque aliter usurpatur Ioh. 4: 53, 1 Cor. 16: 15, Phil. 4: 22. Sed istis in locis familia ab ipso capite distinguitur, hic vero ipsum patrem familias simul comprehendit: quomodo et in usu Romano *familiam* dici Caius notavit. *Ἀξία* hoc loco vocatur familia quae animo est docili, non a pietate averso, ac quae proinde speretur responsura vocationi: sicut contrario modo qui sunt affecti, dicuntur *οὐκ ἀξίους κρίνειν ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς* [*indignos se iudicare aeterna*

vita],

vita], Act. 13: 46. Pothinus Lugdunensis Episcopus interrogatus a Praeside, Quis esset Christianorum Deus, respondit, Ἐὰν ᾖς ἄξιος, γνώσῃ [*Si dignus es, disces*].

Ἡ εἰρήνη, *pax*] Hellenistae, Hebraeorum imitatu, hac voce appellant quicquid in honorum censu habetur, hoc est, quicquid expeti atque optari solet.

Ὑμῶν, *vestra*] Id est, quam vos ipsis precati fueritis.

Πρὸς ὑμᾶς ἐπιστραφήτω, *revertetur ad vos*] Hebraismus. *Reverti* verbum ad proferentem dicitur quod eventu optato caret, ut videre est Es. 55: 11 et Ps. 35: 13.

14. Ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν, *excutite pulverem*] Non videtur mihi ritus iste, directe quidem, denuntiationem Divini iudicii continere, qualem Nehemias excusso brachio, et Romani proiecto lapide volebant intelligi, sed tantundem valuisse quasi dicerent Apostoli: Veneramus huc non nostri commodi sed salutis vestrae causa: nunc quando monitis nostris auscultare non vultis, res vestras vobis habete: nihil nobis vobiscum ultra commercii est, quin adeo ne tantillum quidem vestri expetimus. Quomodo Tertullianus explicat: *Pulverem iubet excuti in illos in testificationem et adhorrentiam terrae eorum, nedum communicationis reliquae*. Hunc enim sensum postulare videtur id quod Lucas uno loco imperative posuit: Καὶ τὸν κονιορτὸν ἀπὸ τῶν ποδῶν ὑμῶν ἐκτινάξατε [*Pulverem pedum vestrorum excutite*], 9: 5, altero vero enuntiative ipsorum Apostolorum verbis: Καὶ τὸν κονιορτὸν τὸν κολληθέντα ἡμῖν ἐκ τῆς πόλεως ὑμῶν ἀπομασσόμεθα ὑμῖν [*Etiam pulverem qui adhaesit nobis de civitate vestra extergimus in vos*], 10: 11, contra scilicet quam fecerat Neeman, qui de humo Iudaica secum asportaverat reverentiae causa, 2 Reg. 5: 17. Bene autem addunt Marcus et Lucas εἰς μαρτύριον αὐτοῖς [*in testimonium ipsis*], quia eodem ritu simul testatum sit venisse ad ipsos doctores veritatis. Ita ad Ezechielem Deus, 2: 5, *Ut sciant Prophetam fuisse in medio sui*.

15. Ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, *in die iudicii*] Non respicit Christus tempus praeteritum quo urbes istae coelesti incendio conflagrarunt, sed futurum, ut ostendit verbum ἔσται [*erit*]. Nam et diem hanc quam Matthaeus vocat ἡμέραν κρίσεως, Lucas cum nota eminentiae dixit ἡμέραν

ἐκεί-

ἐκείνῃ [*diem illam*], ut Iudas κρίσιν μεγάλης ἡμέρας [*iudicium magnae diei*], pro quo Petrus dixerat, ut hic Matthaeus, ἡμέραν κρίσεως. Alibi ἡ κρίσις [*iudicium*] idem significat; nimirum diem universali iudicio destinatum. De Sodomis ergo non tam iudicatum est olim quam praeiudicatum. Neque vero iniquum nobis videri debet si gravior poena imminet Euangelii contemtoribus quam illis foedissima libidine et omni vitiorum genere inquinatissimis. Peccata enim non praecise tantum ex suapte natura, verum etiam ex aliis circumstantiis rerum et personarum aestimanda sunt. Habuerunt Sodomi notitias naturales et parentum traditionem; Iudaei Legem Mosis multo clariorem. Habuerunt Sodomi monitorem Lotum; at Iudaei Apostolos tanta adferentes promissa, tantis miraculis spectabiles. Atque hinc quoque non minus quam ex aliis locis plurimis apparet, contemtum Euangelii non esse effectum necessarium alicuius vitii quod sit commune humano generi; sed aut culpam esse peculiarem et quae vitari potuit, aut certe culpae talis certum testimonium. Quod enim ex culpa aliqua necessario fluit, id supra sortem ei culpae communem poenam alicuius gravare non potest.

16. Ἀποστέλλω ὑμᾶς, *mitto vos*] Praesentis temporis verbo futurum simul complectitur. Quae enim sequuntur non tam ad hanc legationem pertinent quam ad eas quas Christus postea Apostolis erat mandaturus.

Ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων, *sicut oves in medium luporum*] Sophocles:

Σκαιοῖσι πολλοῖς εἷς σοφὸς διόλλυται.

[*Sapiens malorum positus in turba perit.*]

Φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, *prudentes sicut serpentes*] Nescio an id spectaverit Christus quod non a profanis tantum Scriptoribus plurimis sed et a Davide proditum est, angues diligentissime aures sibi obturare adversus susurros magicos, Ps. 58: 5; sed et pedes hominum ne ab iis obterantur, diligentissime observant. Simplicissimum est ut dicamus respici τὸ ὀξυδερκὲς [*acutum tueri*] quod serpentibus est proprium:

——— *Tam cernis acutum*
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius.

Καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραὶ, et simplices sicut columbae] Bene monet Cicero II De officiis, multos esse qui versutos homines et callidos admirantes, malitiam sapientiam iudicent. Ideo Christus commendationem Prudentiae ab omni fraude doloque segregans, comitem ei adiungit Innocentiam sive Simplicitatem. Etiam Martiali inter ea quae beatiorem vitam efficiunt, est *prudens simplicitas.*

17. *Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, cavete autem homines*] Dictum est eleganter a Comico vetere:

Ὡς χαρίεν ἐστ᾽ ἄνθρωπος, ἂν ἄνθρωπος ᾖ.

[*Quam res venusta est homo, sed qui vere est homo.*] Sed contra nihil hoc animante saevius, ubi semel ab humanitate descivit, ut recte Graecus epigramma quoddam ita inceperit:

Ὦ θηρῶν βροτὲ μᾶλλον ἀνήμερε.

[*O superans feritate feras homo.*]

Et epistolam Ovidius:

Mitius inveni quam te genus omne ferarum.

Cavere ergo *homines* iubentur Apostoli; id est, de commodis et honoribus huius aevi cum aliis non contendere, vitare offensas quantum fieri potest incorrupta veritate, ipsa veritatis verba non perdere apud eos quorum deplorata est improbitas.

Εἰς συνέδρια, in concilia] Supra vidimus a Christo *Synedrium* dici proprie Synedrium Magnum. Talia autem Gabinius quinque instituerat in Iudaea, ut supra [p. 126] diximus; quorum aliqua (nam de omnibus non arbitror) superesse potuerunt Christi tempore. Quod si placet intelligere consessus minores XXIII Iudicum, ne id quidem cum vocis usu pugnabit.

Καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς, et in Synagogis suis] Tam obscurus viris doctissimis hic locus visus est ut suspectam haberent lectionem omnium codicum fide munitam. Sed nimirum imposuit illis quod *Synagogarum* nomine Proseuchas intelligerent. Atqui certum est *συναγωγάς* dici etiam civiles et iuridicos conventus, 1 Macc. 7: 12, Additamentis ad Dan. 13: 41. Scandit igitur hic oratio a Synedriis ad Synagogas: quod ut intelligatur notandum est, solitos fuisse interdum Iudaeos in rebus ad summam

mam religionis aut imperii spectantibus advocare ad Synedrium quotquot haberi poterant Tribuum primores aliisve honoribus praeditos, ut quod constituerent legis potius a populo probatae quam Senatus consulti haberet auctoritatem. Talis conventus vocabatur Hebraeis קהל, Graece interdum ἐκκλησία, interdum συναγωγὴ μεγάλη [*Synagoga Magna*]. Eiusmodi fuit is conventus ex cuius decreto Pascha indixit Rex Iosias, 2 Paral. 30: 2. Sed et alibi Iosephus narrat convenisse γερουσίαν σὺν τοῖς φυλάρχοις [*Senatum cum principibus Tribuum*], inter caetera, Iosuae temporibus. De anathemate quo Esdrae tempore puniti contumaces, narrant Hebraei factum a Synedrio maiore et minore. Libro 1 Macc. 14: 27, 28 ψήφισμα [*decretum*] quoddam invenitur in hanc formam: Ὀκτωκαιδεκάτῃ Ἐλοὺλ, ἔτους δευτέρου καὶ ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ, καὶ τοῦτο τρίτον ἔτος ἐπὶ Σίμωνος ἀρχιερέως ἐν Σαραμὲλ, ἐπὶ συναγωγῆς μεγάλης ἱερέων καὶ λαοῦ καὶ ἀρχόντων ἔθνους, καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῆς χώρας [*Decima octava Elul, anno secundo et septuagesimo et centesimo: et hic tertius annus sub Simone Principe Sacerdotum, in Saramel, in conventu magno Sacerdotum et populi et principum Gentis et Seniorum regionis*]. Ita Hebraeorum Magistri μεγάλην συναγωγὴν כנסת הגדולה vocant coetum illum centum, ut aiunt, et viginti virorum circa tempora aedificationis Templi secundi, in quo coetu praeter τοὺς συνέδρους [*Senatores*] et Prophetae fuerunt et primores alii. Iosephus talem coetum vocat ἐκκλησίαν πάνδημον [*coetum collectum undique*], qualem coactum ait ab Herode Magno convocatis multis, non ex Urbe tantum sed et ἐκ τῆς χώρας [*ex regione*]. Sic Herodem eundem, nondum Regem, ob interfectum Ezechiam accusatum ait Gorionides coram Synedrio maiore et minore. Verissimum esse quod dico ostendet eventus Christi verbis ad amussim respondens. Act. 4 sistuntur Petrus et Iohannes Pontificibus, Senioribus et Legisperitis, quorum consessus ibidem ut et alibi συνέδριον [*Synedrium* sive *concilium*] vocatur comm. 15. Mox Act. 5 narratur Pontifex convocasse non tantum συνέδριον sed et πᾶσαν τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ [*omnes Seniores filiorum Israel*], comm. 21, quia scilicet populis ex omnibus oppidis ad

Apo-

Apostolos confluentibus (ut narratur comm. 16), res haec ad summae reipublicae periculum spectare videbatur, ita ut operae pretium esset omnium honoratorum suffragia exquirere, aut saltem, ut in duobus exemplis supra iam adductis, Senatum urbis Hierosolymitanae cum Senatu populi coniungere. Haec ergo fuit *συναγωγὴ μεγάλη*. Sensusque verborum Christi est: Non tantum ordinariis consistoriis sistemini, sed et conventus extraordinarii vestri causa habebuntur. Coram tali autem conventu extraordinario caesos virgis Apostolos apparet dicto Actorum capite comm. 40. — Possunt etiam *Synagogae* intelligi vulgari significatu loci conventuum, praesertim extra Romanum Imperium. Saepe enim Regum beneficio illis in partibus Iudaeis *αἰχμαλωτάρχαις* [*deportatorum principibus*] concessa est animadversio in populares, quam in Synagogis solitam exerceri non incredibile est, nam et Epiphanius narrat Iudaeum quendam cum ad Christianos deficere vellet in Synagoga flagris caesum. Vide quae Act. 22: 19 et 26: 11. Et apud Eusebium citatur liber imperante Commodo adversus Montanistas scriptus, ubi ait eorum gregis neminem *ἐν συναγωγαῖς Ἰουδαίων μαστιγωθῆναι ἢ λιθοβοληθῆναι* [*in Synagogis Iudaeorum aut flagris caesum aut lapidatum*].

18. *Καὶ βασιλεῖς, et Reges*] Quanquam Hebraeis מלכים dicuntur interdum qui vicariam aut mandatam habent potestatem, quo sensu nomen illud etiam Pontio Pilato videtur aptari Act. 4: 26, 27, cum tamen *ἡγεμόνων* [*Praesidum*] mentio praecesserit, necesse est vocem illam hic strictius accipi. Eadem oppositio *ἡγεμόνων* et *βασιλέων* est et apud Petrum 1 Epist. 2: 13, *εἴτε βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι· εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις* [*sive Regi ut praecellenti, sive Ducibus ut ab eo missis*]. Constitit igitur huic oraculo sua fides cum Petrus apud Neronem, Iohannes apud Domitianum, alii apud Parthorum, Scytharum, Indorum Reges causam dixere.

Εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν, in testimonium illis et Gentibus] Quae sit vis huius locutionis vide ad cap. 8. Hoc facto convincentur, inquit Christus, Praesides et Reges et populi qui illorum tribunalibus adstabunt, auditae veritatis.

19. *Μὴ μεριμνήσητε, nolite cogitare*] Vox *μεριμνᾷν* non qualemcunque meditationem sed animi anxietatem significat et laboriosam praeparationem qualis esse Oratorum solet. Vide quae diximus ad cap. 6. *Προμεριμνᾷν* [*praecogitare*] dixit Marcus, *προμελετᾷν* [*praemeditari*] Lucas. *Δοθήσεται γὰρ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ τί λαλήσετε, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*] Respicitur locus Exod. 4: 11. Etiamsi quid vobis antea desit, eo ipso tempore ope coelesti supplebitur, Spiritu Divino suppeditante et animo sapientiam, et ori eloquium non calamistratum sed simplici gravitate ipsam nudae veritatis naturam referens. Huius promissionis complementum in Petro et Stephano videmus; imo in omnibus martyrologiis. Ab Apostolis exigit Christus ut suae doctrinae velint praebere testimonium; ut recte id faciant ipse praestiturus. *Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ* dictum ut sup. 8: 13, 9: 22.

20. *Οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐςε οἱ λαλοῦντες, non enim vos estis qui loquimini*] Nota iterum negationem non absolute sed comparate interpretandam. Non tam vos eritis qui loquemini quam per vos Spiritus sanctus. Vide iam nominatas historias in Actis Apostolicis, addito loco 2 Sam. 23: 2. Ne consternarentur tantis periculis Apostoli, magnum illis auxilium Christus promittit, non Angelos, sed ipsum Dei Spiritum, quo nihil maius promitti potuit.

Ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα, sed Spiritus] Apud Lucianum dicitur Christiano: *Ἀλλὰ λέγε, παρὰ τοῦ Πνεύματος τὴν δύναμιν τοῦ λόγου λαβών* [*Sed loquere, a Spiritu accepta loquendi facultate*].

21. *Παραδώσει δὲ, tradet autem*] Haec signa temporum Messiae afferunt Hebraei in Thalmude, titulis *Sanhedrin* et *Ketubath.*

22. *Μισούμενοι ὑπὸ πάντων, odio habebimini ab omnibus*] Id est, a plerisque hominibus. Ita enim sumi solent particulae universitatis. Petronius Arbiter: *Si quis vitiorum omnium inimicus rectum iter vitae coepit insistere, primum propter morum differentiam odium habet. Quis enim potest probare diversa?* Athenagoras: *Ἀνωθέν πως ἔθος, καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῶν μόνον, κατά τινα θεῖον νόμον καὶ λόγον παρηκολούθηκε προσπολεμεῖν τὴν κακίαν τῇ ἀρετῇ*

[*Mo-*

[*More veteri, nec apud nos tantum cognito, ex Divina quadam lege atque dispositu connexum est vitio bellum inferre virtuti*].

Τὸ ὄνομά μου, nomen meum] Eam ob causam quod vos discipulos meos profiteamini. Haec enim est significatio ὀνόματος [vocabuli *nomen*], quia moris erat discipulos vocari ex Magistrorum nomine. Explicat Petrus cum dicit *gratias laudesque agendas Deo cum patimur ut Christiani* 1 Petr. 4: 15, cui loco adiunge eum qui est Act. 5: 41.

Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται, qui autem sustinuerit usque in finem hic salvus erit] Vim vocis ὑπομένειν [*sustinendi*] optime Virgilius illo versu expressit:

Durate et rebus vosmet servate secundis.

Patientiam enim cum exspectatione boni alicuius significat. אשרי המחכה [*Beatus qui exspectat*] Dan. 12: 12. Bene autem monet Irenaeus ὑπομονὴν [*perseverantiam*] esse duplicem, aliam ἐξ ἀρχῆς [*ab initio*], aliam ἐκ μετανοίας [*ex poenitentia*]. Ad illam Apostolos hortatur Christus, ita tamen ut hanc interim a spe salutis non excludat.

23. *Διώκωσιν, persequentur*] Cum sequatur φεύγειν [*fugere*], plane arbitror διώκειν hic stricte sumendum pro ἐκβάλλειν [*eiicere*]. Itaque ἐν τῇ πόλει ταύτῃ [*in civitate ista*] positum est pro οἱ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ [*qui in civitate ista*], ut diximus supra 6: 4, quod quia erat obscurius ideo adiecta est olim interpretatio διώκωσιν ἐκ τῆς πόλεως ταύτης [*persequentur ex civitate ista*], quae deinde ut fieri solet in aliquorum codicum textum admissa est. Sensus est: Ex una urbe per vim eiecti ne desistite ab imposito vobis munere. Idcirco fugite non in solitudinem aliquam ubi sitis tutiores, sed in urbem aliam, ibi quoque experturi proventum vestrae institutionis. Apparet igitur non recte ex hoc loco peti argumentum ad quaestionem de fuga voluntaria solo vitandi periculi respectu. Non est autem facile de fuga quicquam universim definire, cum pro circumstantia temporum ac locorum aliter atque aliter sit statuendum. Tertulliani sententiam, qui fugam omnem damnabat, Cyprianus, alioqui magni eius auctoritatem faciens, exemplo

suo

suo improbavit. Optime Clemens Stromateon IV et VII, quae pericula subeunda, quae vitanda sint, animo mortem neque optanti neque metuenti, ex Dei gloria et hominum usu aestimandum reliquit. *Κᾆν φεύγῃ ὁ Χριςιανὸς*, inquit adversus Celsum Origenes, *οὐ διὰ δειλίαν φεύγει, ἀλλὰ τηρῶν ἐντολὴν τοῦ διδασκάλου, καὶ ἑαυτὸν φυλάττων καθαρὸν, ἑτέρων ὠφεληθησομένων σωτηρίᾳ* [*Etiamsi fugiat Christianus non prae formidine fugit, sed servans Magistri praeceptum, et seipsum servans purum ad salutem aliorum quibus utilis esse poterit*]. Neque contemnenda quae hac de re idem Origenes ad Iohannem, et post eum Athanasius libro eius argumenti, et Augustinus in Epistola ad Honoratum scripsere.

Οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραὴλ, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *non consummabitis civitates Israel, donec veniat filius hominis*] *Τελέσητε τὰς πόλεις*, id est, *τελέσητε διδάξαι τὰς πόλεις* [*consummabitis docere civitates*], qualem infinitivi *ἔλλειψιν* [*defectum*] supra quoque annotavimus et annotabimus alibi. Et *ἕως ἂν* positum est vice *τοῦ πρὶν* [*priusquam*], ut diximus etiam supra 5: 18. Quis autem hic adventus intelligendus sit discrepant Interpretes. Mihi constat *adventum Christi* in hisce libris multis modis dici, et saepe eo non corporis praesentiam sed virtutis documenta intelligi, in quo genere excellit missio illa copiosissimae gratiae Spiritus sancti, nec in Apostolos tantum, sed in credentes alios, quo certissimo indicio constitit Regnum illud diu exspectatum iam advenisse, et Christum eius Regem cum plenissima potestate a Patre constitutum. Fundum do huic sententiae meae Iohannem Apostolum, apud quem Christus iam clarius aliquanto explicans quod hic obscurius dixerat, adversus omnem vim ingruentium periculorum discipulos suos eo solatur quod *missurum se* dicat ipsis *Spiritum illum veracem*, statimque addit, *Non relinquam vos velut pupillos parente orbos: venturus sum ad vos*, 14: 18, ubi apertissimum puto Christi adventu missionem Spiritus significari. Adde illa Petri verba Act. 2: 33. *Dextra Dei in sublime evectus, et a Patre nactus Spiritum illum diu promissum, effudit hoc quod ipsi adspicitis atque auditis.* Est ergo verborum

rum Christi haec paraphrasis: *Dixi quae mala vobis imminerent; dixi nihilo minus vestrum esse instare coepto: sed nolite animum despondere: prae foribus est mea magna et Regia potestas, quae apparitura est brevi, imo antequam finem feceritis docendis Iudaeis intra fines Palaestinae.* His verbis ostendit Christus gratiam Spiritus anticipaturam ipsorum longinquas profectiones. Nam et postea, iam iamque ab Apostolis discessurus, mandatum ipsis dedit omnes gentes instituendi, sed ita tamen ut ab Hierosolymis exordium facerent, ibique subsisterent donec promissus ille Spiritus ipsis supervenisset, Luc. 24: 47; 48; 49, Act. 1: 4, 5, 8. Optime ergo cohaerent quae sequuntur. Nam si Christus ad istam gloriam pervenire nisi per gravissimas calamitates non potuit, non debent Christi sectatores eandem sortem defugere.

24. Οὐκ ἔςι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον, *non est discipulus super magistrum*] Videtur pugnare hoc adagium Hebraeis receptissimum isti adagio Graeco:

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες διδασκάλων.

[*Vincunt magistros saepe discipuli suos.*]

Sed Graecus versus agit de iis qui discipuli fuere; Hebraea sententia de iis qui discipuli manent, sicut Christi discipuli nunquam debent desinere eius esse discipuli. Hoc autem proverbium, ut et alterum non dissimile, quo servus negatur esse domino maior, Christus non eodem semper sensu usurpat, ut videre est Luc. 6: 40, Ioh. 13: 16, 15: 20, quod et in aliis proverbiis occurrit. Hic par eventus significatur ob doctrinae eiusdem ingenium.

25. Ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ ἵνα γένηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, *sufficit discipulo ut sit sicut magister eius*] דין לעבד להיות כרבו Midrasch in Ps. 10.

Βεελζεβοὺβ, *Beelzebub*] Ita Syrus, ita Latini veteres, ita Hebraeus sermo. Quod alii scribunt Βεελζεβοὺλ [*Beelzebul*] aut scriptoris aut pronuntiationis est corruptio, quae in postremas literas saepe incidit. Ita Ἀβακοὺμ pro Ἀβακοὺκ legitur in versione LXX. Et Σεννηχαρεὶμ pro Σενναχηρείβ. Sic pro Μαναὴν Act. 13: 1 Syrus habet מנאיל, et pro בליעל passim legimus Βελίαρ. Cum vero hoc fue-

fuerit nomen eius qui inter Deos Gentium excellere crederetur, vix credibile est ab ipsis Accaronitis eorumque vicinis dictum fuisse *Beelzebub*, id est, *Muscarum dominum*. Nam *Μυίαγρος* [*Muscipeps*], *Σμινθεὺς* [*Murifugus*] et similia minorum Numinum sunt vocabula. Mihi valde placet quod a viris optime de Sacra historia meritis est annotatum, solitos Gentium Deos ab Hebraeis appellari nominibus in contumeliam mutatis, sicut et *Bethelem*, hoc est, Domum Dei, *Bethaven*, id est, Vanitatis domum dixere. Sic illud Numen quod Accaronitae, ut Phoenices alii, vocabant *Βεελσαμὴν*, hoc est, *Δία οὐράνιον* [*Iovem coelestem*], aut *Δία Ὀλύμπιον* [*Iovem Olympium*], ut Dius scribebat in Phoenicum historia, Iudaei vocarunt *Βεελζεβοὺβ*, hoc est, *Iovem muscarium*. Beelsamen autem vocatum fuisse Deum istarum nationum, praeter Philonem Byblium Augustinus nos docet ad Iudicum cap. 2. Sed quaeri adhuc potest, unde origo contumeliosi nominis. Dicam quod videtur. Narrant magno consensu Iudaei veteres inter alia privilegia quae Deus templo Hierosolymitano concesserat, hoc etiam fuisse, quod cum tantus quotidie victimarum numerus caederetur, nulla tamen unquam in Templo musca conspecta sit; quod cum praestare non posset ille celeberrimus inter profanas gentes *Ζεὺς οὐράνιος* [*Iuppiter coelestis*], sed perpetuo templum ipsius muscarum gregibus scateret, ideo a Iudaeis *muscarum Iuppiter* appellatus est. Coluerunt autem Phoenices et eorum coloni Carthaginienses *Deum coelestem*, qui est בעל שמין, et *Deam coelestem*, quae est בעלת שמין, Esaiae מלכת השמים [*Regina coeli*], *Iuno* Maroni. Sed dubitandum non est quin illo vocabulo Solem, isto Lunam indicaverint, antiquissima omnium prope gentium Numina. In veteri Epistola Nabuchodonosoris, quam descripsit Abydenus Assyriorum historiographus, בעל est *Βῆλος*, בעלת est *Βῆλτις*. Caeterum Iudaei ex Prophetis edocti Deos Gentium Daemonia esse, hoc est, oracula quae ab eiusmodi Deorum statuis edebantur non vi istorum siderum edi, quod putabant Gentes, sed opera impurorum Spirituum, ad quos proinde revera omnis cultus illius honos redundaret, malorum Daemonum principem eo appellarunt nomine quo credito-

rum falso Deorum princeps appellabatur. Vide infra 12: 24. Iam vero cum plebi persuasum vellent Pharisaei quae a Christo ederentur miracula edi virtute illius principis Daemonum, ideo ipsum quoque Christum per summum scelus, tanquam Daemonis istius procuratorem ac vicarium, *Beelzebub* appellarunt.

Πόσῳ μᾶλλον τοὺς οἰκιακοὺς αὐτοῦ, quanto magis domesticos eius] Dictis respondet eventus. Apostolos *γόητας* [*maleficos*] vocat Celsus; Ulpianus Iurisconsultus Christianos qui exorcizabant impostores appellat; Tacitus eos dicit *convictos in odio humani generis:* passim Christiani et *ἄθεοι* [*Dei expertes*] pari loco ponebantur. Hanc gratiam a mundo ineunt incorrupti veritatis doctores.

26. *Οὐδὲν γάρ ἐςι κεκαλυμμένον ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται, nihil enim est opertum quod non revelabitur*] Sophocles:

> *Ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος*
> *Φύει τ' ἄδηλα.*
> [*Humana longis cuncta curriculis dies*
> *Immutat: occulta aperit et aperta occulit.*]

Idem alibi:

> *Πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδέν· ὡς ὁ πάνθ' ὁρῶν*
> *Καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.*
> [*Studeas nihil celare: quae videt omnia*
> *Et omnia audit, omnia evolvit dies.*]

Euripides:

> *Χρόνος δὲ δείξει, τῷ τεκμηρίῳ μαθὼν*
> *Ἢ χρηςὸν ὄντα γνώσομαί σε ἢ κακόν.*
> [*Tempus docebit, cuius indicia intuens*
> *Discam bonusne sis vir, an contra malus.*]

Menander:

> *Ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.*
> [*In lucis oras protrahit verum dies.*]

Neque aliter accidit. Nam et Iudaeorum calumnias de magicis artibus et imposturis Christi atque Apostolorum, et Paganorum improbissima mendacia de incestis congressibus et sanguinis humani potatione dies revicit. Adde Deut. 32: 35.

27. *Καὶ ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων, quod in aure auditis, promulgate de protecto*] Non ea

tan-

tantum quae ego nunc ad populum loquor, sed et quae posthac vobis solis familiariter edisseram, et postea per Spiritum clarius explicabo, ut de promiscua Gentium vocatione et exspiratione Iudaicorum rituum, palam omnibus enuntiate. *Δώματα* autem proprie quidem sunt, ut ab aliis annotatum est, *solaria*, sed apparet ad eorum similitudinem ita vocari coepisse podia illa proiecta de quibus praecones, aut etiam ipsi Magistratus, populum solebant alloqui. Utrumque autem proverbiale est, et *in aurem dicere*, et *de protecto promulgare*. Latinis quoque proverbium est, *acta in aurem legere*, quo notantur qui res omnibus notas pro arcanis venditant.

28. *Μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι, nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*] Sententia haud dubie celebris inter Iudaeos ab Esdrae temporibus. Scriptor libri *περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ* [*De rationis imperio*] qui Iosepho adscribitur, ita loquentem facit unum ex Eleazari filiis: *Μὴ φοβηθῶμεν τὸν δοκοῦντα ἀποκτείνειν τὸ σῶμα· μέγας γὰρ τῆς ψυχῆς κίνδυνος ἐν αἰωνίῳ βασανισμῷ κείμενος τοῖς παραβαίνουσι τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ* [*Ne timeamus eum qui videtur corpus posse occidere: magnum enim aeterni tormenti periculum animis proponitur iis qui Dei praecepta violant*]. Scriptor Sapientiae 16: 13—15. *Σὺ γὰρ ζωῆς καὶ θανάτου ἐξουσίαν ἔχεις, καὶ κατάγεις πύλας ᾅδου καὶ ἀνάγεις· ἄνθρωπος δὲ ἀποκτείνει μὲν τῇ κακίᾳ αὐτοῦ· ἐξελθὸν δὲ πνεῦμα οὐκ ἀνατρέψει, οὐδὲ ἀναλύει ψυχὴν παραληφθεῖσαν· τὴν δὲ σὴν χεῖρα φυγεῖν ἀδύνατόν ἐστιν.* In quo loco reposui *ἀνατρέψει* pro *ἀναστρέψει*, quod alii vertunt *revertetur*, alii *reducet*, nullo sensu commodo: at una litera demta idem erit sensus qui in his Christi verbis: *Tu, o Deus, vitae necisque summam habes potestatem: tu ad inferos ducis ac reducis. Homo quidem malitia sua aetus interficit, sed corpus tantum: nam egressam e corpore animam evertere non potest, neque dissolvere spiritum a te susceptum. Tuam autem vim nec anima nec corpus possunt effugere.* Sciendum autem est primae huius sententiae verba deprompta esse ex libro Samuelis I, cap. 2: 6. Simili argumento probat Hierocles parentibus non esse obtemperandum si quid in-

ininsti praecipiant, quia saevitia illorum ultra corpus extendi non potest. Verba ipsius luculenta sane apponam: Εἰ γὰρ προτείνειαν θάνατον μὴ πειθομένοις ἢ βίου ἀλλοτρίωσιν, οὐδὲν ἐκφοβεῖσθαι δεῖ τοῖς τοιούτοις, ἀλλ᾽ εὖ εἰδέναι τί τὸ ταῦτα πεισόμενον, καὶ ὅτι ᾧ ἐγέννησαν ἀπειλοῦσι μόνῳ· τὸ δὲ ἀπαθὲς τούτων ἐλεύθερον προσήκει τηρεῖν καὶ μόνῳ Θεῷ εὐπειθές [*Nam si non obedientibus minantur mortem aut exheredationem, non sunt ista pertimescenda; sed sciendum quid sit illud cui ista erunt patienda: ei quod genuerunt minantur. At illam partem quae extra tales est perpessiones liberam servare oportet et Deo soli obnoxiam*]. Arrianus Epicteti lib. I cap. 9: Οἱ τύραννοι δοκοῦντες ἔχειν τινὰ ἐφ᾽ ἡμῖν ἐξουσίαν διὰ τὸ σωμάτιον [*Tyranni qui videntur aliquam in nos habere potestatem ob corpusculum*]. Confer Es. 51: 7. Iustinus ad Diognetum: Τότε τῆς ἀπάτης τοῦ κόσμου καὶ τῆς πλάνης καταγνώσῃ ὅταν τὸ ἀληθῶς ἐν οὐρανῷ ζῆν ἐπιγνώσῃ, ὅταν τοῦ δοκοῦντος ἐνθάδε θανάτου καταφρονήσῃς, ὅταν τὸν ὄντως θάνατον φοβηθῇς, ὃς φυλάσσεται τοῖς κατακριθησομένοις εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, ὃ τοὺς παραδοθέντας αὐτῷ μέχρι τέλους κολάσει [*Tunc imposturam mundi et errorem damnabis quum vere in coelo vivere didiceris, quum eius quod hic mors esse censetur contemtor esse et mortem quae revera est mors formidare coeperis, quae servatur eis qui ad ignem aeternum damnabuntur, qui sibi traditos afficiet supplicio ad finem usque*].

Τὸν δυνάμενον καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ; *qui potest et animam et corpus perdere in Gehenna*] Supra cap. 5 egit Christus de corporis supplicio in Gehenna: nunc addit Deum esse qui et animam possit perdere, *animae* nomine non vitam intelligens totius hominis, quam nemo non homini potest eripere, sed substantiam illam nobiliorem quae simul cum corpore hominem constituit: quae aliis in locis πνεῦμα [*spiritus*] appellatur. Sic Rabbi Israel De Anima cap. 8 ait Israelitarum qui in corpore peccarint et corpus et animum comburi. Quomodo autem pereat anima ita Hierocles explicat: Ὡς οἷόν τε ἀθανάτῳ οὐσίᾳ θανάτου μοίρας μεταλαχεῖν, οὐ τῇ εἰς τὸ μὴ εἶναι ἐκβάσει, ἀλλὰ τῇ τοῦ εὖ εἶναι ἀποπτώσει [*Quo potest modo immortalis substantia mortem*

per-

perpeti, non eo exitu ut non sit, sed amissione boni status]. Videtur autem Christus de industria non repetisse hic verbum *occidendi*, quod erat in membro priore, sed posuisse verbum *perdendi*, quod cruciatus habet significationem, ut in Tiberii Epistola ad Senatum: *Quid scribam Vobis, Patres Conscripti, aut quid omnino non scribam hoc tempore, Dî me Deaeque omnes peius perdant quam perire quotidie sentio, si scio.* Ad quae verba ita Tacitus ex Platone: *Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra praestantissimus sapientiae firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes posse adspici laniatus et ictus; quando ut corpora verberibus, ita saevitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur: quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse poenas fateretur.* Quae eo libentius adscribo, quia non obscuram mihi videntur praeferre imaginem tristissimi supplicii quod impiorum animis imminet, quo tempore omnibus arcanis evolutis sua in quemque conscientia furialibus quasi facibus armabitur. De impiorum autem animis non idem sensisse Hebraeorum Magistros supra quoque attigi. David Kimchi, ad primum Psalmum et ad Ps. 104: 30, ex receptiore Thalmudistarum sententia tradit eos exstingui una cum corpore, sicut Seneca dixit:

Mors individua est noxia corpori,
Nec parcens animae.

Eademque est sententia Rabbi Bechai quod ἀλλοφύλους [*Gentiles*] attinet: nam resurrectionem propriam vult esse Israelitarum. At Israelitas qui a Lege defecerunt arbitratur resurrecturos et aeterna sensuros supplicia animorum et corporum; eos vero, qui non defecerunt, neque tamen vixerunt ex Legis regula, post praefiniti temporis cruciatum in nihilum abituros. At Rabbi Higgaon, Rabbi Saadia et Abenezra omnes Israelitas qui non resurrecturi sunt ad vitam aeternam mansuros aiunt in statu ignominiae finem non habiturae. Eandem fuisse alibi Eliezeri sententiam tradere videtur ille Kimchi ad 1 Sam. 25: 29. Tacitus Iudaeis ait eandem fuisse de inferis persuasionem quae esset Aegyptiis. Crediderunt autem Ae-

gyptii quorundam sceleratissimorum gravia et aeterna supplicia, aliorum temporaria. Hinc suam *νεκυΐαν* [*narrationem de mortuis*] hausit Homerus, quem in Aegypto fuisse constat, apud quem Tantalus et Tityus perpetuo cruciantur, sicut apud Virgilium:

——— Sedet aeternumque sedebit
Infelix Theseus.

Quos secutus Plato, in libro De anima, de summe facinorosis ait: *Τούτους ἡ προσήκουσα μοῖρα ῥίπτει εἰς τὸν τάρταρον ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσι* [*Hos aequa lex fati abiicit in Tartarum, unde nunquam exibunt*]. Minus autem sceleratos ad tempus torqueri existimat. Non possum omittere quin hic addam egregium Hieroclis locum adversus eum qui persuasione interiturae animae sceleribus suis blanditur, quem ait *μόνην ἴασιν ευρίσκειν τὴν εἰς τὸ μὴ εἶναι καταφυγήν, ὅθεν αὐτῷ παρίςαται κακῷ τὸ κακὸν ἰᾶσθαι, φθορᾷ τῆς ψυχῆς τὴν κακίαν παραμυθουμένῳ, καὶ τὴν μετὰ θανάτου οὐδένειαν ἑαυτοῦ καταψηφίζεσθαι, φυγὴν τῶν τῆς κρίσεως πόνων· οὐ βούλεται γὰρ ὁ κακὸς ἀθάνατον εἶναι τὴν αὐτοῦ ψυχήν, ἵνα μὴ ὑπομείνῃ τιμωρούμενος, καὶ φθάνει τὸν ἐκεῖ δικαςήν, θανατὸν ἑαυτοῦ καταψηφιζόμενος, ὡς πρέπον τὴν πονηρὰν ψυχὴν μηδὲ εἶναι· ἀλλ' οὗτος μὲν ὡς ἀβουλίᾳ πρὸς κακίαν ὑπενεχθεὶς εἰκότως ἀμετρίᾳ τὴν καθ' ἑαυτοῦ ψῆφον ἐκφέρει· οἱ δὲ ἐν ᾅδου δικαςαί, ἅτε πρὸς τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα τὴν κρίσιν ποιούμενοι, οὐ κρίνουσι μὴ εἶναι δεῖν τὴν ψυχήν* [*unum habere remedium confugere ad non esse, sic illi id restat ut malum malo medeatur, id est malitiam suam soletur animae interitu, sibique poenam irroget post mortem in nihil redigi, ad fugienda iudicii mala. Non vult enim homo malus immortalem esse suam animam, ut non ferat poenas. Praecurrit ergo iudicem se interitu damnans, tanquam mala anima ne esse quidem deberet. At ille quidem qui per insipientiam in vitio insit, merito imperite de se fert sententiam. At qui apud inferos sunt iudices, ad veri regulam iudicium exercentes, nolunt animam non esse*]. Similis sententia est apud Iustinum Apologia secunda: *Ἀποβλέψατε γὰρ πρὸς τὸ τέλος ἑκάςου τῶν γεγομένων βασιλέων, ὅτι τὸν κοινὸν πᾶσι θάνατον ἀπέθανον· ὅπερ εἰ εἰς ἀναισθησίαν ἐχώρει,*

ἑρ-

ἕρμαιον ἂν ἦν τοῖς ἀδίκοις πᾶσι [*Respicite ad exitum uniuscuiusque Regum qui fuere: pari cum caeteris morte functi sunt. Quod si id duceret ad insensibilitatem, lucrum id ipsis esset*]. Sapienter Philo libro De praemiis et poenis: Ἄνθρωποι μὲν γὰρ πέρας τιμωριῶν εἶναι νομίζουσι θάνατον· ἐν δὲ τῷ θείῳ δικαστηρίῳ μόγις ἐστὶν οὗτος ἀρχή· ἐπεὶ τοίνυν καινὸν τὸ ἔργον, ἔδει καὶ τὴν ἐπ' αὐτῷ τιμωρίαν καινὴν εὑρεθῆναι· τίς οὖν ἐστιν αὕτη; ζῆν ἀποθνήσκοντα ἀεὶ, καὶ τρόπον τινὰ θάνατον ὑπομένειν ἀτελεύτητον· θανάτου γὰρ διττὸν εἶδος, τὸ μὲν κατὰ τὸ τεθνάναι, ὅπερ ἀγαθόν ἐστιν ἢ ἀδιάφορον, τὸ δὲ κατὰ τὸ ἀποθνήσκειν, ὃ δὴ κακὸν πάντως, καὶ ὅσῳ χρονιώτερον βαρύτερον [*Homines finem poenarum esse putant mortem; at in Divino iudicio id vix initium est. Cum ergo novum fuisset hoc facinus, oportuit et novum supplicium inveniri. Quod illud? Ut vivat semper moriens, et aliquo modo mortem sustineat interminabilem. Mortis enim duo sunt genera, alterum in mortuum esse, quod aut bonum est aut in rebus mediis; alterum in mori, quod penitus malum, et quo durabilius, eo gravius*]. Quem sensum breviter expressit Tatianus: Ἀνίσταται δὲ εἰς ὕστερον (ἡ ψυχὴ) ἐπὶ συντελείᾳ τοῦ κόσμου σὺν τῷ σώματι θάνατον διὰ τιμωρίας ἐν ἀθανασίᾳ λαμβάνουσα [*Sistitur autem postea in consummatione seculi anima una cum corpore, mortem habitura in poena immortali*]. Sed de animorum immortalitate disserendi posthac se dabit benignior occasio.

29. Στρουθία, *passeres*] Moschopulus ait ita vocari πάντα τὰ μικρὰ τῶν ὀρνίθων [*omnes aves minutas*].

Ἀσσαρίου, *asse*] איסר vel אסר nummus est valens dimidium τοῦ λεπτοῦ [*quadrantis*].

Ἄνευ τοῦ πατρὸς, *sine Patre*] Hoc est, ut Cyprianus interpretatur, *non sciente aut non permittente Deo.* Oppianus non dissimiliter dixit:

——— Τί γὰρ μερόπεσσιν ἄνυστὸν
Νόσφι θεῶν, οὐδ' ὅσσον ὑπ' ἐκ ποδὸς ἴχνος ἀεῖραι,
Οὐδ' ὅσον ἀμπετάσαι βλεφάρων περιφάεα κύκλα.
[——— *Quid enim mortalia secla*
Absque Diis possint, nec vel vestigia sola
Figere, vel patulos expandère luminis orbes.]

Epicurus Providentiam omnino negat; Aristoteles eam coelo includit; Arabes nonnulli circa universalia eam volunt occupari, non circa singularia: quam sententiam in Graecis etiam Philosophis notat et ut impiam reprehendit Iustinus initio Colloquii cum Tryphone; Hebraeorum aliqui circa homines, non circa bestias: quod et didicisse ab Hebraeis et Graecos docuisse videri potest Pythagoras. Ita enim Hierocles: *Μὴ ταραττέτω δέ ἡμᾶς τὸ καὶ ἐπὶ τῶν ζώων ἀλόγων καὶ φυτῶν καὶ αὐτῶν τῶν ἀψύχων τὴν αὐτὴν ἀνωμαλίαν ἐπιφαίνεσσαι ἣν καὶ ἐπ' ἀνθρώπων· οὐ γὰρ διὰ τοῦτο τὰ καθ' ἡμᾶς ἀπρονόητα, εἴγε ἐκείνοις ταῦτα ὡς ἔτυχε συμβαίνει* [*Neque turbet nos quod circa muta animantia et plantas et inanima eadem quae circa homines apparet inaequalitas; non enim quia illis talia fortuito eveniunt etiam nobis accidunt citra Dei providentiam*]. A qua sententia non abhorrere videtur Hieronymus Expositione ad Abacucum, nisi verba eius benignius libeat interpretari. Caeterum quod Christus hic docet idem monstrat recta ratio, quod explicabo Athenagorae verbis: *Δεῖ τοὺς ποιητὴν τὸν Θεὸν τοῦδε τοῦ παντὸς παραδεξαμένους τῇ τούτου σοφίᾳ καὶ δικαιοσύνῃ τὴν τῶν γενομένων ἁπάντων ἀνατιθέναι φυλακὴν τε καὶ πρόνοιαν, εἴγε ταῖς ἰδίαις ἀρχαῖς παραμένειν ἐθέλοιεν· ταῦτα δὲ περὶ τούτων φρονοῦντας, μηδὲν ἡγεῖσθαι μήτε τῶν κατὰ γῆν μήτε τῶν κατ' οὐρανὸν ἀνεπιτρόπευτον μηδ' ἀπρονόητον, ἀλλ' ἐπὶ πᾶν ἀφανὲς ὁμοίως καὶ φαινόμενον, μικρόν τε καὶ μεῖζον, διήκουσαν γινώσκειν τὴν παρὰ τοῦ ποιήσαντος ἐπιμέλειαν* [*Par est ut qui Deum universi opificem agnoscunt eius sapientiae ac iustitiae omnium quae fiunt custodiam gubernationemque attribuant, si modo suis principiis velint insistere. Haec qui intelligunt credere debent nihil aut caelestium aut terrestrium a tutela providentiaque abdicari; sed Dei curam pertingere ad res inconspicuas et conspicuas, parvas magnasque*]. Verum quidem est non circa omnia uno modo se habere Providentiam, sed hoc ipsum, ut recte dixit Chrysostomus, *προνοίας μέγιστον εἶδός ἐστι* [*Providentiae maxima pars est*]. Nam cum Dei infinita sit et scientia et potentia, constetque eum in multis agere praeter naturae ordinem rebus insitum, modo apertius, modo vero occultius, sequitur, ut quae naturali ordini per-

permittit, eadem certo ac sapiente consilio permittat, quippe impediturus si aliter ipsi visum esset. Hominem curat, ut animal Deo proximum et propriae felicitatis fruendae causa conditum, bestias vero ut in usum hominum ordinatas. Itaque genera ipsa bestiarum conservari videmus, quod sine singularium sustentatione fieri non potest, cum in singulis rebus consistat generis cuiusque universitas. Egregie Plato, De legibus decimo, medici et nautae exemplo demonstrat totius partem non consistere sine partium etiam minimarum cura: unde infert minime dignum esse creditu, *τὸν Θεὸν ὄντα σοφώτατον, βουλόμενόν τε ἐπιμελεῖσθαι καὶ δυνάμενον, ὧν μὲν ῥᾶον ἦν ἐπιμεληθῆναι, σμικρῶν ὄντων, μηδαμῆ ἐπιμελεῖσθαι, καθάπερ ἀργὸν ἢ δειλόν τινα διὰ πόνους ῥαθυμοῦντα, τῶν δὲ μεγάλων* [*Deum qui sit sapientissimus, velitque cuncta curare et possit, curam magnis impendere, non etiam parvis curatu perfacilibus, quasi aut otium amaret aut laborum metu absterreretur*]. Quare quae effata negare videntur Dei curam circa bestias, comparate sunt intelligenda; quod vel ex Paulo apparet quaerente *an Deus boum gerat curam*, 1 Cor. 9: 9. Nam ipse legem Mosis citaverat quae bovi trituranti os vetat obligari. Negari non potest quin qui eam legem iussit, gesserit et boum curam; sed non praecipue, neque tam boum quam hominum causa, ut sequentia apud Apostolum explanant. Plutarchus ex Homero probat antiquorum sapientum fuisse sententiam curari Divino numine *οὐ μόνον βόας* (haec enim illius verba sunt) *ἀλλὰ καὶ πάντα τὰ ἄλλα ζῶα, ὡς τῆς φύσεως ζωτικῆς μετέχοντα* [*non boves tantum sed et animantia omnia, ut quae de natura vitali participent*]. Sed et circa homines ipsos sunt certi Providentiae gradus: *Novit viam iustorum*, inquit de Deo Psaltes, id est, peculiariter eam curat ac fovet. Vide Iachiaden ad Dan. 7: 3. Salvianus lib. II. *Licet gubernator omnium Deus sit, illis tamen peculiariter regimen praestari a Deo dicitur qui regi peculiariter a Divinitate mereantur.* Sic aliter Reges ac Regna respicit Dei providentia, aliter privatos; ut Platonis iterum verbis utar: *Τῷ τοῦ παντὸς ἐπιμελουμένῳ πρὸς τὴν σωτηρίαν καὶ ἀρετὴν τοῦ ὅλου πάντ' ἐςὶ συντεταγμένα· ὧ καὶ τὸ μέρος εἰς δύναμιν ἕκαςον τὸ προ-*

σῆ-

σῆκον πάσχει καὶ ποιεῖ [*Ab eo qui cuncta curat, omnia constituta sunt ad universi salutem et ad virtutem; singula autem quae eo tendunt, et agunt et patiuntur pro sua pollentia*]. Quare ubi dicit Sapiens Hebraeus de Deo 6: 8, ὁμοίως προνοεῖται περὶ πάντων [*aequaliter ipsi cura est de omnibus*], illud ὁμοίως intelligendum ἀπροσωπολήπτως [*citra personae acceptionem*]: praecessit enim, οὐκ ἐντραπήσεται μέγεθος [*non verebitur magnitudinem*].

30. Ὑμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσὶ, *vestri autem pili capitis omnes numerati sunt*] *Vestrum*, inquit, qui non tantum estis homines, verum etiam nuntii Divinae veritatis, quos proinde Deus, ut ministros suos, in tutelam specialem suscipit. Est autem dictum παροιμιῶδες [*proverbiale*]; numerare enim solemus ea quae habemus in pretio, sicut ea quae contemnimus dicimur *nullo loco numerare*, vel *extra numerum habere*. Deinde *pilus* significat rem minimam, etiam Graecis et Latinis. Hinc Hebraea locutio: *Ne pilus quidem eius peribit*, id est, ne minimum quidem damnum sentiet, 1 Sam. 14: 45, Luc. 21: 18, Act. 27: 34. Seneca epistola XXIX. *Et legem barbae et canorum nondum natus infans habet*. Sensus ergo est: Utcunque in vos saeviant homines, certi estote nihil damni vobis eventurum nisi quod futurum sit in vestram aliorumque utilitatem: alioquin minime id Deum permissurum, qui vos amat, quique plus omnibus potest polletque.

31. Διαφέρετε] Optime puto verti *pluris estis;* quia paulo ante dixerat Christus *duas aviculas unius assis aestimari*.

32. Ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ, *confitebitur me*] יודה לי. Nam ל particulam in hac constructione passim Hellenistae per ἐν vertunt, quomodo et Syrus hic posuit נודא בי.

33. Ἀρνήσομαι αὐτὸν κἀγὼ, *negabo et ego eum*] Non cordis tantum fidem, sed et oris confessionem Christus exigit, Rom. 10: 10. Sicut autem antecedens promissio perseverantiae includit conditionem: ita haec comminatio intelligenda est tacitam in se habere conditionem: Nisi subsecuta sit seria poenitentia, ut Petro evenit, sed ante acceptum fortitudinis spiritum.

34. Μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην ἐπὶ γῆν, *nolite*

te arbitrari, me venisse, ut pacem conciliarem in terra] Ut multi tum existimabant ex Esaiae cap. 11 male intellecto.

Μάχαιραν, gladium] Μαχαίρας voce hic non bellum (neque enim bellum est ubi alter caedit, alter vapulat tantum, quemadmodum factum est puris illis Christianae innocentiae temporibus) sed dissidium debet intelligi, quod ex Luca apertissimum est, qui pro eodem posuit διαμερισμὸν [*separationem*] 12: 51, quo tamen ipso loco quaedam exemplaria olim habuerunt *μάχαιραν*; idemque hic sequentia declarant. Tralatio inde sumta quia *μαχαίρας* proprium quasi officium est *μερίζειν* [*dividere*], quo alludit etiam Scriptor ad Hebr. 4: 12. Quod autem hic manifestissimum est, verbis ἦλθον βαλεῖν μάχαιραν, ἦλθον διχάσαι [*veni, ut inferrem dissidium, veni ut separarem*] non propositum, saltem τὸ προηγούμενον [*antecedaneum*], Christi, cuius omnia consilia et vota ad pacem atque concordiam spectabant, sed eventum potius intelligi; eius meminisse ad aliorum quoque locorum explicationem debemus. Similia apud omnes Scriptores occurrunt; ut in veteri Epigrammate:

Haec peperi flammis, caetera, dixit, aquis.

Nisi quod hic praeter eventum praecognitio eventus et ea non obstante seminandae veritatis firmum consilium intelligi debet. Sensum talem ἐκβατικὸν [*eventualem*] vocant Graeci, etiam Christiani. Tale illud: *Ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν* [*Perdam sapientiam sapientium*], 1 Cor. 1: 19.

35. *Κατὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, adversus patrem suum*] Ostendit ventura tempora non minus periculosa quam ea fuerant quae deplanxerat Michaeas 7: 6; ideo verba eius repetit. Ait Tertullianus in Scorpiaco, multis sui temporis Christianis patres et fratres fuisse traditores.

37. *Ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμὲ οὐκ ἔςι μου ἄξιος, qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*] Id est, non convenit meae disciplinae. Ita enim Lucas interpretatur 14: 26. Ideo Paulus iubens nos *pacem colere cum omnibus*, provide adiecit, *quoad fieri potest, et quantum in vobis*. Semper enim amicior esse debet veritas et salutaris sapientiae studium. Vide exemplum Abrahami Gen. 12. Vocandus hic iterum mihi Hie-

roolss: *Εἰ δὲ ἐςιν ὅτε τῶν θείων νόμων ἀνήκοός ἐςιν ἡ τῶν γονέων προαίρεσις, τί δεῖ ποιεῖν εἰς ἀντινομίαν ἐμπεσόντας τοιαύτην, ἢ τοῦτο ὃ καὶ ἐπὶ πολλῶν καθηκόντων ἐκ περιςάσεως εἰς ἐναντίωσιν ἐλθόντων προσήκει φυλάττειν; μειζόνων γὰρ καὶ ἐλαττόνων προκειμένων καλῶν, τὰ μείζονα πρὸ τῶν ἐλαττόνων ποιεῖσθαι δεῖ, ὅταν μὴ ἀμφότερα ἐξῇ διασώζειν· οἷον καλὸν μὲν τῷ Θεῷ πείθεσθαι, καλὸν δὲ καὶ τοῖς γονεῦσιν· εἰ δὴ πρὸς ταῦτα ἡ ἀμφοτέρων ἄγοι πειθὼ, ἕρμαιον ἂν εἴη καὶ ἄμαχον· εἰ δὲ πρὸς ἄλλο μὲν ὁ θεῖος νόμος, πρὸς ἄλλο δὲ οἱ γονεῖς φέροιεν, μαχομένης τῆς αἱρέσεως, τοῖς ἀμείνοσιν ἕπεσθαι δεῖ, πρὸς ταῦτα μόνον ἀπειθοῦντας γονεῦσι, πρὸς ἃ καὶ αὐτοὶ τοῖς θείοις νόμοις οὐ πείθονται· τὸν γὰρ φυλάττειν βουλόμενον τοὺς τῆς ἀρετῆς κανόνας, οὐχ οἷόν τε τοῖς τούτους παραβαίνουσι συμφωνεῖν [Quod si eveniat ut parentum voluntas Divinis legibus sit inobsequens, quid facere oportet eos qui in talem legum pugnam inciderunt? Quid aliud quam quod semper facere oportet ubi plures officiorum regulae ex casu emergente inter se colliduntur? Certe ubi maiora et minora bona se nobis offerunt, maiora minoribus antehabenda sunt, si non utraque servare liceat; exempli causa, honestum est Deo obedire: sed et parentibus obedire honestum. Si ergo ab utraque parte idem nobis suadetur, lucrum in eo est et res controversia carens. At si alio lex Divina, alio parentes trahant, cum utrum eligas id pugnet alteri, meliora sequenda sunt: et in iis solis non obsequendum parentibus, in quibus ipsi Divinis legibus non obsequuntur. Qui enim virtutis regulas velit observare, is eas violantibus consentire non potest*]. Et ad illa carmina:

Μηδ' ἔχθαιρε φίλον σὸν ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς
Ὄφρα δύνῃ· δύναμις γὰρ ἀνάγκης ἔγγυθι ναίει.
[*Ne veterem abiicito propter leve crimen amicum,*
Si potes: haec etenim prope sunt, posse atque necesse.]

Idem ille optimus Interpres: *Εἰς πάντα οὖν τοὺς φίλους ἀνεξόμεθα, ὡς ὑπὸ μεγίςης ἀνάγκης τῆς φιλικῆς διαθέσεως πιεζόμενοι, πλὴν ἑνός· οὐ γὰρ δὴ καὶ πρὸς τὸ χεῖρον ὑποφερομένοις αὐτοῖς εἴξομεν, οὐδὲ μεταβαλλομένοις ἐκ τῆς πρὸς φιλοσοφίαν σπουδῆς εἰς ἑτέραν τινὰ τοῦ βίου πρόθεσιν ἐπακολουθήσομεν καὶ αὐτοὶ συνεκφερόμενοι τοῖς ἀποπίπτουσιν ἀπὸ τοῦ πρὸς τὴν ἀρετὴν σκοποῦ* [*Per omnia ergo amicos tolera-*

rabimus, velut coacti a necessitate maxima, amico animo, extra unum. Non enim si ad peiora trahantur iis cedemus, neque si a studio sapientiae ad aliud vitae genus transeant eos sequemur, et trahi nos patiemur ab iis qui a virtutis proposito excidere].

38. *Τὸν ςαυρὸν αὐτοῦ, crucem suam*] Reperitur hoc loquendi genus etiam apud Rabbinos: ut in Arama in Genesin in Isaaci historia. Crux atrocissimum et plenissimum ignominiae supplicium Romanis usitatissimum, apud quos ea vox transferri ad omnia incommodorum genera coepit: ut, *I in malam crucem*, *Summum ius, summa crux; Cruciare*. Ad Iudaeos igitur quibus non erat avitum id supplicii genus (nam Iudaica suspensio alterius erat modi) locutio ista venit aut a Romanis, quorum imperium iam per aliquot annos pertulerant, aut etiam a Persis: nam hos quoque usos crucis supplicio, etsi forte a Romana cruce aliquatenus diversae, ut viri docti monent, tum ex Iosepho tum aliis multis auctoribus constat. Quo inter caetera pertinet locus ille in decreto Darii Esdrae 6: 11, ubi est זקף vox Chaldaea, quam hic etiam posuit Syrus. Caeterum Christus ita vocem generalem usurpavit ut tamen ad propriam quoque notionem digitum intenderet, significans ne illud quidem infame et atrox supplicium defugiendum esse veritatis profitendae causa. Haec autem Christi adhortatio praeter generalem sui usum in Christianis omnibus, etiam peculiarem eventum habuit in Petro aliisque Apostolis et martyribus qui illam ipsam poenam crucis, Christi exemplo dedicatam, fortissime pertulerunt. Quae cum cogito, videtur mihi non sine Divinae providentiae instinctu olim Plato dixisse De republica II, de vero iustitiae cultore: *Πάντα κακὰ παθὼν ἀνασχινδιλευθήσεται* [*Postquam omnia mala pertulerit, crucifigetur*]. Nam *ἀνασχινδιλεύειν* per *ἀνασκολοπίζειν* [*cruci affigere*] exponunt Graeci interpretes. Quod autem hic dicitur *λαμβάνειν τὸν ςαυρὸν* [*accipere crucem*], infra 16: 24 et Marc. 8: 34 et 10: 21 et Luc. 9: 23 dicitur *αἴρειν τὸν ςαυρὸν* [*tollere crucem*], Lucae autem 14: 27 *βαςάζειν τὸν ςαυρὸν* [*baiulare crucem*], quae loca si conferas cum historia passionis Christi, in qua itidem est vox *αἴρειν* infra 27: 32 et Marc. 15:

15: 21 et *βαςάζειν* Ioh. 19: 17, apertissime constabit haec loquendi genera morem illum respicere quo *τῷ σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαςος ἐξέφερε τὸν ἑαυτοῦ ςαυρὸν* [*quisque damnatorum corpore suo crucem ferebat*], ut Plutarchus loquitur. Itaque *λαμβάνει* hic verterim *suscipit*. Nam eodem sensu *suscipere onus, pericula, labores, dolorem* dixit Cicero. Hebraei onus in humeros tollere נשא dicunt; quod Hellenistae modo vertunt *φέρειν*, ut Esai. 53: 4, modo *ἀναλαμβάνειν*, ut eundem Esaiae locum supra vertit Matthaei interpres 8: 17, modo *λαμβάνειν*, ut Lev. 17: 16 et alibi.

Ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, sequitur me] Purus putus Hebraismus. Nam Hebraei verbis *sequendi* subiungunt *κατὰ πλεονασμὸν* [*per sermonis abundantiam*] particulam אחרי [*post*], ut Iud. 4: 16, Ps. 143: 3 et alibi. Idem hic interpres infra eundem sensum locutione Graecanica extulit *ἀράτω τὸν ςαυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθείτω μοι* [*tollat crucem suam, et sequatur me*], 16: 24, quomodo etiam loquitur Marcus et Lucas uno loco: nam altero dixit *ἔρχεται ὀπίσω μου* [*venit post me*], quae itidem est Hebraica *περίφρασις τοῦ ἀκολουθεῖν* [*circumlocutio* verbi *sequi*], ita ut subtiliorem interpretationem comminisci sit supervacuum. Sectatur autem Christum qui vitam suam quatenus fieri potest ad dicta ipsius ac facta componit.

39. *Ὁ εὑρὼν, qui invenit*] *Εὑρίσκειν* hic est *σώζειν* [*salvam facere*], qua voce idem hic Scriptor utitur infra 16: 25, Marc. 8: 35 et Luc. 9: 24, in eodem hoc sensu. Neque aliud vox ista significat Luc. 15: 24, 32. Simile est Prov. 29: 10, יבקשו נפשו, *ἐκζητήσουσι ψυχὴν αὐτοῦ, quaerent vitam eius*, id est, servare studebunt.

Ψυχὴν αὐτοῦ, animam suam] Id est, *semetipsum*, genere loquendi Hebraeis et Syris familiari. Ita exponere malo quam *vitam*, ob locum Ioh. 12: 25. Quin et ipse Lucas ita interpretatur. Nam quod apud Matthaeum est 16: 26 *ψυχὴν ἑαυτοῦ* ille dixit *ἑαυτόν* [*semet ipsum*]. Dicuntur autem *semet lucrari* ex sua ipsorum opinione qui abnegatione veri periculum effugiunt.

Ἀπολέσει αὐτὴν, perdet illam] *Ζημιωθήσεται αὐτὴν*, ut infra 16: 26, *sui ipsius damnum faciet*.

40. *Ὁ δεχόμενος, qui recepit*] Solatur iterum discipulos Chri-

Christus, ostendens inter tot infesta non defore ipsis solatia a piis hominibus, quos Deus in id ipsum excitet magna proposita mercede: ita Abrahamo olim dictum fuit: *Benefaciam tibi benefacientibus*, Gen. 12: 3.

41. *Προφήτην, Prophetam*] Si quis recte advertat videbit tres poni discipulorum Christi gradus. Primus est infimorum, qui hic *μικροὶ* [*parvi*] vocantur, ut et infra 18: 6, Marc. 9: 42, Luc. 17: 2, aut *ἐλάχιστοι* [*minimi*], ut infra 25: 40, 45, et *νήπιοι* [*parvuli*] *in Christo*, 1 Cor. 3: 1, *τεκνία* et *παιδία* [*filioli, infantes*], 1 Ioh. 2: 12, 13, qui in primis adhuc Christianismi rudimentis versantur, ac proinde facilius offendi solent. Secundus gradus est mediocrium, qui hic et infra 13: 17, vocantur *δίκαιοι* [*iusti*], alibi *νεανίσκοι* [*adolescentes*], 1 Ioh. 2: 13. Tertius eorum qui iam maxima Spiritus dona acceperunt, qui et hic et dicto loco 13: 17, *προφῆται*, *ἄνδρες τέλειοι* [*viri perfecti*] Eph. 4: 13, *πατέρες* [*patres*] 1 Ioh. 2: 13, 14. Sic et Clemens Alexandrinus tres ponit Christianorum gradus. In primo illi est *ὁ ἐξ ἐθνῶν ἐπιστρέφων* [*qui ex Gentibus convertitur*], in secundo *ὁ εἰς γνῶσιν ἀναβαίνων* [*qui ad scientiam adscendit*], in tertio *ὁ κορυφαῖος γνωστικός* [*summum obtinens scientiae gradum*]. Alibi dixit *κλητοὺς*, *ἐκλεκτοὺς*, *τελείους* [*vocatos*, *electos*, *perfectos*]. Origenes: *τοὺς ἁπλουστέρους*, *τοὺς ἐπὶ πόσον ἀναβεβηκότας*, *τοὺς τελείους* [*simpliciores*, *aliquousque provectos*, *perfectos*].

Εἰς ὄνομα προφήτου, nomine Prophetae] Hoc est quod barbare vulgo dicitur, *in qualitate Prophetae*.

42. *Ποτήριον ψυχροῦ μόνον, calicem aquae frigidae*] Proverbiale loquendi genus, quo hodieque in multis linguis utimur quoties minimum aliquod beneficium significatum volumus. Docemur hic facta ex animo, non animum ex factis apud Deum aestimari.

CAPUT XI.

1. *Ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν, in civitatibus eorum*]. Id est, Iudaeorum. Ita solent Hebraei, et nostri Scriptores eos secuti, relativos ponere, etiam cum nomen nullum an-

antecessit, dum tale sit quod facile possit subintelligi. Occurret infra in Luca aliquoties; ita in Ps. 99: 8. Sic infra 12: 9, ἦλθεν εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν [*venit in Synagogam eorum*]. Similiter Luc. 4: 15, positum est ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν [*in Synagogis eorum*]. Vide et Luc. 5: 17.

2. *Τὰ ἔργα τοῦ Χριςοῦ, opera Christi*] Facta nimirum cum veteribus de Christo oraculis apertissime congruentia, quorum testes oculatos volebat esse discipulos suos, ut etiam vinctus, quatenus poterat, defungeretur mandato sibi Indicis munere.

3. *Ὁ ἐρχόμενος, qui venturus*] Ille de quo verbum illud *veniendi* usurpavit Iacobus, Gen. 49: 10, et Esaias 35: 4.

4. *Ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ, renuntiate Iohanni*] Ut ipse, cui vos fidem adhibetis, dicat vobis, quid de eo qui ista sit facturus Prophetae dixerint. Ita propositio erit certissima nixa Divina auctoritate; assumtio quoque indubitata, quippe constans oculata fide: unde consecutionis necessitate sequetur illatio quaestionem definiens.

5. *Νεκροὶ ἐγείρονται, mortui resurgunt*] Verum est quod Iudaei proverbio celebrant, *Deum promissa beneficia praestare non contentum, aliquid ad cumulum addere*. De caecis, surdis, claudis sanandis, vaticinatus erat Esaias, et Psalmographus Ps. 146: 8. Addidit Deus, quod amplius est, mortuorum resuscitationem.

Πτωχοὶ εὐαγγελίζονται, pauperes euangelizantur] ענו, quod eiusdem est originis cum עני, non semper animo mitem sed saepe forte humilem atque abiectum significat; praesertim apud Esaiam. Nam et cap. 11: 4, ענוי ארץ sunt iidem quos דלים vocat, id est, *pauperes*. Non male igitur Septuaginta illud Es. 61: 1 לבשר ענוים verterunt εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς [*euangelizari pauperibus*], quos hic sequitur Matthaei interpres et Luc. 4: 18. Ex eisdem Esaiae verbis certum est εὐαγγελίζονται hic sumendum passive; ut solent Graeci passiva formare etiam ab activis dativum regentibus, cum εὐαγγελίζω etiam cum accusativo reperiatur. Sic infra ponitur vox διακονηθῆναι [*ministrari*], 20: 28. Sed praecipue videtur Christus hoc vaticinio uti ut ostendat quantum sua docendi ratio distet

a

a moribus doctorum sui seculi. Nam Legisperiti vix quemquam nisi magno pretio docebant, contemnebant plebem, quam vocabant *populum terrae;* imo proverbium repererant et stultum et superbum, *Spiritum non requiescere nisi super divitem.* Olim Prophetae ad Reges potissimum mittebantur, Christus piscatoribus se primum patefecit.

6. *Μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί, non offenderit in me*] Non offensus fuerit statu meo humili ac paupere et imminentibus mihi vexationibus. Vide infra 26: 31, 1 Cor. 1: 23.

7. *Κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον, arundinem vento agitatam*] Sensus est: Habuistis puto causam aliquam ob quam tanto studio in loca illa deserta cucurristis. Neque enim credibile est vos coivisse ut arundines vento agitatas videretis. Hoc ideo, quia extra Iohannem nihil ferme aliud istis in locis erat spectare.

8. *Μαλακοῖς ἱματίοις, mollibus vestibus*] Sericis: nam serica *molles lanas* etiam Virgilius dixit. Sericorum autem tanta erat caritas ut auro contra pensarentur.

Ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν, in domibus Regum sunt] Non in locis desertis: quare ne ista quidem concursus vestri causa esse potuit.

9. *Προφήτην, Prophetam*] Etiam Gorionides Iohannem hunc Prophetam vocat.

10. *Ἄγγελόν μου, Angelum meum*] מלאכים sive ἄγγελοι dicebantur non quivis Prophetae, sed qui de re magna a Deo ad populum erant legati, ut Moses, Num. 20: 16, Agg. 1: 33, et ille unde hoc vaticinium sumtum est, Malachias, cuius nomen ipsum ἄγγελον significat; unde factum est ut Christiani veteres saepe eum Graece Ἄγγελον quasi proprio nomine appellent. Dictus est eodem vocabulo in Ecclesia Christiana ὁ τοῦ πρεσβυτερίου προεστώς [*princeps presbyterii ecclesiastici*], ut qui Dei nomine verba ad populum facere soleret; quod scilicet eundem locum in Ecclesia obtineret quem in Templo Magnus Sacerdos, qui et ipse מלאך, id est, ἄγγελος dicitur, Mal. 2: 7. Diodorus Siculus de Iudaeis citatus Photio: Ἀρχιερέα τοῦτον προσαγορεύουσι, καὶ νομίζουσιν αὐτοῖς Ἄγγελον γενέσθαι τῶν τοῦ Θεοῦ προσαγμάτων [*Vocant*

 hunc

hunc Summum Sacerdotem, et existimant eum ipsis nuntium esse Dei iussuum].

Πρὸ προσώπου σου, ante faciem tuam] Apparet hinc etiam verba Prophetarum non citari a Christo *κατὰ λέξιν* [*verbotenus*], sed ita ut voces interdum mutentur manente sententia; quomodo et apud Graecos saepissime citantur Homeri versus mutata persona aut modo verbi. Nam apud Prophetam dictio ad populum dirigitur, hic ad ipsum Messiam; et quod hic est *ἔμπροσθέν σου* [*ante te*], apud Prophetam *ἔμπροσθέν μου* [*ante me*].

Ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου, qui praeparet viam tuam] Describitur officium metatoris: quam vocem Romanam ita exponit Suidas: *Μιτάτωρ· ὁ προαποστελλόμενος πρὸ τοῦ ἄρχοντος* [*qui mittitur ante Principem*]. Confer quae supra 3: 3 ex Esaia.

11. *Ἐγήγερται, surrexit*] Notanda sermonis proprietas. Nam Prophetae proprie dicuntur *ἐγείρεσθαι* [*surgere*], Luc. 7: 16, Ioh. 7: 52.

Ἐν γεννητοῖς γυναικῶν, inter natos mulierum] Sensus est: Maior Iohanne nullus ante ipsum Propheta humano generi apparuit. Ita apud Lucam dicto loco: *Προφήτης μέγας ἐγήγερται ἐν ἡμῖν* [*Propheta magnus surrexit in nobis*], id est, *apparuit in medio nostri.* Neque aliud est apud Lucam in hac ipsa narratione *εἶναι ἐν γεννητοῖς γυναικῶν* [*esse inter natos mulierum*] quam *in rebus humanis esse*, aut *ab hominibus conspici.* Sic Iob. 14: 1, 15: 14, 25: 4 homo dicitur ילוד אשה *γεννητὸς γυναικὸς* [*natus mulieris*], apud Sirach. 10: 18, *γέννημα γυναικός* [*natum mulieris*].

Ὁ δὲ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, qui autem minimus est in Regno coelorum] Id est, in praedicatione Regni coelestis; quod antehac adumbratum non aperte annuntiatum a Prophetis fuerat. Comparatio tota est in ipso dono Prophetiae, quod Lucas apertius expressit. Quanto ergo Iohannes praestitit omnibus ante se Prophetis, tanto Prophetae Novi Federis, etiam infimi, antestabunt Iohanni, nimirum amplitudine notitiae de liberatione humani generis. Namque id ante Iohannem mysterium fuit, Iohannis tempore coepit illucescere, post Christi passionem et resurrectionem, et missum Spiritum

san-

sanctum, meridiana luce clarius patuit. Sic infra 13: 17 ait Christus multos Prophetas optasse ea posse videre quae videnda dabantur discipulis suis. *Μικρότερος* hic est *ἐλάχιστος* [*minimus*], ut et apud Luc. 9: 48. Nulla igitur necessitas nos cogit ad duos hanc comparationem restringere, ut inde porro colligamus Christum de se ipso hic agere. Nam quod affirmat vir harum rerum peritissimus, *μείζων* [*maior*] et *μικρότερος* nisi adsit expressum nomen pluralis numeri semper de duobus dici, in eo ipsum falli docemur verbis infra positis 18: 1, ubi sine plurali est *Τίς ἄρα μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν;* [*Quis, putas, maior est in Regno coelorum?*], neque tamen ibi inter duos comparationem sisti, apertius est quam ut probationis indigeat.

12. *Βιάζεται, vim patitur*] Magno concursu hominum invaditur. Olim populus veritus *βιάζεσθαι* ad montem Sinae scandendum: est enim ea vox in versione Graeca Exod. 19: 24. Nunc id licet in montem illum *μυστικώτατον* [*maxime mysticum*].

Βιασταὶ, violenti] Ostendit Christus magno opus esse animo his qui possessionem velint adipisci Regni illius coelestis, quod a Prophetis obscurius praedictum, a Iohanne proprius indicatum, ab ipso Christo apertissime erat revelatum. Sic Iosuam Deus ad invadendam Cananaeam, Regni coelestis imaginem, *forti et intrepido esse animo* iubet, Ios. 1: 6, 7, 9.

13. *Ἕως Ἰωάννου, usque ad Iohannem*] Non hoc vult, cum adventu Iohannis emortuam Legem; debebat enim illa durare usque ad solennem illam missionem Spiritus sancti: neque, nulla vaticinia ultra Iohannem extendi; sunt enim quae ad postremum urbis Hierosolymorum excidium pertinent: sed Messiam illum novi Regni Principem, quem Legis ceremoniae adumbraverant, Prophetae praedixerant, et doctrinam perfectiorem simul cum Iohanne et per Iohannem coepisse cognosci. Vide quae ad Lucam.

14. *Εἰ θέλετε δέξασθαι, si vultis recipere*] Si patimini verum vobis dici.

Ἠλίας, Elias] Elias corruptissimis temporibus nullo periculo absterritus est quominus Regi omnique populo

 pec-

peccata ipsorum ob oculos poneret. Idem *spiritus ac virtus*, id est, fortitudo eadem, in Iohanne apparuit. Ob hanc ζήλου [*zeli*] eminentiam Iudaei animam Phineae in Eliam venisse fabulabantur. Sed a vetustioribus dictum puto fuisse, *Eliam venisse in spiritu Phineae*, quomodo Iohannem venturum in spiritu Eliae dicit Angelus Luc. 1: 17.

Ὁ *μέλλων ἔρχεσθαι, venturus*] Ἐρχόμενος, ut modo de Messia commate 3, aut *μέλλων ἔρχεσθαι*, ut hoc loco, significat officium certo Dei decreto praefinitum.

15. Ὁ *ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω, qui habet aures ad audiendum, audiat*] Ἐπιφώνημα [*acclamatio*], quo Christus et eum secutus in Apocalypsi Iohannes saepissime claudunt pronuntiata sua de rebus magni momenti. Lucas alibi ita explicat: *Θέσθε εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν τοὺς λόγους τούτους* [*Ponite in aurem vestram sermones istos*]. Talia apud Poëtas:

Audire est operae pretium.

Et:

— *Audite atque animis advertite vestris.*

Aures autem hic aliisque locis per translationem positae sunt ad significandam intellectivam facultatem, quomodo et *mentis oculos* dicimus. Hierocles agens de malis affectionibus: *Τούτων δὲ λύσις μία ἡ πρὸς Θεὸν ἐπιστροφή, ἣν ἐξευρίσκουσιν οἱ τὸ ὄμμα τῆς ψυχῆς καὶ τὸ οὖς πρὸς τὴν τῶν ἀγαθῶν ἀνάληψιν ἐπεγείροντες* [*Ab his una libertatis via, ad Deum conversio, quam inveniunt qui animae oculum et aurem ad rerum bonarum perceptionem excitant*]. Erat autem res de qua agit Christus maxime notanda, vel ideo quod tota Prophetia in illis ipsis verbis desierat, et quando post longi temporis intermissionem instauranda esset indicium fecerat. Iudaei autem sicut Prophetiae privilegio maxime gloriabantur, ita eius iacturam graviter ferebant.

16. *Τίνι δὲ ὁμοιώσω, cui autem comparabo*] Exordium familiare Iudaeis parabolam inceptantibus, ut apparet tum ex Thalmudicis libris, tum Marc. 4: 30, Luc. 13: 18, 20.

Γενεὰν, generationem] Hominum genus certo tempore ac loco circumscriptum. Ita *ferream prolem* in Arateis dixit Cicero. Proprie autem de Pharisaeis et Legisperitis agi docemur Luc. 7: 30.

Ὁμοία

Ὁμοία ἐςὶ παιδίοις, similis est pueris] Semel notandum est quia saepe occurrit, vim istius dativi non esse ut denotet ipsum comparationis terminum, qui plerumque non illa proxima voce sed tota insequenti narratione continetur. Neque enim Iudaeos Christus comparat illud puerile carmen in foro cantantibus, sed potius carmen illud in ipsos ait quadrare. Sic infra 13: 24 dicitur *Regnum coelorum simile esse satori*, cum tamen non satorem Regno comparet Christus, sed rem Regni coelestis ita se habere dicat quasi aliquis serat, et deinde quae sequuntur eveniant. Sic et alibi idem Regnum dicitur *Regi esse simile*.

17. *Ὠρχήσασθε, saltastis*] Sapienter praefatur Aemilius Probus ad Vitas virorum illustrium, leve multis visum iri quod in Epaminondae virtutibus commemoretur saltasse eum commode. Sed respondet hoc se ab iis demum exspectare qui expertes Graecarum literarum nihil rectum nisi quod moribus ipsorum conveniat putent. Addit talia non omnibus honesta esse atque turpia, sed ex Maiorum institutis iudicari. Iudaeorum hac in parte mores Graecis quam Romanis propriores fuere. Neque enim turpe illis visum fuit publica aut privata gaudia tam saltatione quam cantu testari: quo refero *τὰς συνήθεις ἐν τοῖς ἐπινικίοις παιδιὰς* [*lusiones in victoriis usitatas*], quarum mentio apud Iosephum Originum XII. 12. Quin hodieque Iudaei tum in conventibus sacris tum in nuptiis usurpant motus quosdam satis inconditos, abolita pridem apud ipsos veteris harmoniae memoria. Quanquam autem Christianos maxime deceat gravis persona, ac proinde non dubitem etiam in rebus eiusmodi Romanos mores prae Iudaicis ac Graecis ipsis antiquitus placuisse, tamen non indignum notatu est quae in Synodis antiquis ea de re constituta sunt, non tam ad mera tripudia quam ad molles mimicasque gesticulationes pertinere.

Ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψατε, lamentati sumus, et non planxistis] Θρηνεῖν est *lessum facere* aut *naeniam canere*, ut solebant apud Romanos praeficae, ad quarum *κέλευσμα* [*sonum praevium*] plangebatur. Scriptor de Mundo: *Καθάπερ ἐν χορῷ κορυφαίου κατάρξαντος συνεπηχεῖ πᾶς ὁ χορὸς*, [*Sicut in choro praeeunte praecentore grex*

 suc-

succinit]. Appianus Civilium secundo, post relatum Antonii lessum super morte Caesaris: Ἐφ' οἷς ὁ δῆμος, οἷα χορὸς, αὐτῷ πενθικώτατα συνωδύρετο [*Ad quae populus, in chori modum, tristissime ei adlamentabatur*]. Ita apud Euripidem et Senecam lessu praeit Hecuba, sequuntur Troades, quarum planctum his versibus Seneca describit;

Tibi nostra ferit dextra lacertos,
Humerosque ferit tibi sanguineos,
Tibi nostra caput dextera pulsat.

Plane morem apud Iudaeos similem obtinuisse tum ex hoc loco discimus, tum ex Iosepho, qui Belli Iudaici tertio, mercede conductos ait αὐλητὰς οἳ θρήνων ἐξῆρχον [*tibicines qui lessu praeirent*]. Eustathius ad Iliados ultimum: Βαρβαρικὸν οἱ τῶν θρηνῶν ἔξαρχοι ἀοιδοί [*Barbaricus mos est ut cantores lessu praeeant*]. Est autem dictum huic nostro simile quod ex R. Papa in Gemara refertur: *Ploravi tibi, sed animum non advertisti; risi tibi, sed non curasti; vae tibi, qui bonum malumque non internoscis.*

19. Φάγος] *Comessator, coenipeta.*

Οἰνοπότης] *Bibaculus.* Nam Hebraeis שותה שכר aut שותה יין dicitur non quivis vinum bibens, sed qui vino indulget, ut Ps. 69: 13, Am. 6: 6, Prov. 31: 4.

Καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς, sed approbata est sapientia a filiis eius] Verum est quod monet vir de plurimis locis optime meritus, καὶ hic sumi pro ἀλλά [*sed*], nimirum Hebraeorum exemplo apud quos ו saepissime ita ponitur. Sed et ὁ ἀττικώτατος [*Atticissimus*] Theophrastus καὶ aliquoties eo sensu dixit. Puto autem quod sequitur proverbium esse Iudaicum, sed praesenti instituto accommodatum: ἡ σοφία hic nihil aliud est quam quod apud Lucam 7: 30 βουλὴ τοῦ Θεοῦ [*consilium Dei*], sapientissimum nimirum Dei consilium Iudaeos et Iohannis severitate et Christi comitate ad poenitentiam revocantis, ne quid inexpertum relinqueret, atque etiam ne quid illi causari possent. Placebant sibi multi vitae austeritate; hac ipsa in re multum illos Iohannes antecessit. Alii popularitatem requirebant; Christo nemo unquam fuit popularior. Rursum Iohannes, ut poeni-

nitentiae praeco, ad severitatem compositus, Luc. 1: 15, Matth. 3: 4, Christus comis, ut veniae largitor. Illum rara neque imitabilis vivendi ratio, hunc miraculorum vis maxima commendabat. *Δικαιοῦν* hic, ut in Ps. 51: 6 et Rom. 3: 4 et apud Luc. 7: 29, est *approbare* aut etiam *laudare*. *Ἀπὸ* pro *ὑπὸ* etiam apud Graecos Scriptores non caret exemplo. Thucydides ita dixit, *ἀπὸ πολέμου ἐφθάρησαν* [*bello eversi sunt*]. Neque aliter hic reddidit Syrus, qui et *τέκνων αὐτῆς* vertit עבדיה, id est, *cultores eius*, non incommode. Filii autem sive cultores sapientiae non sunt intelligendi qui iam tum sapiebant, ut quidam putant, sed illi potius qui pia quadam Divinae sapientiae reverentia tenebantur, quales Iohannis et Christi tempore erant publicani et de plebe aliqui, Luc. 7: 29, 30. Simili modo *υἱὸν εἰρήνης* [*filium pacis*] dixit Luc. 10: 6. Hoc autem ideo Christus addidit, ut intelligeretur non omnino sterilem hactenus fuisse operam tum Iohannis tum suam.

20. *Ὀνειδίζειν τὰς πόλεις, exprobrare civitatibus*] Ita Plato, *ὀνειδίζων ἕνα ἕκαστον* [*increpans singulos*].

21. *Εἰ ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἐγένοντο αἱ δυνάμεις, si Tyri et Sidone editae essent virtutes*] Miraculorum haud dubie magna vis est ad incutiendam hominibus Divini numinis reverentiam, et ad obsignandas promissiones ac minas. Quod nisi miracula coniuncta cum iis adminiculis quae miracula comitari solent ad corrigendos animos valerent, non diceret Christus peculiarem atque insignem culpam talium beneficiorum contemtu contrahi. Vide Ioh. 15: 24. Nec obstant huic sententiae verba Abrahami ad epulonem in parabola dicentis: *Si Mosi et Prophetis non auscultant nec si quis mortuorum resurrexerit persuadebuntur*, Luc. 16: 31. De iis enim loquitur qui cum non ignorarent Legem Mosis magnis miraculis esse comprobatam, tamen vitam instituerent quam scirent Legi Mosis directe adversari. Tales enim homines hoc ipso ostendebant ita se vitiis suis delectari ut nulla miraculorum reverentia ea vellent exuere. Longe autem alia est ratio tum eorum ad quos Lex Mosis non pertinebat, tum eorum quibus alia annuntiabantur quam quae satis certo scirent Mosis Lege comprehendi. De utroque

hoc hominum genere hic agit Christus. Adde quae ad Lucam dicemus.

Πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενόησαν, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent] *Πάλαι* illud ad vetusta tempora refero, ut initio ad Hebraeos. Puto autem designari ea tempora quibus vixit Ezechiel, qui Tyrios et Sidonios de peccatis ipsorum et imminente Divina ultione graviter admonuit. Dicit igitur Christus, si eo tempore ad illas Ezechielis conciones miracula talia ac tanta accessissent qualia Christus in Galilaeis urbibus ediderat, facturos illos fuisse quod olim Ninevitae, poenitentiam nimirum acturos delictorum etiam cum maxima luctus testatione. Hinc colligit quanta sit illorum culpa qui suam Divinam ac salutarem doctrinam tantis signis admoniti non recepissent. Coniunguntur haec, *σάκκος* et *σποδὸς*, etiam apud Es. 58: 5, Ier. 6: 26, Dan. 9: 3 et in Iudithae historia 4: 11. Neque verum est, Hebraeis *saccum* idem significare quod Latinis, quanquam esse aliquid simile in utroque significatu non nego. Nam Latinis *receptaculum* significat aut *pecuniae* aut *frumenti* aut alterius rei; Hebraeis autem *cilicium*, ut recte transtulit aliquot in locis vetus Latinus interpres. Aliud autem esse *cilicia*, aliud *saccos*, etiam ex tertia Verrina apparet, ubi legimus *imperata civitatibus cilicia et saccos*. Sed Hellenistae Hebraeam vocem sensu Hebraico usurparunt etiam in Graeco sermone, quos et Iosephus sequitur, ut Orig. XX cap. 5. *Μετενδυσάμενοι σάκκους, σποδοῦ τὰς κεφαλὰς ἀναπλήσαντες* [*induti ciliciis, capita pulvere adspersi*], qui ipse alibi, ubi in Hebraeo est שק, posuit nunc *σχῆμα ταπεινὸν* [*vilem habitum*], nunc *πενθικὴν ἐσθῆτα* [*lugubrem vestitum*]. Imo et Graeci Scriptores alii, Plutarchus De superstitione: *Ἔξω κάθηται σακκίον ἔχων ἐν πηλῷ καλινδούμενος* [*Foris sedet saccum habens volutans in coeno*]. Menander de Syris dixerat:

——— *Εἶτα σακκίον ἔλαβον, εἰς θ' ὁδὸν*
Ἐκάθισαν αὐτοὶ ἐπὶ κοπροῦ.
[——— *Tum saccum induti, in via*
Prosternunt sese provoluti in stercore.]

Idem et Christiani facere coeperunt, nec in Graeco tantum, sed et in Latino. Ita in Tertulliano legimus *preces*

in sacco et cinere factas ob anni siccitatem. *Cineris* autem nomine Hebraei sordes omnes intelligunt. Itaque Iob. 2: 8, ubi in Hebraeo est *in cinere*, Graeci posuerunt *ἐπὶ τῆς κοπρίας*, et Latinus *in sterquilinio*. Quanquam autem non ea fuerit Tyriorum et Sidoniorum durities Ezechielis tempore quae fuit magnae partis Galilaeorum aetate Christi, id tamen Tyrios a culpa non liberat. Satis enim damnabat ipsos lex inscripta mentibus, aequitatem in commerciis exigens, et misericordiam adversus eos quorum res erant afflictae; cum illi contra vim dolumque miscerent mercimoniis, et sola spe derivandi ad se quaestus Iudaeis, amicis veteribus ac federatis suis, a Chaldaeo victis iam atque prostratis crudeliter insultarent: quae omnia atque alia insuper videre est apud Prophetam. Sed et Homerus adversus eos testimonium dixit:

> *Δὴ τότε Φοῖνιξ ἦλθεν ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδώς,*
> *Τρώκτης, ὃς δὴ πολλὰ κακ' ἀνθρώποισιν ἐώργει.*
> [*Inde venit gnarus fraudum, vir origine Phoenix,*
> *Qui multum nocuit multis sermone doloso.*

Τρώκτης, id est, *κερδαλέος* [*vulpinans*], ait Eustathius. Huc spectat illud in Philostrati dialogo ad Phoenicem: *Τὰς ἐμπορίας διαβέβλησθε ὡς φιλοχρήματοί τε καὶ τρῶκται* [*Circa commercia male auditis ut avari et fraudatores*]. His accedebat quod tanta Iudaeorum propinquitas, communis lingua, quotidiana commercia, non patiebantur eos ignorare certissima argumenta cultus uni Deo debiti; praesertim cum ab eodem Deo missi Prophetae ipsos nominatim aut voce aut literis saepius compellarent. Haec igitur atque alia Phoenicas aut emendare si vellent, aut si nollent contumaciae convincere poterant, etiamsi miracula illa tot ac tanta quae sapientissimo Dei consilio Messiae temporibus asservabantur ipsis non contingerent. Nostrum est grata manu accipere dona quae Deus largitur, non quae ac quanta dare debeat ipsi praescribere. Quod autem hîc Christus conqueritur, idem et olim conquestus est Deus, si eam quam Iudaeis impendebat operam impendisset iis populis quos Iudaei ut feros ac barbaros contemnebant, aliquanto plus se profecturum fuisse, Ezech. 2, 6, ostendens simul incommeritam suam boni-

 ta-

tatem erga Iudaeos, bonorum parentum malam progeniem, viamque sternens demonstrandae iustitiae suae in uberrima illa quae per Christum ventura erat gentium profanarum vocatione, cuius gratiae ipsi illi adeo despecti Iudaeis Tyrii et Sidonii participes fuere, nec sine fructu, ut apparet Act. 21 et 27. Quanquam vero non dubium mihi est, fuisse in Christo certam cognitionem de rebus multis quae posita aliqua conditione eventurae erant aut fuerant, tamen cum hi quos alloquebatur eo tempore tantum Christo non tribuerint, satius arbitror haec, ut alia Christi dicta, exponere populariter, ut dixerit quod humano iudicio rebus bene expensis admodum erat probabile. Quo respiciens, ut videtur, Latinus interpres, quod mox sequitur ἔμειναν ἂν vertit *forte mansissent.*

22. *Πλὴν λέγω*] Latine dicas, *hoc amplius.* Alibi valet *caeterum*, aut *verumtamen*, ut solent particulae illae varias habere significationes.

Ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, die iudicii] Cur non diem ἐπισκέψεως [*visitationis*] specialis, sed commune generis humani iudicium hic intelligendum putemus, causas reddidimus ad caput proxime antecedens.

23. *Ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ, quae ad coelum usque sublata es, usque in infernum depnimeris*] Hoc non dubito quin ad res huius vitae pertineat, ut in his quae sequuntur commate proximo assurgat oratio. Florebat Capharnaumum piscatu, mercatu, et quae alia esse solent commoda ad mare sitarum urbium. Neque enim frustra παραθαλασσία [*maritima*] dicitur supra 4: 13, neque sine causa Christus huc habitationem suam transtulit. Iam Christus ei urbi perseveranti in incredulitate gravissimas clades denuntiat, quas putamus evenisse bello Vespasiani et motibus qui tum in Galilaea acciderunt. Proverbialis autem est locutio, etiam Graecis et Latinis, *ad astra tolli* aut *sublimi vertice sidera ferire*, pro eo quod est *rebus florentibus et illustri loco esse.* Huic contrarium est εἰς ᾅδου, hoc est, ad infima loca, demergi: quo fortunarum eversio significatur. Esai. 14: 15 de Babylone אל שאול תורד εἰς ᾅδου καταβήσῃ [*ad infernum descendes*], et 57: 9 תשפילי עד שאול,

Grae-

Graece ἐταπεινώθης ἕως ᾅδου [*depressa es usque ad inferos*]. Et haec simplicissima est sententia verborum Annae in Cantico: *Deus facit descendere ad inferos et adscendere*, 1 Sam. 2: 6, quod in Tobia ita explicatur: Ὅτι αὐτὸς μαστιγοῖ, καὶ ἐλεεῖ· κατάγει εἰς ᾅδην, καὶ ἀνάγει [*Quoniam tu flagellas, et salvas; deducis ad inferos, et reducis*]. Interim sciendum est Divina providentia dirigente factum ut talia loquendi genera in Propheticis scriptis exstarent quae figurate significarent liberationem a cladibus, ipsa tamen vocum proprietate latens resurrectionis mysterium adumbrarent, quomodo illo Samuelis loco uti Scriptorem libri Sapientiae paulo ante ostendimus. Idemque in Psalmorum, Danielis et Ezechielis aliquot locis observare est.

25. Ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα, *quia abscondisti haec*] Est Hebraismus qualem supra observavimus 8: 9. Neque enim pro occultatione sed pro revelatione proprie gratias agit Christus. Usitata locutio esset: ὅτι ἀποκρύψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις [*quod cum celaveris ista sapientes et prudentes, parvulis eadem revelasti*]. Sapientes illi, tota domus Hillelis et Sameae.

Ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις, *revelasti ea parvulis*] Νηπίους hic apparet opponi συνετοῖς [*prudentibus*], id est, iis qui sibi multum sapere videbantur, κρίνοντες τοῦ εἰδέναι πολλὰ [*iudicantes se scire multa*], ut cum Paulo loquar 1 Cor. 2: 2. Sunt ergo νήπιοι hi qui de se humiliter sentiunt. Erat autem haec quoque γνώμη [*sententia*] antiquitus celebrata inter Iudaeos. Sirach. 3: 19, 20. Πολλοί εἰσιν ὑψηλοὶ καὶ ἐπίδοξοι, ἀλλὰ πραέσιν ἀποκαλύπτεται μυστήρια· ὅτι μεγάλη ἡ δυναστεία τοῦ Κυρίου, καὶ ὑπὸ τῶν ταπεινῶν δοξάζεται [*Multi sunt sublimes et illustres, at mansuetis aperiuntur mysteria; quia magna est potentia Domini, et ab humilibus honoratur*]. Ubi iunctim ponuntur πραεῖς καὶ ταπεινοί, ut et hoc capite infra comm. 29. Psaltes dixerat: *Mysterium Domini timentibus ipsum*, 25: 14. Et Hebraei omnes notant Mose neminem fuisse ταπεινοφρονέστερον [*modestiorem*], nemini plus a Deo revelatum. His addendum quod infra dicit Christus: Ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐκεί-

νοις

νοις δὲ οὐ δέδοται [*Vobis datum est nosse mysteria Regni coelorum, illis autem non est datum*], 13: 11. Etiam Pythagorici, ab Hebraeis ut multa alia ita hoc quoque edocti, dicebant Deum se non omnibus patefacere, quod commoda distinctione ita explicat Hierocles: *Οὐκ ἄρα αὐτὸς αἴτιος τοῦ μὴ πᾶσι δεῖξαι, ἀλλ' οἱ τῶν ἀγαθῶν πέλας ὄντων οὔτε ἰσορῶντες οὔτε κλύοντες· καὶ διὰ τοῦτ' αὐθαίρετα πήματ' ἔχειν λέγομεν· αἰτία οὖν τοῦ ἑλομένου, Θεὸς δὲ κακῶν ἀναίτιος, προλάμπων μὲν ἀεὶ τὰ ἀγαθὰ πᾶσιν ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ, οὐ δεικνὺς δὲ πᾶσιν ἀεὶ, τῷ τὸ θεωρὸν ὄμμα τῶν προτεινομένων ἀγαθῶν ἐν τοῖς πλείςοις μεμυκέναι καὶ κάτω νεύειν ἀσχολίᾳ τῇ πρὸς τὰ χείρονα* [*Non igitur ille in causa est quod non omnibus se ostendat, sed qui bona prope posita nec vident nec audiunt: et ideo sponte quaesitis eos malis laborare dicimus. Culpa igitur penes eligentem; Deus extra culpam, praelucens quidem omnibus bona quantum in se est, non tamen ea ostendens omnibus, ideo quod oculus quo spectanda sunt proposito bono in multis connivet et deorsum vergit districtus circa deteriora*]. Huic ordini Divinae patefactionis intus peragendae accommodata fuit etiam dispensatio exterior. Nam Regno coelorum praemittitur poenitentiae κήρυγμα [*praedicatio*], Christo Baptista. Tum vero et Baptista et Christus ipse nullo fulgebant rerum exteriorum apparatu, ac ne eloquentiae quidem aut sapientiae humanae praesidiis, quo magis appareret nullam in rebus eiusmodi ponendam esse fiduciam, sed humilem obedientiam praestandam humili magisterio. Huc spectant et superiora, ut cum de se dixit Christus: *Beatus qui in me non offendetur*, et de Baptista loquens: *Si vultis accipere.* Sed notandum est, sicut decimo capite de prima Apostolorum legatione ita egit Christus ut multa attexeret ad posteriores legationes pertinentia, ita hoc etiam loco de iis quae contigerant hactenus ita agere Christum ut occulte etiam ventura praemonstret. Nam sicut vaticinia de mittendo Messia non intellexerunt homines scientia inflati, ob statum ipsius despicabilem, quod principium erat τῆς αὐτοῦ κενώσεως [*exinanitionis ipsius*], ita postea crux Christi et auctus inde ignominiae metus iisdem obstitit quominus in Christum iam apertius revelatum crederent; ita semper

per dispensationes suas Domino temperante, ut idem iter admitteret humiles et excluderet superbos.

26. *Εὐδοκία, placitum*] Vox Hellenistica, ut ad caput 3 diximus, quae alibi *propensum affectum*, hic vero et aliis in locis *decretum Divinum* significat. Ita et Paulus: *Εὐδόκησεν ὁ Θεὸς διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος σῶσαι τοὺς πιςεύοντας* [*Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes*], 1 Cor. 1: 21. Simile est 2 Macc. 14: 35. *Σὺ Κύριε τῶν ὅλων ἀπροσδεὴς ὑπάρχων εὐδόκησας ναὸν τῆς σῆς σκηνώσεως ἐν ἡμῖν γενέσθαι* [*Tu Domine universorum, qui nullius indiges, voluisti Templum habitationis tuae fieri in nobis*]. Neque ea voce ostenditur causas nullas fuisse cur ita visum fuerit; sed non omnibus patentes. Nam laudat Christus in hoc decreto Dei et aequitatem et sapientiam. Et sic etiam in humanis negotiis eam vocem usurpavit Paulus Rom. 15: 26.

27. *Πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου, omnia mihi tradita sunt a Patre*] Pergit Christus agere de decretis Divinae dispensationis, ex quibus consequens esse, ut nec ad cognitionem mysteriorum veniatur nisi per fidem sibi habitam, neque ad fidem nisi per sensum miseriae et poenitentiam. Monstrat orationis series agi de mysteriis ad salutem humanam pertinentibus, quorum revelatio Filio est credita.

Οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱὸν εἰ μὴ ὁ πατήρ, nemo novit Filium nisi Pater] Quid Filius facturus passurusque sit, quae ipsum maneat gloria, solus novit qui praefinivit ab aeterno Pater.

Οὐδὲ τὸν πατέρα τις ἐπιγινώσκει εἰ μὴ ὁ υἱὸς, neque Patrem quis novit nisi Filius] Quomodo Pater dispensari velit vocationem Iudaeorum primum, deinde et Gentium, conscius ipsi solus est Filius. Nam ne Prophetae quidem ea quae super istis rebus praedixerunt videbant, nisi per transennam, quod dicitur. Vide 1 Petri 1: 10.

Καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι, et cui voluerit Filius revelare] Hoc ad utrumque referendum, tum ad id quod de Patre tum ad id quod de Filio noscitur. Filii enim sapientiae permissum erat et quibus et quantum et quando vellet aperire. Neque ille aperuit mysteria omnibus, sed partem aliquam iam in se credentibus, partem

Apostolis solis. Vide infra 13: 11, Marc. 4: 11, Luc. 8: 10, Rom. 16: 25, 1 Cor. 2: 7, Eph. 3: 5, Col. 1: 26. Clemens Alexandrinus Stromateon VI: *Πλέον δέ ἐςι τοῦ πιςεῦσαι τὸ γνῶναι* [*Plus est scire quam credere*], sed et *γνωςικῶν* [*scientium*] facit gradus: quosdam enim vocat *γνωςικοὺς τελείους* [*scientes perfectos*], Strom. VII et alibi. Similia videas apud Origenem adversus Celsum tertio.

28. *Δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis*] Revelationem mysteriorum dixerat non omnibus dari: ad fidem vero in se omnes vocat, excluso nemine, sed ita ut praeire velit poenitentiae praeparationem. *Non enim omnium est fides.* Sunt igitur *οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι*, qui peccati onere suspirant et ad libertatem adspirant: quos non male describit Baruch, aut quisquis est libri illius auctor, 2: 18. *Ἡ ψυχὴ ἡ λυπουμένη ἐπὶ τὸ μέγεθος, ὃ βαδίζει κύπτον καὶ ἀσθενοῦν, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ οἱ ἐκλείποντες, καὶ ἡ ψυχὴ ἡ πεινῶσα, δώσουσί σοι δόξαν καὶ δικαιοσύνην, Κύριε* [*Anima quae tristis est super magnitudine mali et incedit curva et infirma, et oculi deficientes et anima esuriens dat tibi gloriam et iustitiam, Domine*]. Confer locum Ioh. 7: 37. *Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με καὶ πινέτω* [*Si quis sitit, veniat ad me et bibat*]. Sequitur autem *ὁ πιςεύων εἰς ἐμὲ* [*qui credit in me*] &c., ut appareat *venire* esse *credere*, ut et Ioh. 6: 44.

Ἀναπαύσω ὑμᾶς, reficiam vos] Liberos vos praestabo a dominio peccati in posterum, tandem etiam a morte et miseriis.

29. *Τὸν ζυγὸν*] *Iugum* mandata significat. Ita vox ista sumitur Act. 15: 10 et Iohannes hunc locum explicans pro iugo *ἐντολὰς* [*mandata*] dixit 1 Epist. cap. 5: 3.

Μάθετε ἀπ' ἐμοῦ, discite a me] Puto absolute poni, sine relatione, quomodo *μανθάνειν* [*discere*] et alibi usurpatur, Ioh. 6: 45, 1 Cor. 14: 31, 1 Tim. 2: 11, ut sensus sit: Date vos in meam disciplinam.

Ὅτι πρᾶός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, quia mitis sum et humilis corde] Non est quod me formidetis ob peccatorum conscientiam. Non sum, quales illi superbi atque inclementes magistri. Humilis humiles amo, clemens poenitentia ductis ignosco. Supra diximus iungi solere

πρᾶον

πρᾶον καὶ ταπεινόν. Neque id immerito: morosum enim et inhumanum quiddam est superbia. Respicitur locus Zach. 9: 9.

Καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν, et invenietis requiem animis vestris] Amat Christus loqui Prophetarum verbis. Exstant haec apud Ier. 6: 16.

30. *Ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστὸς, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν ἐστι, iugum enim meum suave est, et onus meum leve*] Nimirum ob Spiritus auxilium, et magnitudinem ac certitudinem propositi praemii, explicante Iohanne 1 Epist. 5: 4, qua de re egimus supra ad caput 7. Adde his, quod praecepta Christi etiam per se talia sunt ut naturae humanae conveniant, quippe in diligendo Deo et hominibus sita, ita ut si par ponatur consuetudo, unius hominis ad recte vivendum, alterius ad flagitia, non dubie multo dulcior sit futura vita quae secundum virtutem est. Gravissima enim tributa pendunt qui ambitioni, qui avaritiae, qui libidini serviunt. Ideo Sapiens Hebraeus peccatis servientes ait *διοδεύειν ἐρήμους ἀβάτους* [*ambulare vias difficiles*]. Philo: *Ἡ ἀρετὴ φαντασίᾳ μὲν κατὰ τὴν πρόχειρον ἔντευξιν ἀργαλέον εἶναι δοκεῖ· μελέτῃ δὲ ἥδιστον καὶ ἐξ ἐπιλογισμοῦ συμφέρον* [*Virtus primo quidem intuitu durum quid esse videtur; at exercenti suave et bene examinanti utile*]. Quo sensu et illud Chrysostomi verum est: *Δυσκολώτερον ἡ κακία τῆς ἀρετῆς* [*Vitium virtute difficilius*]. Salvianus: *Quid namque a nobis exigit, quid praestari sibi a nobis iubet, nisi solam tantummodo fidem, castitatem, humilitatem, sobrietatem, misericordiam, sanctitatem, quae utique omnia non onerant nos sed ornant?*

CAPUT XII.

1. *Τοῖς σάββασι, Sabbato*] Supra diximus voces Hebraeas ad Graecam nominum figuram flecti additione aut imminutione. Ita ex Hebraeo שבת addendo facta est vox Graeca *σάββατον*, diminuendo autem *σάββα σάββατος*, unde dativus pluralis *σάββασι*. Sed posterior vox in singulari numero usurpari desiit; ideoque iis coepit accenseri quae plu-

plurali sono singularem habent significationem, ut hic apparet, et infra 28: 1, Act. 13: 14 et alibi. Ita apud Horatium: *Sunt hodie tricesima sabbata.*

Τίλλειν στάχυας, vellere spicas] Τίλλειν hoc Lucas interpretatur *ψώχειν fricare*, quo sensu vox *τίλλειν* est et apud Diodorum Siculum, et in Glossis *τιλμὸς ὀσπρίων* [*vulsio leguminum*]. Vellere spicas in agro alieno licebat per legem Deut. 23: 26, quae non impunitatem sed ius ad factum concedit. Sed an Sabbato vellere ac fricare liceret, alia erat quaestio. Lex Mosis interdicit Sabbato facere מלאכה, quod Hebraei recte interpretantur *opus servile.* In Iure Pontificio Romano, cuius pars magna ab Ethruscis erat, Ethrusci autem ab Hebraeis per Tyrios acceperant, quo loco de festis diebus agebatur, erat idem loquendi genus: *Ne famula opera patranto;* nam inde accepit Cicero De legibus II. *Feriis iurgia amovento, easque in famulis operibus patratis habento.* Sed apud Romanos usus indulgentior multas exceptiones famulorum operum invenerat. Itaque apud Virgilium haec sunt ex Iure Pontificio petita, ut nos Macrobius docet:

Quippe etiam festis quaedam exercere diebus
Fas et iura sinunt: rivos deducere nulla
Relligio vetuit, segeti praetendere sepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.

Servius eo loco utitur ut probet necessitati parere religionem. Hebraei tales exceptiones non admittebant, quippe gnari decreto Dei lapidatum hominem quod lignatum ivisset in Sabbato. Ac nominatim in Pandectis ipsorum spicas confricare numeratur inter famula opera. Neque negat Christus opus esse famulum, sed ex circumstantiis ostendit factum hoc discipulorum Legis sententia non comprehendi. Est ergo quaestio *τοῦ ῥητοῦ καὶ τῆς διανοίας, status scripti et voluntatis,* ut hac de ipsa re agens Tertullianus loquitur.

2. *Ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν σαββάτῳ, quod non licet facere Sabbato*] Vulsionem spicarum intelligunt, non deambulationem. Nam ambulat et Christus: at Pharisaei solos discipulos notant. Iter maius Hebraei famulis operi-

ri-

tribus accensebant; minus non item, ut quod ad reficiendum animum magis quam ad laboris speciem pertinebat. Discrimen autem inter iter et ambulationem natura indefinitum, ut certi aliquid esset in iudiciis, lege humana definitum erat spatio bis mille cubitorum. Hac igitur in parte nihil habebant Pharisaei quod calumniarentur.

3. *Οὐκ ἀνέγνωτε τί ἐποίησε Δαβὶδ, non legistis quid fecerit David*] *Scire leges*, inquiunt Iurisconsulti, *non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem, quia prior atque potentior est quam vox mens dicentis.* Ideo quoties certis indiciis comprehendi potest mens eius qui legem scripserit, praeferri debet διάνοια τῷ ῥητῷ [*mens dicto*]. Verum enim est quod apud Ciceronem libro De Inventione secundo legimus, *nullam rem neque legibus neque scriptura ulla, denique ne in sermone quidem quotidiano atque imperiis domesticis, recte posse administrari, si unusquisque velit verba spectare, et non ad voluntatem eius qui verba habuerit accedere.* In legibus autem prohibitoriis plerumque verba latius patent, quam mens ipsa legis. Nam, ut eodem loco apud Ciceronem est, *non omnia scriptis, sed quaedam, quae perspicua sunt, tacitis exceptionibus caventur.* Hinc aequitatis, quam ἐπιείκειαν vocat, proprium esse dicit Aristoteles ἐπανορθοῦν τὸν νόμον ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου [*corrigere legem ea parte qua deficit ob locutionem universalem*]. Ea nisi adhibeatur, ius illud summum, τὸ ἀκριβοδίκαιον, fit summa crux summaque iniuria. Neque vero ea quae diximus in humanis tantum legibus locum habent, sed et in Divinis, eius nempe generis quod non natura iustum est, sed constitutione. Deus enim cum hominibus loquens humano more ita vult intelligi quomodo idem dicens homo intelligeretur. Inter omnes autem exceptiones, quae tacite insunt legibus, nulla est aut receptior aut iustior quam ea quae fluit ex necessitate. Bene Seneca: *Necessitas magnum humanae imbecillitatis patrocinium: quicquid cogit excusat.* Neque vero necessitas ea demum intelligenda est quae in extrema, ut ita dicam, linea consistit; sed habet et illa suum πλάτος [*latitudinem suam*], modo maius, modo minus, pro necessitate aut utilitate legis ipsius. In omni autem le-

legum genere minimae necessitatis utilitatisque sunt leges sacrorum rituum et institutorum civilium, quas certum est non ob id ipsum quod in lege est, sed aut *εὐταξίας* [*recti ordinis*] aut significationis alicuius gratia repertas. In harum igitur legum interpretatione necessitas sumitur paulo laxius. Poterat hic Christus multa afferre ex Iudaico Iure huc pertinentia. Nam Maccabaicis temporibus decretum est ut pugnare in hostem Sabbatis liceret. Sed et ex sententia receptiore cursores publici et mercatores statis temporibus proficiscentes *ἐν συνοδίᾳ*, quam nunc *Carvanam* vocant, lege Sabbati eximebantur. Sed quia haec sola consuetudinis nitebantur auctoritate, nec deerant qui dissentirent, cuius rei magnum est argumentum quod post Maccabaica tempora bis Hierosolyma Sabbato sunt expugnata, Christus ex ipsis literis Sacris validissimum a pari causa sumit argumentum, quod tale est: In pari causa ius idem esse oportet; lex Sabbati et lex de propositis panibus non edendis nisi a Sacerdotibus, ambae sunt rituales: David eiusque comites, pari necessitate pressi qua nunc premuntur discipuli mei, fecerunt contra *τὸ ῥητὸν* [*verba*] legis de panibus, neque tamen censentur fecisse contra *τὴν διάνοιαν* [*mentem*]: sequitur ergo nec discipulos meos hoc facto quicquam adversus legis sententiam committere.

Καὶ οἱ μετ᾽ αὐτοῦ, et qui cum eo erant] Nimis aperta sunt haec verba quam ut negari possit Davidem eius fugae comites aliquos habuisse. Et ut haec verba aliqua ratione possent eludi, illa certe apud Marcum non possunt, *καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι* [*et dedit quoque eis qui cum eo erant*]. Quare quod Pontifex in Samuelis historia miratur Davidem esse solum, ita intelligi debet, comites alibi substitisse.

4. *Εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, in domum Dei*] Id est, locum in quo erat *ἡ σκηνή* [*Tabernaculum*]. Nam Templum adhuc nullum exstabat.

Τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως, panes propositionis] LXX modo *ἐνώπιον* [*coram positos*], modo *προσώπου* [*faciei*], modo *προκειμένους* [*praeiacentes*] dicunt; saepissime vero, ut hic, *ἄρτους προθέσεως*, quod et Philo sequitur.

Οὓς οὐκ ἐξὸν ἦν αὐτῷ φαγεῖν] *Quibus vesci ipsum fas non*

non *erat* κατὰ τὸ ῥητὸν rigide sumtum [*secundum verba* rigide sumta]; fas autem erat κατὰ διάνοιαν [*secundum sententiam*], quod inde apparet, quia neque David reprehenditur eo nomine, neque Achimelec Sacerdos religiosissimus concessurus fuerat quod sciret eum lege pugnare.

5. *Ἢ οὐκ ἀνέγνωτε ἐν τῷ νόμῳ, aut non legistis in lege*] Alterum Christi argumentum a minori ad maius; lex Sabbati eam recipit interpretationem ut non obstet operibus Templi: ergo nec Propheticis operibus obstare debet. Antecedens probatur ex lege Num. 28: 9 et notissima consuetudine: unde regula erat Iuris Iudaici, *in Templo non esse Sabbatum.* Consequentiam probat Christus commate sequenti.

Βεβηλοῦσι, violant] *Βεβηλοῦν τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων* [*violare diem Sabbati*] dixit etiam Scriptor historiae Maccabaicae libro I cap. 2: 34. Sed hic subintelligi debet κατὰ τὸ ῥητόν [*si verba spectemus*]. Ideo sequitur καὶ ἀναίτιοί εἰσι [*et sine crimine sunt*], quia scilicet contra legis διάνοιαν [*sententiam*] nihil admittunt. Atque adeo hoc ipso loquendi genere utuntur Hebraei veteres in Pandecte Thalmudico, et ex illis David Kimchi, cum dicunt recte interdum violari Sabbatum; idque probant exemplo operarum sacerdotalium. Addunt et historiam, qua et Iustinus adversus Tryphonem utitur, Arcae circum Hierichuntem portatae Sabbato non minus quam diebus caeteris. Sic ex Iure Pontificio veterum Romanorum *Umbro negabat eum pollui qui opus ad Deos pertinens sacrorumve caussa fecisset:* Macrobius I Saturnalium 16.

6. *Τοῦ ἱεροῦ μεῖζόν ἐστιν ὧδε, Templo maior est hic*] Plus Templo erat omnis Propheta; unde Prophetis extra Templum sacrificare licuit, ut Eliae. Iesus autem plusquam Propheta, ut infra dicet commate 41. Sed dicat aliquis Templi ritus observari non poterant nisi labor aliquis die Sabbati insumeretur; quae autem talis connexio est inter spicarum vulsionem? Nimirum ista, quod Christus eiusque Apostoli ita occupati fuerant in obeundo suo munere, ut non vacaret ipsis cibum sibi parare quo Sabbati die vescerentur. Aut ergo intermit-

tere debuerant munus Propheticum, aut facere contra τὸ ῥητὸν [verba] legis Sabbati. Sacerdotale autem munus non intermittebatur ob legem Sabbati; igitur nec Propheticum, quod maius erat, intermitti eo nomine debebat.

7. *Εἰ δὲ ἐγνώκειτε τί ἐστιν, si autem sciretis quid est*] Tertium Christi argumentum petitum ex loco de contrariis legibus. Estque idem *προσυλλογισμὸς* [*syllogismus antecedaneus*] qui supra cap. 9. Quoties leges ex circumstantia colliduntur, ita ut simul utraque servari nequeat, servanda est lex potior; potior autem est lex quae beneficentiam praecipit quam quae ad ritus pertinet: praeferenda igitur. Propositio notissimi est iuris: assumtio probatur, ut supra quoque, Oseae verbis. Restat complexionis generalis ad hanc speciem applicatio. Lex quae beneficos nos esse iubet, haud dubie ante omnia a nobis exigit ut quantum in nobis est aeternae aliorum saluti consulamus, et quidem quam celerrime, cum nemo sibi possit crastinum polliceri. Legem de Sabbato esse ritualem, res ipsa docet et extra controversiam est. Simul non poterant Christus docendis, Apostoli ad eius doctrinam praeparandis hominibus incumbere, et ea parare quae ad rigidam Sabbati observationem pertinebant, ut ante etiam diximus. Debebat ergo ex eo quod ante conclusum erat lex Sabbati cedere praecepto sanctae institutionis. Quod autem hic ex Osea probatur, Leges omnes rituum multo minoris esse pretii apud Deum quam leges morum, praesertim vero religionis ac beneficentiae, conspectissimae est veritatis, quae multos etiam ex profanis gentibus non effugit. Ex multis pauca adferam. Plato Alcibiade II. *Καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη, εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ Θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ* [*Iniquum enim sit, si ad dona nostra et victimas respiciant Dii, non ad animum, nempe an quis iustus sanctusque sit*]. In quam sententiam et in De republica libris multa praeclare sunt dicta. Versus quos iam adducam alii Menandro adscribunt, alii Philemoni, neutro indignos. Referam autem ita ut emendandos censeo.

Εἰ

Εἰ θυσίαν τις προσφέρων, ὦ Πάμφιλε,
Ταύρων τε πλῆθος ἢ ἐρίφων, ἢ νὴ Δία
Ἑτέρων τοιούτων, ἢ κατασκευάσματα
Χρυσᾶς ποιήσας χλαμύδας ἤτοι πορφυρᾶς,
Ἢ δι' ἐλέφαντος ἢ σμαράγδου ζώδια,
Εὔνουν νομίζει τὸν Θεὸν καθιςάναι,
Πλανᾶτ' ἐκεῖνος καὶ φρένας κουφὰς ἔχει.
Δεῖ γὰρ τὸν ἄνδρα χρήσιμον πεφυκέναι,
Μὴ παρθένους φθείροντα καὶ μοιχώμενον,
Κλέπτοντα καὶ σφάττοντα χρημάτων χάριν.
Μηδὲ βελόνης ἔναμμ' ἐπιθυμῇς, Πάμφιλε·
Ὁ γὰρ Θεὸς βλέπει σε πλησίον παρών.
[*Adducat si quis victimas, o Pamphile,*
Sive ex caprigeno pecore, sive ex bucero,
Sive adeo pecudes alias, aut dona ferat
Paludamentum ex auro sive ex purpura,
Aut ex ebore aut smaragdo sigillaria,
Atque his propitium speret adipisci Deum,
Decipitur vanitate mentis credulae;
Sed oportet ipsum hominem esse puris moribus;
Non felem virginalem, non adulterum,
Non furem, non qui occidit quaesti gratia.
Nec acus filum, Pamphile, concupiveris:
Quando ipse praesens Deus inspectat omnia.]
usdem auctoris est et hoc:
Θεῷ δὲ θῦε διὰ τέλους δίκαιος ὤν,
Μὴ λαμπρὸς ὢν ταῖς χλαμύσιν ὡς τῇ καρδίᾳ.
[*Deo sacrifica semper ingenio probo:*
Nec tu albas vestes magis quam mores induas.]
:cedat his Persius:
Quin damus id Superis de magna quod dare lance
Non possit magni Messalae lippa propago,
Compositum ius fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.
Hoc cedo ut admoveam templis et farre litabo.
erocles in eundem sensum: *Οἶδε τιμᾷν Θεὸν ὁ προηγουνως ἱερεῖον ἑαυτὸν προσάγων, καὶ ἄγαλμα θεῖον τεκταίνων ν ἑαυτοῦ ψυχήν, καὶ ναὸν εἰς ὑποδοχὴν τοῦ θείου φωτὸς ν ἑαυτοῦ παρασκευάζων νοῦν* [*Novit is Deum honorare i semetipsum praecipue victimam offert, simulacrumque*

que Deo statuit animum suum, templumque receptandae Divinae luci parat mentem suam]. Nam Deus, ut ille ibidem ait, τὸ εὐτελέστατον προκρίνει τῆς πολυτελείας ὅταν θεοσεβείας γνώμῃ κοσμεῖται· μετ' αὐτῆς γὰρ πάντα θεοφιλῆ, καὶ ἄνευ ταύτης οὐδὲν Θεῷ φίλον ἄν ποτε γένοιτο [*parabilia praefert sumtuosis ubi illa animo commendantur pio; cum eo enim omnia Deo grata, sine eo nihil Deo placet*].

8. Κύριος γάρ ἐστι καὶ τοῦ σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *dominus enim est filius hominis etiam Sabbati*] Errant qui υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου hoc loco Christum peculiariter intelligunt. Christus enim in terris agens Legi se subditum professus est, neque ei aut derogavit aut obrogavit, sed ex Patris sententia eam est interpretatus, suamque interpretationem et Legis auctoritate et ductis ex aequo bonoque argumentis confirmavit. Est ergo hic υἱὸς ἀνθρώπου *homo quivis;* quod ita apertum facit Marcus ut contradici nequeat. Ita enim apud illum loquitur Christus: *Sabbatum est hominis causa, non homo Sabbati causa: quare filius hominis etiam Sabbati est dominus.* Haec enim verba non cohaerent, si *filium hominis* interpreteris Messiam missum cum potestate Legis antiquandae. Adde iam quod Iesus eo tempore se esse Christum populo aut Pharisaeis nec praedicaverit nec praedicari voluerit. Vide inf. 16: 21, Marc. 8: 30. Sed, ut dixi, notissimum est Hebraeis בן אדם [*filium hominis*] hominem quemvis significare, quanquam interdum, ut diximus, ad minus illustres restringitur. Neque aliter dicitur infra 32, ὃς ἐὰν εἴπῃ λόγον κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου [*quicunque dixerit verbum contra filium hominis*], ut inibi dicemus. Sensus igitur Christi verborum, quae plenius aliquanto sunt a Marco expressa, hic est, Quod alterius rei causa comparatum est, id cedere debet ei, cuius causa comparatum est; at Sabbatum comparatum est hominis causa; debet ergo homini cedere, nimirum ubi de hominis salute agitur. Κύριος εἶναι Graece, ut Hebraice בעל, dicitur *qui aliqua re utendi ius habet:* sicut homo in tali casu ius habet vertendi in usum suum etiam Sabbati diem. Plane idem est quod dixit Rabbi Ionathan: *Sabbatum traditum esse in manum hominum,*

et

et non homines in manum Sabbati. Nam *tradi in manum* idem est quod *esse in dominio.* Ergo hic etiam notam inter Iudaeos regulam Christus usurpavit.

11. *Τίς ἔςαι ἐξ ὑμῶν, quis erit ex vobis*] Modus loquendi quo Iudaei formabant τὰς ὑποθέσεις [*facti species*], ut ad cap. 7 observavimus. Dissentiebant in explicatione legis Sabbati Esseni a caeteris, vix ullam recipientes excusationem: at communior interpretatio exceptiones admittebat. Iure Iudaeorum novissimo, quod Christi aetate aliquot seculis est posterius, constituitur ut pecus in fossam prolapsum in Sabbato alatur, et si opus sit stramine subiecto fulciatur, ut duret in diem sequentem. Quod si talis sit fossa quae demersura sit pecudem ni continuo educatur, quid nunc facturi sint Iudaei omitto, certe Christi aetate receptior erat sententia, non obstare Sabbati religionem quominus vitae pecudis consulatur. Hoc enim est quod in veteri Babylonico Hebraeorum Iure legitur, *periculo animae pelli Sabbatum;* quod ipsi dicunt, סכנת נפש דוחה שבת. Verba in Misnaiot sunt: *Omne opus prohibetur in Sabbato nisi sit pro anima.* Atque adeo recepta erat apud Iudaeos ista exceptio, ut in multis codicibus legi, vice interpretamenti, adscribi coeperit; quod ex Tertulliano colligo. Ita enim is ait IV adversus Marcionem: *Sicut et rursus in Lege: Non facies omne opus in eo, nisi quod fiet omni animae.* Et contra Iudaeos ita legem citat: *Omne opus servile non facietis in eo, praeterquam quod ad animam pertinet.* Sed et Hieronymus ad XXVIII Esaiae: *Lege praeceptum est ne in Sabbato opus servile faciamus, ne accendamus ignem, ut in uno sedeamus loco, ut illa tantum faciamus quae ad animae salutem pertinent. Animae* autem nomine antiqui interpretes pecudis vitam comprehendebant. Quare nova illa interpretatio rigidior odio Christianorum est excogitata, sicut et Dositheus ille, cuius Origenes et Epiphanius meminerunt, statim post Christi aetatem exasperavit interpretando legem Sabbati. Ex hac ergo Iuris regula Christus fulcit argumentum illud quod supra tertio loco propositum duximus. — Non est ab hoc loco alienum quod ex Romanorum Iure Pontificio Scaevola notaverat: *Si bos in specum decidisset, eumque paterfa-*

 mi-

milias adhibitis operis liberasset, non esse visum ferias polluisse. Meminit Macrobius Saturnal. I cap. 16.

12. *Πόσῳ οὖν διαφέρει ἄνθρωπος προβάτου, quanto magis melior est homo ove*] Ne obiicerent Pharisaei in suo Iure agi de vita, hic de membri integritate, occurrit Christus, ostendens tanto hominem pecude esse potiorem ut merito hominis sanitas pecudis vitae praeponderet.

Καλῶς ποιεῖν, benefacere] Hoc est, *ἀγαθοποιῆσαι*, ut uno verbo dixerunt Marcus et Lucas. *Ἀγαθοποιεῖν* autem apud Lucam 6: 9, Act. 14: 17, ut et *ἀγαθοεργεῖν* apud Paulum 1 Tim. 6: 18, idem est quod *εὐεργετεῖν*. Quae Christi sit sententia plenius intelligitur ex Marco et Luca, ubi Christus interrogat, *Liceatne in Sabbato ἀγαθοποιῆσαι [benefacere], an vero κακοποιῆσαι*, ubi *κακοποιῆσαι* est *nocere*, sed eo sensu quo *necare* dicitur qui alimentum negat. Nam sic nocet qui miserum non iuvat quem potest iuvare, sive Divina ope sive etiam arte humana. Lepida est apud Synesium narratio de nauta sabbatario, qui die septimo adventante omittebat gubernaculum, ac diu neque vi neque minis cogi poterat ut munere suo fungeretur, donec ingravescente tempestate et manifesto iam periculo ultro surrexit, dictitans rem in eum casum perductam quo et Sabbato opus facere liceret. Sic apud Iosephum Ionathas Iudae Maccabaei frater suos Sabbato in praelium animat, dicens *περὶ τῶν ψυχῶν αὐτοῖς εἶναι τὸν κίνδυνον [vitam in periculo esse]*. Ubi ergo aegrotus aliquis aut debilis auxilium quod in tua sit facultate implorat, restat aut opem ei benigne feras, aut crudeliter deneges. Utrum vero, inquit Christus, vobis videtur diei festo ac sacro melius convenire? Repetendum memoria est quod supra diximus, ut locum habeat aequitatis exceptio. Non requiri ultimam necessitatem, sed talem quam facile admittat legis natura.

13. *Λέγει τῷ ἀνθρώπῳ, ait homini*] Vera doctrina de Sabbato exposita iam omnem calumniae ansam praecidit. Nam sine contactu sola voce hominem sanat, quod ne speciem quidem violati Sabbati habere poterat.

Καὶ ἐξέτεινε, καὶ ἀποκατεστάθη ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη, et extendit, et restituta est sanitati sicut altera] Hic quoque coniunctio cum verbo vim participii habet. Sensus enim

est

est: Ἐξέτεινεν ἀποκατασταθεῖσαν ὑγιῆ ὡς ἡ ἄλλη [*Extendit eam ita restitutam sanitati ut esset qualis altera*]. Neque enim extendere manum potuisset nisi Divina virtute restitutam.

14. *Συμβούλιον ἔλαβον, consilium capiebant*] Συμβούλιον λαμβάνειν, aut, ut Marcus loquitur, ποιεῖν, non est *concilium vocare*, sed *consilium capere*, sive id fiat in legitimo consessu sive aliter. Itaque infra cap. 27 post convocationem coetus sequitur, συμβούλιον λαβόντες [*consilium inierunt*]. Pharisaeorum autem seorsim nullus erat coetus legitimus. Est ergo συμβούλιον idem quod Platoni συμβουλή, qui et συμβουλὴν ποιεῖν [*consilium inire*] dixit, ut Marcus συμβούλιον ποιεῖν, et hoc loco quidam codices ex interpretamento habent συμβούλιον ἐποίησαν. In Hebraeo fuerit נועצו, quod LXX modo ἐβουλεύσαντο modo συνεβουλεύσαντο vertere solent.

Ἐξελθόντες, *exeuntes*] Ex Synagoga scilicet, in qua haec erant gesta, ut apparet supra commate 9.

15. Ἀνεχώρησεν, *recessit*] Utitur hoc quoque loco Athanasius, ut probet licitam esse fugam. Qua de re diximus supra.

Πάντας, omnes] Nempe qui sanari ab ipso cuperent; quomodo saepe interpretandae sunt particulae universales.

16. Ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσι, *ne manifestum eum facerent*] Ante tempus resurrectionis scilicet. Non videtur mihi hoc loco notam censoriam meruisse qui iniuncti silentii causam eandem esse putat quae secessus fuerat. Nam et quod ex Propheta sequitur eum videtur sensum postulare. Gregorius Nazianzenus non male inter causas iustae fugae adfert τὴν φειδὼ τῶν διωκόντων [*animum parcendi ipsis persecutoribus*], quod Origenes Aristotelis quoque exemplo illustrat, qui Athenis discedens dixerit id se facere, ne occasionem daret Atheniensibus alterum scelus admittendi post caedem Socratis, καὶ δεύτερα εἰς τὴν φιλοσοφίαν ἀσεβεῖν [*iterumque impie agendi contra philosophiam*]. Videbatur adhuc excusabile aliquo modo, si non omnium saltem magnae partis, Pharisaeorum studium pro avitis traditionibus. Itaque additis aliis super alia miraculis opperiri illorum poenitentiam Christus voluit, interim eos arcens ab atrocitate facinoris, donec

suam ipsi conscientiam oppugnantes, ut mox quosdam ipsorum fecisse videbimus, magis magisque meruissent innoxio sanguine inquinari, eoque scelere gravissimas in se poenas accersere, quod fieri non oportebat nisi consummata iam Christi doctrina, ut Tertullianus, nimius alioqui fugae accusator, non male observat. Origenes Celso hoc ipsum obiicienti, praeter id quod diximus, hunc in modum respondet: *Οὐκ ἔςι δὲ ἀγεννὲς, τὸ μετ᾽ οἰκονομίας περιϊςάμενον τοὺς κινδύνους, μὴ ὁμόσε αὐτοῖς χωρεῖν· οὐ διὰ φόβον θανάτου, ἀλλ᾽ ὑπὲρ τοῦ χρησίμως αὐτὸν τῷ βίῳ ἐπιδημοῦντα ἑτέρους ὠφελεῖν, ἕως ἐπιςῇ ὁ ἐπιτήδειος καιρὸς τοῦ τὸν ἀνειληφότα τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἀνθρώπου θάνατον ἀποθανεῖν ἔχοντά τι χρήσιμον τοῖς ἀνθρώποις* [*Non est degeneris animi ob causam vitare pericula neque se eis offerre; idque non mortis metu, sed ut qui in vita hac utiliter versatur prosit aliis donec advenerit aptum tempus, ut qui naturam humanam accepit, mortem obeat hominibus profuturam*].

18. *Ἰδοῦ ὁ παῖς μου, ecce puer meus*] Septuaginta multis in locis de suo quaedam addiderunt ad explicandam Hebraicorum verborum sententiam: ut hoc loco ante *ὁ παῖς μου* posuerunt *Ἰακὼβ*, et ante *ὁ ἐκλεκτός μου* [*electus*] *Ἰσραὴλ*, atque ita bis citat cum Tryphone Iudaeo disputans Iustinus. Quod enim ait Eusebius nono Euangelicae Demonstrationis: *Παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα ὠβέλιςαι τὸ τοῦ Ἰακὼβ καὶ τὸ τοῦ Ἰσραὴλ ὄνομα* [*In libris Septuaginta veru notatur vox Iacob et Israel*], ita accipiendum est, a Criticis ea verba obelo notata tanquam quae adiecta sint, cum in Hebraeo sermone non exstarent. Nam eum fuisse obeli usum in editionibus versionis Graecae veteris Testamenti docent nos Epiphanius, Hieronymus, Augustinus. Errat igitur vir summae eruditionis qui ideo negat haec verba a Septuaginta interpretibus scripta esse. Neque dubito quin ab iisdem interpretibus hic Prophetae locus ita intellectus sit quasi de Hebraeo populo ageret, idque propter ea quae praecedunt cap. 41: 8 et quae sequuntur 43: 1, cum tamen ex aliis Esaiae locis, praesertim vero ex iis quae sunt apud Prophetam cap. 44: 6, observare debuissent agi hic de eo qui lucem allaturus sit tum Iudaeis tum Gentibus: quod recte vidit Chal-

Chaldaeus paraphrastes qui, sublimiorem sensum sequens, *Messiae* nomen hic addidit. Caeterum Iustinus, ut Septuaginta interpretum auctoritatem in suas partes perduceret, *Iacobi* et *Israelis* nomine Christum vult indicatum, quod mihi hic quidem verisimile non videtur.

Ἡιρέτισα, suscepi] Erudite atque efficaciter expressit Matthaei Graecus interpres vocem אתמך, neque minus recte Hieronymus cum vertit *quem suscepi.* Nam αἱρετισαὶ Graecis dicuntur *qui stant ab alicuius partibus*, qui si potentiores sint vocantur Latine *susceptores.* Hinc rubrica in Codice Iustinianeo: *Ut nemo ad suum patrocinium suscipiat rusticanos;* hinc *suscepti* apud Salvianum, Symmachum atque alios. Idem valet ἀντιλαμβάνεσθαι, quod hic posuerunt Septuaginta, quae vox eodem significatu reperitur Luc. 1: 54, ubi Latinus interpres itidem reddidit *suscepit;* quo verbo hic quoque utendum fuit ad exprimendam Graecae vocis proprietatem, quae Hebraeae optime respondet.

Ἀγαπητὸς, dilectus] Apparet hinc quoque eandem esse vim vocis ἀγαπητοῦ et ἐκλεκτοῦ [*electi*], quod supra diximus. Verbum verbo reddiderunt LXX, noster interpres rem ipsam expressit: sicut contra quod sequitur רצתה noster magis proprie, ut et alibi solent LXX, expressit per εὐδόκησε [*in quo bene complacuit mihi*], cum ipsi LXX hoc loco posuerint προσδέξεται [*suscipiet*]. Sed de vocis εὐδοκεῖν significatione egimus ad cap. 3, quae eadem quoque est, etsi minus efficax, in verbo προσδέχεσθαι.

Πνεῦμά μου, spiritum meum] Spiritum proprie mansuetudinis et humilitatis, designatum visibili columbae signo: quem sensum exigunt tum quae sequuntur apud Prophetam, tum occasio quae Matthaeum ad citandum Prophetam adduxit. Vide quae diximus ad cap. 4.

Κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ, iudicium gentibus nuntiabit] Originem vocis κατὰ τὸ λεπτότατον [*exactissime*] secuti LXX posuerant ἐξοίσει [*efferet*]. Caeterum proprie ἐξαγγέλλειν [*publicare*] ea voce significari apparet, Deut. 22: 19, aliisque multis in locis: unde etiam collectu facile est quae significatio vocis πολυσήμου משפט, quam κρίσιν passim vertunt Hellenistae, hic maxime quadret, ea nempe quae *legem* sive *normam vivendi* indicat. Legis enim

ma-

maxime proprium est publicari. Verum hoc esse ostendit quod mox in Hebraeo sequitur: *Ad legem eius longinquae gentes exspectabunt.*

19. *Οὐκ ἐρίσει οὐδὲ κραυγάσει, non contendet neque clamabit*] Cum in Hebraeo duae sint voces eiusdem significationis *clamorem* denotantes, recte noster interpres alterius loco substituit ἐρίζειν [*contendere*], ut ostenderet de eo clamore hic agi qui signum esse solet excandescentis animi. Hinc Paulus cum nominasset πικρίαν, θυμὸν καὶ ὀργὴν [*amaritudinem, iram et indignationem*] addidit κραυγὴν [*clamorem*], et Quintilianus *clamosum altercatorem* dixit. Iustinus ad Zenam et Serenum: Τῶν δὲ κεκραγότων οὐδεὶς σώφρων ἐςί [*Clamantium nemo modestus est*]. In Septuaginta virûm versione est οὐ κεκράξεται οὐδὲ ἀνήσει [*non clamabit neque attolet*] scilicet φωνὴν [*vocem*]. Attamen Iustinus altero loco citat οὐκ ἐρίσει οὔτε κράξει [*non contendet neque clamabit*], altero οὐ κεκράξεται [*non clamabit*] tantum. Symmacho, qui ישא transtulit ἀπατηθήσεται [*decipietur*], errandi causam praebuit exemplar in quo apex τοῦ ש perperam fuit notatus, quanquam sic quoque ἀπατήσει [*decipiet*] potius quam ἀπατηθήσεται transferre debuit.

Οὐδὲ ἀκούσει τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ, neque audiet aliquis in platea vocem eius] Idem valet quod habent LXX, οὐδὲ ἀκουσθήσεται ἔξω ἡ φωνὴ αὐτοῦ [*neque foris audietur vox eius*], quomodo et Iustinus citat altero loco; altero vero, οὔτε ἀκούσεταί τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ [*neque audiet quisquam in plateis vocem eius*], credo quia nunc ex tempore citarat Prophetam ita ferme ut hic legitur, nunc inspecto codice LXX interpretum. חוץ ad verbum est ἔξω [*extra*], quia vero platea est extra aedificia, ideo eo nomine frequentissime appellatur. Marcus alibi utrumque coniunxit, dicens ἔξω ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου [*foris in bivio*], 11: 4. Iracundiae signum est extra fores clamitare. Menander:

Τὸ δ' ἐπιδιώκειν εἴς τε τὴν ὁδὸν τρέχειν
Ἔτι λοιδορουμένην, κυνός ἐς' ἔργον Ῥόδη.
[*At insequi ultro et excursare in publicum,*
Rhode, et differre pipulo, id vero est canum.]

Plau-

Plautus dixit *pipulo ante aedes differre.* Haud dubie ostendit proverbialis haec locutio, Christum ea fuisse bonitate ut palam fieri nollet eorum vitia de quibus aliquid superesset bonae spei. Hoc est quod dicto ad Zenam libro Iustinus his verbis expressit: *Νουθετητέον τὸν ἁμαρτάνοντα μὴ κατὰ κοινὸν, ἐκτὸς εἰ μὴ χρήζει διὰ τὸ ὑπεροπτικόν* [*Is qui peccat monendus est non in publico, nisi ita opus sit ob eius contumaciam*].

20. *Κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει, arundinem quassatam non confringet*] Ita Iustinus uno loco; altero, ut habent LXX, *κάλαμον συντεθραυσμένον οὐ συντρίψει* [*arundinem fractam non conteret*]. Syrus *συντετριμμένον* רעיעא dixit, *κατεάξει* נתבר. Sicut autem Hebraea רצץ et שבר non multum differunt significatu, ita nec רעע quod et Hebraeis est *frangere*, et תבר Syriace pro שבר positum; neque apud Graecos eximium aliquod discrimen est inter *συντρίβειν, συνθλᾶν, κατάγουσθαι.* Nam et quod hic in priori parte positum est ab Interprete, a LXX viris positum est in posteriori, et mox apud Prophetam לא ירוץ dicitur pro ישבר; quare sensus est: Arundinem aliquatenus iam fractam non ultra franget; id vero est: Non praecipitabit in ruinam imbecillitate aliqua lapsos, quales ad istum diem videri poterant Pharisaeorum plerique, imo contra *τὸ συντετριμμένον καταδήσει* [*quod confractum erit alligabit*], ut est apud Ezech. 34: 16.

Τυφόμενον, fumigans] Ita habent et quaedam exemplaria LXX interpretum, neque aliter citat Iustinus, quanquam in aliis est *καπνιζόμενον* sensu eodem. Verbum Hebraeum significat *id quod prope est ut exstinguatur*, qualia sunt ellychnia in quibus fumus aliquod flammae vestigium refert, quae proinde facilius flammam ad se rapiunt quam si plane refrixissent: *τὸ ἀλληγορούμενον* [*id quod occulte innuitur*] apparet idem esse quod in membro superiore. Philo De Coloniis: *Σπινθὴρ γὰρ καὶ ὁ βραχύτατος ἐντυφόμενος, ὅταν καταπνευσθεὶς ζωπυρηθῇ μεγάλην ἐξάπτει πυράν* [*Scintilla enim quamvis minima, ubi flando excitata est, magnum accendit ignem*].

Ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν, donec perducat ad victoriam causam suam] Non assentior Hieronymo suspicanti omissum hic aliquid exscribentium vitio. Sed verba

ποιη-

ποιητικῶς πλεονάζοντα [*poëtico more exuberantia*] omisit Matthaeus. Nam quod in Hebraeo interiicitur לא יכהה ולא ירוץ [*non caligabit, nec frangetur*] nihil aliud significat quam: Non exstinguetur, scilicet ipsius opera, ellychnium amplius quam exstinctum est; neque frangetur, scilicet arundo, amplius quam fracta est. Sunt enim voces repetitae ex priori commate; unde apparet verum esse quod diximus voces ibi positas non ἀντιδιαιρεῖσθαι [*opponi*] suapte vi, sed ex eo quod sensus exigit. Nam quae ibi voces usurpatae sunt de imperfecta fractione atque exstinctione, hic de perfecta usurpantur. At LXX interpretes quasi non de arundine atque ellychnio sed de ipso Dei servo ageretur transtulerunt, ἀναλάμψει καὶ οὐ θραυσθήσεται [*splendebit et non frangetur*], putantes *non caligabit* dictum esse κατὰ λιτότητα [*per extenuationem*] pro *splendebit:* unde emendanda est scriptura Iustini Martyris, apud quem bis positum est ἀναλήψει pro ἀναλάμψει, etiam distinctione vitiosa. Sed et quod bis dixerat Esaias, *ad veritatem iudicium educet,* et *donec ponat in terra iudicium,* recte contraxit Matthaeus, et *donec* retinuit ex posteriori membro, ex priori autem id posuit quod Graecus interpres transtulit εἰς νῖκος, sensum plenissime exprimens; quod malo quam ambiguitate vocabuli Syriaci lapsum dicere Interpretem. Quod Septuaginta verterant εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει κρίσιν (ita ex Iustino emendanda versio LXX, in qua male legitur εἰς ἀληθῆ) [*in veritatem efferet iudicium*] interpres noster eadem plane sententia dixit, ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν, imo et Iustinus citat altero loco ἕως οὗ νῖκος ἐξοίσει [*donec victoriam reportet*], itidem sensum exprimens, non verba annumerans. משפט sive κρίσιν hoc loco aliter quam supra interpretor, pro *causa quae in disceptationem vocatur,* receptissima significatione. Ergo κρίσιν ἐκβάλλειν aut ἐκφέρειν (haec enim nihil differunt) εἰς ἀλήθειαν, sive εἰς νῖκος, sive εἰς τέλος [*in finem*], ut Iob. 23: 7, aut etiam ἐκφέρειν νῖκος [*reportare victoriam*] is dicitur, qui iusta sua ita manifesta facit ut quovis iudice victoriam referre possit. Vide Ps. 51: 6. Hoc autem fecit Christus, cum summa illa lenitate ac patientia malos Iudaeorum mores pertulit, nihilque operae pepercit eis

ad

ad meliorem frugem revocandis. Ita apud eundem Prophetam Deus referens quanta beneficia vineae suae praestitisset, quantaque cum patientia probas uvas exspectasset, ad iudicium provocat cap. 5: 3, qui locus mire huic explicando facit.

21. *Καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι, et in nomen eius Gentes sperabunt*] Optime cum praecedentibus cohaeret, merito enim fiduciam Gentes collocant in eius bonitate qui Iudaeos immorigeros tanta lenitate pertulit. איים, quod in Hebraeo est, non semper *insulas*, sed saepe *regiones* quasvis significat, ut Gen. 10: 5. Recte igitur et LXX et noster interpres sensum reddiderunt voce ἐθνῶν. Iidem ייחלו ἐλπιοῦσι optime: nam ita et alibi exponunt tum LXX tum Hebraei. Quod autem pro לתורתו [*in lege eius*] apud LXX viros habemus ἐπὶ τῷ ὀνόματι, nullum est exscriptorum vitium: nam et Iustinus bis ita citat: et noster hic, qui toto hoc loco LXX non est secutus, itidem reddit ἐν τῷ ὀνόματι aut τῷ ὀνόματι, ut quidam habent codices. Nimirum תורה Hebraeis frequenter significat id quod ipsi alias דרך, Graeci elegantiores dicut αἵρεσιν [*sectam*], Hellenistae autem idem vocant ὄνομα, quia moris est sectatores ab instituti sui auctore nominari. Ita Paulus negat se quenquam *in suo nomine baptizasse*, indicans nullius se novi instituti esse auctorem. Putarunt igitur LXX, qui locum hunc de populo Israelitico interpretabantur, hoc velle Prophetam, exteras gentes fiduciam collocaturas in professione Iudaismi; cum sensus, certe ὁ μυστικώτερος, sit, ut Matthaeus et res ipsa nos docet, id ipsum facturas Gentes in professione Christianismi, qui in se Iudaismi perfectionem continet.

23. *Μήτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς Δαβὶδ, numquid hic est filius Davidis*] Ob miracula cum quibus venturum Messiam populus exspectabat. Quid enim iustius quam eum qui Princeps futurus erat Prophetarum, etiam miraculorum magnitudine anteire Prophetas caeteros? ut mira sit Iudaeorum caecitas qui nunc contra veteres auctores omnes Messiam negant miracula facturum.

24. *Εἰ μὴ ἐν τῷ Βεελζεβοὺβ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων, nisi per Beelzebub principem Daemoniorum*] Inter impuros spiritus unum esse qui praesideat, et Iudaeorum et Aposto-

lo-

lorum scripta nos docent. Is est ἄρχων κόσμου [princeps mundi], Ioh. 12: 31, 14: 30, 16: 11, ἄρχων τοῦ αἰῶνος τούτου [princeps huius seculi], 1 Cor. 2: 6, 8, ἄρχων ἐξουσίας τοῦ ἀέρος [princeps potestatis aëris], Ephes. 2: 2. Hic cur *Beelzebub* a Iudaeis diceretur supra attigimus. Solebant autem incantatores ubi omnia tentando nihil proficerent, postremo adversus Daemones uti vi ac potestate illius Daemonum principis, cuius etiam arcanum nomen enuntiaturos se minabantur. Apud Lucanum Erichtho:

——————— *An ille*
Compellandus erit quo nunquam terra vocato
Non excussa tremit, qui Gorgona cernit apertam,
Verberibusque suis trepidam castigat Erinnyn,
Indespecta tenet vobis qui Tartara, cuius
Vos estis superi, Stygias qui peierat undas?

Tiresias apud Papinium:

Spernite ne, moneo, et nobis saevire potestas:
Scimus enim et quicquid dici noscique timetis,
Et turbare Hecaten, ni te, Thymbraee, vererer,
Et triplicis mundi summum quem scire nefastum est
Illum, sed taceo.

Porphyrius hunc principem Daemonum, τὴν προεστῶσαν (ut ipse loquitur) τῶν κακοδαιμόνων δύναμιν [*potestatem malis Daemonibus praesidentem*], vult dici *Serapin*; cuius haec sunt verba: Τοὺς δὲ πονηροὺς δαίμονας οὐκ εἰκῆ ὑπὸ τὸν Σάραπιν ὑποπτεύομεν [*Malos Daemonas non frustra sub Sarapide positos suspicamur*]. Et alibi: Μήποτε οὗτοί εἰσιν ὧν ἄρχει ὁ Σάραπις καὶ τούτων σύμβολον ὁ τρικάρηνος κύων, τοῦτ᾽ ἔστιν ὁ ἐν τοῖς τρισὶ στοιχείοις, ὕδατι, γῇ, ἀέρι, πονηρὸς δαίμων; [*An non hi sunt quibus praeest Sarapis, et quorum signum triceps canis, hoc est, malus Daemon in tribus elementis aqua, terra, aëre?*], qui locus Statiana illa de *triplici mundo*, ni fallor, illustrat. Idem Porphyrius alio loco, quem citat Theodoretus sermone de Angelis: Βούλονται γὰρ εἶναι θεοὶ, καὶ ἡ προεστῶσα αὐτῶν δύναμις δοκεῖ Θεὸς εἶναι μέγιστος [*Volunt enim Dii esse, et quae praesidet eis potestas vult credi Deus maximus*]. Ad eundem pertinent versus illi apud eum quem dixi Porphyrium:

Δαι-

Δαῖμον, ἀλιτρονόων ψυχῶν διάδημα λελογχὼς
Ἠερίων ὑπένερθε μυχῶν, χθονίων δ' ἐφύπερθεν.
[*Tu, qui sceptra tenes scelerata in pectora, Daemon,*
Terrenos super, aerios subterque recessus.]

et minarum formulae apud Iamblichum libro VI cap. 5 et 6 et 7. Hi sunt *secretarum artium ritus, quibus affantur nescio quas potestates*, ut ait Arnobius.

25. *Πᾶσα βασιλεία, omne regnum*] Gnome notissima inter Hebraeos; qualis illa Sallustiana: *Concordia res parvae crescunt, discordia maximae dilabuntur.* Cicero ferme ipsa verba posuit. Ita enim ait De amicitia: *Quae domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis atque dissidiis funditus possit everti?* Nec longe abscedit illum Sophocleum:

Ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔςιν κακόν·
Αὕτη πόλεις τ' ὄλλυσιν, ἥδ' ἀναςάτους
Οἴκους τίθησιν.
[*Nam nulla maior pestis imparentia est:*
Haec et domos evertit et totas simul
Pessundat urbes.]

Est autem hoc argumentum Christi validissimum ad id conficiendum quod vult, nempe ad evertendam ὑπόθεσιν [*suppositionem*] illam quam a Magis Pharisaei mutuabantur, Daemones scilicet vi aliorum Daemonum coactos aliqua facere: quod et Porphyrius probabat hoc oraculo Hecates:

Ἤλυθον εἰσαΐουσα τεῆς πολυφραδμόνος εὐχῆς,
Ἣν θνητῶν φύσις εὗρε θεῶν ὑποθημοσύνῃσι.
[*Advenio precibus sapientibus indigetata,*
Quas genus humanum monitu reperere Deorum.]

Et isto:

Τίπτε μ' ἀεὶ θείοντος ὑπ' αἰθέρος ὧδε χατίζων
Θειοδάμοις Ἑκάτην με θεὴν ἐπέδησας ἀνάγκῃ.
[*Cuius egens Hecaten me summo ex aethere tractam*
Carmine vinxisti, Superos cui cogere fas est.]

Clemens Alexandrinus: *Μάγοι δὲ ἤδη ἀσεβείας τῆς σφῶν αὐτῶν ὑπηρέτας δαίμονας αὐχοῦσιν, οἰκέτας αὐτοὺς ἑαυτοῖς καταγράψαντες, τοὺς κατηναγκασμένους δούλους ταῖς ἐπῳδαῖς πεποιηκότες* [*Magi vero iactant suae impietatis ministros esse Daemonas, eos sibi famulos adscribentes, nempe*

quod incantamentis suis eos sibi servire coëgerint]. Hoc ita convellit Christus: Sapere Daemonas constat; at qui sapiunt hoc agunt ut res suas stabiliant, quod nisi concordia fieri non potest; non dissident igitur Daemones, quod tamen necesse esset si alter alterum cogeret, ut vos populo persuasum vultis. Quare notanda ἔμφασις [*efficax locutio*] in voce ἐκβάλλει [*eiicit*].

Οὐ ςαθήσεται, non stabit] לא יקום.

26. *Ἐφ' ἑαυτὸν ἐμερίσθη, adversus se divisus est*] Nimirum ὁ σατανᾶς, id est, universitas Satanica. Vide Marcum.

27. *Οἱ υἱοὶ ὑμῶν, filii vestri*] Non Apostòli, qui a Pharisaeis una cum Christo accusabantur, sed populares Pharisaeorum atque discipuli: neque inter eos illi qui herbis, suffitibus et vinculis adversus Daemonas utebantur (quod non erat institutum origine Iudaicum atque a Salomone deductum, quod vult Iosephus, sed a Gentibus desumtum, ut recte docet Tryphonem Iustinus), sed ii qui Daemonas eiiciebant non quidem ipsius *Iesu* nomine, quod tum nemo faciebat praeter eos qui Iesum sectabantur, sed invocantes *Deum Abrahami, Deum Isaaci, Deum Iacobi.* Nam has fuisse solennes carminis formulas, quas a Salomone manasse non negaverim, diserte prodiderunt non Iudaei tantum sed et Christiani Scriptores, quorum testimonio ad lucem huic loco afferendam producere erit operae pretium. Iustinus adversus Tryphonem disputans: *Ἐὰν δὲ κατὰ παντὸς ὀνόματος τῶν παρ' ὑμῖν γεγενημένων ἢ βασιλέων, ἢ προφητῶν, ἢ πατριαρχῶν ἐξορκίζητε ὑμεῖς, οὐχ' ὑποταγήσεται οὐδὲν τῶν δαιμονίων· ἀλλ' εἰ ἄρα ἐξορκίζοι τις ὑμῶν κατὰ τοῦ Θεοῦ Ἀβραὰμ καὶ Θεοῦ Ἰσαὰκ καὶ Θεοῦ Ἰακὼβ, ἴσως ὑποταγήσεται* [*Si exorcizetis per nomen cuiusvis Regis aut viri iusti aut Prophetae, eorum qui apud vos fuere, nullus Daemonum ei obediet; at si quis exorcizet per Deum Abrahami et Deum Isaaci et Deum Iacobi, credo, obediet*]. Irenaeus lib. II cap. 5. *Altissimi et Omnipotentis appellationi omnia subiecta sunt:* et *huius invocatione etiam ante adventum Domini nostri salvabantur homines et a spiritibus nequissimis et a Daemoniis universis.* Mox: *Et propter hoc Iudaei usque nunc hac ipsa advocatione Daemonas ef-*

effugant, quando omnia timent invocationem eius qui fecit ea. Tertullianus historiam quae nunc est prae manibus ex Lucae Euangelio tractans adversus Marcionem: *Si ego, inquit, in Beelzebule eiicio Daemonia, filii vestri in quo eiiciunt? Hac voce quid magis portendit, quam in eo eiicere se in quo et filii eorum? In virtute scilicet Creatoris. Nam si putas sic accipiendum: Si ego in Beelzebule eiicio Daemonia, filii vestri in quo? quasi ille sugillaret in Beelzebule eiicientes, resistet tibi prior sensus, non posse Satanam dividi adversus se ipsum. Adeo nec illi in Beelzebule eiiciebant, sed, ut diximus, in virtute Creatoris.* Theophilus adversus Nationes: *Καὶ μέχρι τοῦ δεῦρο ἐξορκίζονται κατὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ ὄντος Θεοῦ, καὶ ὁμολογεῖ αὐτὰ τὰ πλάνα πνεύματα εἶναι δαίμονες* [*Et ad hunc usque diem exorcizantur per nomen Dei qui est, et fatentur impuri spiritus se esse Daemones*]. Ubi quod dicit *τοῦ ὄντος* [*eius qui est*] haud dubie est nomen *τετραγράμματον* [*quadriliterum*], quod et Philo et alii eo modo interpretantur. Origenes autem ostendit recitatione eorum quae dixi nominum suo aevo non Iudaeos tantum sed et Aegyptios in exorcismis usos. Primo adversus Celsum: *Τοῦ δ' Ἀβραὰμ τὸ ὄνομα οὐ Μωϋσῆς ἀναγράφει μόνος οἰκειῶν αὐτὸν Θεῷ, ἀλλὰ γὰρ καὶ πολλοὶ τῶν ἐπαδόντων δαίμονας χρῶνται ἐν τοῖς λόγοις αὐτῶν τῷ· Ὁ Θεὸς Ἀβραάμ, ποιοῦντες μὲν διὰ τὸ ὄνομα καὶ τὴν πρὸς τὸν δίκαιον τοῦ Θεοῦ οἰκειότητα, διὸ παραλαμβάνουσι τὴν, Θεὸς Ἀβραάμ, λέξιν, οὐκ ἐπιστάμενοι δὲ τίς ἐστιν ὁ Ἀβραάμ· τὰ δ' αὐτὰ λεκτέον καὶ περὶ τοῦ Ἰσαὰκ καὶ περὶ τοῦ Ἰακὼβ καὶ περὶ τοῦ Ἰσραήλ, ἅτινα ὁμολογουμένως Ἑβραῖα ὄντα ὀνόματα, πολλαχοῦ τοῖς Αἰγυπτίοις ἐπαγγελλομένοις ἐνέργειάν τινα ἐνέσπαρται μαθήμασι* [*Non solus Moses nomen Abrahami scripsit ut Deo amici, sed et multi qui Daemonas incantant in verbis suis utuntur illo*, Deus Abrahami, *efficientes quidem per hoc nomen et Dei cum illo viro iusto amicitiam, id ipsum propter quod istam dictionem*, Deus Abraham, *usurpant, at ignorantes ipsi quis sit Abraham. Idem dicendum de Isaaco et Iacobo et de Israele, quae cum extra controversiam Hebraica sint nomina, saepe inserta reperiuntur Aegyptiorum disciplinis efficaciam quandam promittentibus*]. Libro IV. *Σαφῶς δ' ὅτι γενεαλογοῦνται*

Ἰουδαῖοι ἀπὸ τῶν τριῶν πατέρων, τοῦ Ἀβραὰμ, καὶ τοῦ Ἰσαὰκ καὶ τοῦ Ἰακὼβ, ὧν τοσοῦτον δύνανται τὰ ὀνόματα συναπτόμενα τῇ τοῦ Θεοῦ προσηγορίᾳ, ὡς οὐ μόνον τοὺς ἀπὸ τοῦ ἔθνους χρῆσθαι ἐν ταῖς πρὸς Θεὸν εὐχαῖς καὶ ἐν τῷ κατεπᾴδειν δαίμονας, ἀλλὰ γὰρ σχεδὸν καὶ πάντας τοὺς τὰ τῶν ἐπῳδῶν καὶ μαγειῶν πραγματευομένους· εὑρίσκεται γὰρ ἐν τοῖς μαγικοῖς συγγράμμασι πολλαχοῦ ἡ τοιαύτη τοῦ Θεοῦ ἐπίκλησις [*Constat originem suam recensere Iudaeos ad Abrahamum, Isaacum et Iacobum, quorum nomina addita ad nomen Dei tantum valent ut non tantum ab Iudaeis usurpentur in precibus ad Deum et in Daemonum adiurationibus, sed etiam ab aliis ferme omnibus qui incantamenta et res magicas exercent. Reperitur enim in magicis libris multis in locis illa Dei cognominatio*]. Eius quod Origenes hic dicit vestigium me deprehendere memini in Luctatio Papinii interprete. Idem Origenes libro IV non ista tantum nomina *Dei Abraham, Isaac* et *Iacob*, sed et *Zebaoth* et *Adonai* usurpata ait ad fugandos Daemonas. *Assyriorum nominum* meminit et Iamblichus libro VII cap. 4 De mysteriis. Per Assyria autem intelligit Hebraica: quomodo et Themistius illud, *Cor Regis in manu Dei*, dicit esse *ex libris Assyriis*. Photius ex Isidoro: Ὡς δ' οὐκ ἐπείθετο τὸ δαιμόνιον τῆς γυναικὸς ἐξελθεῖν λόγοις ἡμερωτέροις, ὅρκῳ αὐτὸ ἐπηνάγκαζεν ὁ Θεοσέβιος, καίτοι οὐδὲ μαγεύειν εἰδὼς οὐδὲ θεουργίας μελετήσας· ὥρκιζε τὰς τοῦ ἡλίου ἀκτῖνας καὶ τῶν Ἑβραίων Θεόν [*Cum autem non obediret verbis lenioribus Daemonium ut exiret a muliere, Theosebius adiurando id extorsit, quanquam nec magicas nec theurgicas exercuerat artes. Adiurabat autem per Solis radios ac Deum Hebraeorum*]. A Daemonibus ad morbos quoque mos transiit. Marcellus Empiricus in Corci dolore: *In nomine Dei Iacob, in nomine Dei Sabaoth.* Alexander Trallianus contra Podagram: Ὁρκίζω σε τὸ ὄνομα τὸ μέγα Ἰαὼθ (lege Ἰάω) Σαβαώθ [*Adiuro te per nomen magnum Iao Sabaoth*]. Vide et Nicephorum in Synesii librum De somniis. Eiusmodi ergo exorcismi eventum saepe suum habuerunt, non quod vis ulla in syllabarum pronuntiatione esset sita, sed quod verus Deus illis potissimum nominibus nosci appellarique vellet, atque ideo vim suam

tum

tum demum exsereret cum apertissima locutione constaret ipsum, non aliquem Gentilium Deorum, esse invocatum. Est autem secundum hoc Christi argumentum tale: In pari causa par iudicium fieri oportet; creditis vos discipulos vestros Daemonia eiicere vi Divina, cur de me idem non creditis. Si illi gloriam operis ad Deum vestrum referunt, idem ego facio.

Ὑμῶν ἔσονται κριταὶ, vestri erunt iudices] Hoc est, ipsorum factum sufficiet vobis convincendis atque condemnandis; ut infra 41 et 42.

28. *Ἐν πνεύματι Θεοῦ, per spiritum Dei*] Passim Sacra Scriptura Spiritui tribuit τὸ ἐνεργητικόν [*vim activam*]. Hinc idem Spiritus vocatur δύναμις ὑψίστου [*virtus Altissimi*], et hoc loco apud Lucam, Mosis exemplo, *digitus Dei*.

Ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, Regnum Dei] Dan. 2: 44, 7: 14 ita vocatur tempus Messiae. Quomodo autem sequitur, si ista Daemonum eiectio fiebat Divina virtute, tempus illud advenisse? Quia Iesus expresse ista faciebat ac se facere praedicabat ut se a Deo vero missum probaret; quod providentia Divina nunquam permisisset nisi res ipsa vera fuisset cui testandae miracula adhibebantur, ut ex eo apparet quod legimus Deut. 17, signa facienti non esse credendum si populum perducere conetur ad cultum falsorum Deorum, quia scilicet Deus post tot tamque eximia signa in conspectu populi patrata, tam certum atque exploratum fecerat omnibus se esse verum atque unicum Deum ut nullis prodigiis inducti ab ea fide deberent discedere: ex qua exceptione recte Iudaei regulam colligunt, ei qui miracula faciat credendum si non sit auctor cultus idolorum. Nam nisi in Lege sua certam aliquam normam iudicandi de miraculis Deus statuisset, inania fuissent omnia illa ostenta quibus Prophetae missionem suam confirmabant. Sicut autem multa ac magna miracula a Mose edita per Dei digitum, signum erant instantis liberationis ex Aegypto, ita Iesu miracula plura ac maiora significabant eam liberationem instare quae prioris illius beneficii memoriam esset obumbratura. Vide Ps. 146: 7, 8.

29. *Ἢ πῶς δύναται, aut quomodo potest*] Tertium

 Chri-

Christi argumentum quod non ut priora certis duntaxat hominibus refellendis inservit, sed rem ipsam plane conficit: Qui summum rebus alterius dispendium affert, is ostendit se cum eo non colludere, sed hostem esse eius atque adeo victorem; hoc autem ego facio: doctrina enim mea homines a vitiis, in quibus sita est Diaboli potentia, ad veram vitae sanctimoniam perducit.

Τοῦ ἰσχυροῦ, fortis] Es. 49: 24. Vide Ioh. 16: 11.

30. *Ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ κατ' ἐμοῦ ἐςι, qui non est mecum, contra me est*] Proverbium Iudaicum in utramque partem usurpatum: nam et dici solebat: *Qui non est contra vos pro vobis est*, Luc. 9: 50. Sic Pythagorici modo dicebant, *Λεωφόρῳ βαδίζειν* [*Incede via publica*], modo, *Λεωφόρῳ μὴ βαδίζειν* [*Ne incedas via publica*], et in Gnomis Salomonis, *Respondeas stulto*, et *Ne respondeas stulto*, quae omnia veritatem suam habent pro materia cui aptantur. Videtur autem mihi proverbium istud hoc loco a minori ad maius hoc modo procedere: Si in bello internecino, quale est inter Dei servos et Daemonas, nemini licet neutrarum esse partium, sed medii pro hostibus habentur, quanto magis ego hostis censendus sum Diaboli, qui non modo illi non prosum, sed obsum quam maxime? Neque contra hanc interpretationem movere quenquam debet quod de se loqui videtur Christus; id enim non est necessarium, cum in sententiis eiusmodi modo primae, modo secundae, modo tertiae personae pronomina usurpentur *ἀορίςως*, pro quovis homine: quod ad multorum locorum interpretationem memoria tenendum est. Tale est quod infra notabimus 26: 31. Nec dissimile illud apud Virgilium:

Neve tibi ad Solem pergant vineta cadentem,
Nec mihi tum molles sub divo carpere somnos,
Neu dorso memoris libeat iacuisse per herbas.

Non enim (ut Quintilianus explicat) *nescio cui alii prius, nec postea sibi uni, sed omnibus praecipit.*

Καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ σκορπίζει, et qui non congregat mecum, spargit] Non dissimile est illud apud Quintilianum VIII. 6: *Obstat quicquid non adiuvat.*

31. *Διὰ τοῦτο, ideo*] Referendum est hoc ad totam orationem quae praecessit, hoc modo: Cum tam manifes-

lestis rationibus constet quae facio non Daemonum sed Dei virtute fieri, videte quam gravem in vos poenam accersatis cum dicitis ista vi Daemonum effici. Hanc connexionem docet nos Marc. 3: 30. Neque tamen solis argumentis suis confisus hoc Christus dicebat, sed simul, ut modo dixerat Matthaeus, *εἰδὼς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν* [*sciens cogitationes eorum*]. Videbat nimirum mentium inspector agnoscere ipsos virtutem vere Divinam, sed quidvis potius comminisci quam ut plebem paterentur a suo magisterio ad Christum transire.

Πᾶσα ἁμαρτία καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις, omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus] Cum apertissimum sit non hoc dicere Christum, omnia alia peccata condonatum iri (quam multa enim sunt quae non condonantur!), notandus omnino hic est Hebraismus qualem observavimus supra ad cap. 5 in illis verbis Lucae: *Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσεται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι* [*Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*], quod alibi idem Lucas ita extulit: *Εὐκοπώτερον δέ ἐστι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν ἢ τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν* [*Facilius autem est coelum et terram perire quam de Lege unum apicem cadere*]. Et ita saepissime Hebraei dicunt, *Hoc fiet et istud non fiet*, non quod prius membrum affirment, sed quod ostendere velint quod posterius ponitur multo esse difficilius: quomodo Latini dicunt:

Ante pererratis amborum finibus exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrin.

Sensus ergo est: Facilius est quicquid criminum unquam patrari poterit, atque adeo calumnias etiam omnes, quae in criminibus primum facile locum obtinent, remitti quam ut remittatur ea calumnia quae adversus Spiritum Dei committitur. Vide similem comparationem 1 Sam. 2: 25.

32. *Κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, contra filium hominis*] Quod supra ad comma 8 observavimus, idem hic observandum puto per *υἱὸν ἀνθρώπου*, quamvis addito articulo, non hic Christum solum intelligi, sed hominem quemvis, ne Christo quidem excepto. Est enim saepe articulus signum generalitatis, ut *ὁ ἐθνικὸς* [*Ethnicus*] infra 18: 17, *τῷ ἱερεῖ* [*Sacerdoti*], Marc. 1: 44. Qua de

re dicemus et ad Apoc. 13; 15. Sensus est: Scitis grave esse crimen innocentem hominem calumniari; nam Lege Mosis in id crimen tanquam gravissimum capitis poena est constituta: cogitate ergo quanto gravius sit Dei ipsius opera calumniis oppugnare, peccare ביד רמה *manu elata:* quod exponitur *Deum probris afficere*, Num. 14: 29, ut Core cum suis. Illustrat hunc locum illud in Actis Apost. 5: 4, ubi quam gravis sit culpa Ananiae simili oppositione a Petro ostenditur: *Οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις ἀλλὰ τῷ Θεῷ* [*Non es mentitus hominibus, sed Deo*]: ante autem dixerat Petrus propositum fuisse Ananiae *ψεύσασθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον* [*mentiri Spiritui sancto*]. Sicut ergo ille *κυριωτάτως* [*valde proprie*] dicitur *Deo mentiri* qui praesentem Spiritum Dei non reveretur, ita ille iam non hominem sed Deum calumniatur, qui cum intra se Dei opera agnoscat tamen perstat in calumnia. Quantam autem hoc sit crimen quantoque aliis omnibus antistet, tribus comparationibus intelligi potest; Primum isto Ananiae exemplo, qui avaritia tentatus, ut diximus, praesentem in Apostolis Dei Spiritum non reverebatur; deinde exemplo Simonis Magi, qui cum donum Spiritus sancti nundinationis proposito dehonestasset, audiit a Petro: *Pecunia tua tibi in perniciem sit, quia donum Dei existimasti pecunia posse comparari*, et postea: *Poenitentiam age huius*] *malitiae, et Deum precare, si forte condonetur tibi cogitatio cordis tui.* Ecce tanti pendit hanc culpam Petrus ut de venia pene desperet. Tertium exemplum esto Pharaonis, quod hic respici a Christo ex Luca, qui ipsa, ut diximus, Mosis verba usurpat, manifestum est. *Quamvis*, inquit Moses, *Magi dicerent Pharaoni, digitum Dei ibi esse, tamen Pharaonis cor semet obstinavit*, post quod tempus Deus ita mentem ademit Pharaoni ut nullis ostentis monitus resipisceret, sed praeceps ferretur in ruinam. Ita *οἱ ἐνυβρίζοντες τὸ Πνεῦμα τῆς χάριτος* [*qui contumeliam faciunt Spiritui gratiae*], ut loquitur divinus ad Hebraeos Scriptor, verba Mosis imitans Num. 15: 30, *incidunt in manus Dei viventis*: qui et alibi ita argumentatur: Si contumacia adversus praecepta per Angelos data tantis suppliciis compensata est, quid aequum est eos exspectare qui hanc salutem neglexerint quae a Deo

Deo per tot signa atque ostenta testimonium accepit? At nulla *ὕβρις* [*contumelia*] esse potest gravior quam quae contemtui calumniam adiungit, qualis erat haec Pharisaeorum.

Ἀφεθήσεται αὐτῷ, remittetur ei] Facilius, ut iam diximus.

Οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι, neque in hoc seculo, neque in futuro] Simplex est Chrysostomi expositio *κατὰ λιτότητα* [*per extenuationem*], *punietur graviter et in hoc et in futuro seculo:* cui firmandae facit quod sic loqui solebant Iudaei. Nam in Misnaoth legimus נפרעין מן האדם בעולם הזה ואין לו חלק לעולם הבא [*Ultio de tali fiet in hoc seculo, et non fiet ei remissio in seculo futuro*]. Et Eleazarus in Epitome Iasonis Cyrenaei, *Si*, inquit, *transeam εἰς ἀλλοφυλισμὸν* [*ad sacra Gentium*], *Omnipotentis manus non effugiam, neque vivus neque mortuus*, 2 Macc. 6: 26. Nec aliter Maimonides in Regulis Poenitentiae cap. 6, *Quosdam*, ait, *peccatores esse de quibus poena exigatur et in hoc seculo et in futuro.* Videtur tamen Christus de industria utrumque seculum nominasse, ut Iudaeis auferret eam qua sibi blandiebantur adversus gravissima delicta persuasionem. Existimabant enim peccata commissa ab his qui in Iudaismi professione perseverarent remitti aut per meram poenitentiam, ut quae admitterentur contra praecepta iubentia; aut in die solenni Reconciliationis, ut quae admitterentur contra pleraque praecepta vetantia; aut per huius vitae castigationes, ut quae mortis aut excidii poenam adiunctam habent; aut saltem post mortem, sive statim sive post temporis alicuius moras, ut quae cum contemtu facta essent Divini numinis. Hinc illa precatio morientium: *Sit mors mea remissio peccatorum meorum omnium.* Hinc illa precandi formula pro mortuo quam קדיש [*sanctificationem*] vocant; hinc Thalmudicum illud enuntiatum: *Omnis Israelita partem habet seculi futuri.* Contra ergo Christus docet, ea peccata quae gravem Dei contemtum continent et hic et in posterum sine fine modoque plectenda. In Clementis Constitutionibus libro VI cap. 18: *Οἱ βλασφημήσαντες τὸ Πνεῦμα τῆς χάριτος, καὶ ἀποπτύσαντες τὴν παρ' αὐτοῦ δωρεὰν μετὰ τὴν χάριν, οἷς*

οὐκ ἀφεθήσεται οὔτε ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι [*Qui blasphemarunt Spiritum gratiae, et post acceptam gratiam donum eius despuunt, his non continget remissio neque in hoc seculo neque in futuro*]. Confer loca Apocal. 14: 10, 11 et 20: 10. Tertullianus libro De Pudicitia blasphemiam vocat *crimen et in hoc et in futuro seculo irremissibile*. Quod iam indicavimus creditum a Iudaeis plerisque eos qui gravibus morbis aut aliis incommodis in hac vita premerentur liberari a poenis vitae alterius, eius opinionis multa exstant in Hebraeorum scriptis et proverbiis hodieque manentibus vestigia. Origenes citans locum 3 Reg. 2 de Ioabo, sed in quo perperam legit κατάξεις [*deduces*] pro οὐ κατάξεις [*non deduces*], adfert hoc ab Hebraeo homine temere dictum, quod ipse nimia facilitate arripuit: Δῆλον δὲ ὅτι, ὡς καὶ ὁ Ἑβραῖος ἡμῖν ἀπήγγειλε, τὸ διὰ τοῦ κολασθῆναι αὐτὸν ἐν εἰρήνῃ κοιμηθήσεσθαι, οὐκ ἔτι ὀφειλομένης αὐτῷ κολάσεως καὶ βασάνου, διὰ τὸ ἐντεῦθεν ἤδη ἀπειληφέναι αὐτὸν, μετὰ τὴν ἐντεῦθεν ἀπαλλαγήν [*Apparet autem, ut et Hebraeus quidam nobis significavit, illum quia punitus est ideo in pace dormiisse, nulla amplius poena aut tormento ei debito postquam hinc excessit, quod iam poenam pertulisset*]. Antiquiorem autem Christi temporibus esse persuasionem de peccatis quibusdam post mortem remittendis apertissimum est ex eo quem dixi Iasone Cyrenaeo, qui oblata narrat sacrificia περὶ ἁμαρτίας τῶν προπεπτωκότων [*pro peccatis eorum qui ante lapsi erant*]. De Ecclesiae Christianae iudicio hic agi plane persuadere mihi non possum: ita enim locutum credo Dominum nostrum quomodo loquentem se sciebat optime a Iudaeis intelligi.

33. Ἢ ποιήσατε, *aut facite*] Ita et Latini dicunt *fac*, pro quo Graeci dicerent τίθετι [*pone*]. Verissima autem est Christi sententia, ex actibus aut perpetuis aut frequentioribus ac diuturnis de animi qualitate iudicium fieri debere: qua de re egimus ad cap. 7. Opera Christi omnia plena erant beneficentiae, doctrina omnis ad pietatem spectabat; quae igitur causa sequius de ipso aliquid suspicandi?

Σαπρὸν, *putre*] באש Hebraeis, בישא Syris. Ita illi quic-

quicquid malum est vocant; quae locutio et infra 13: 48.

34. *Πῶς δύνασθε, quomodo potestis*] A vobis, inquit Christus, documentum sumite quam vera sit illa sententia. Nam cum intus mali sitis, videmus etiam mala esse quae profamini, neque aliter fieri potest: nam quantumvis dissimulatum ingenium facillime prosilit. Non agit hic Christus de communi hominum imbecillitate, sed de gravissimis vitiis odii, invidiae atque arrogantiae, quae Pharisaei sua sponte contraxerant. Et pro subiectae materiae ratione *τὸ δύνασθαι* [*posse*] intelligendum non *κατὰ τὴν φυσικὴν ἀκρίβειαν* [*secundum rigorem naturalem*] sed *κατὰ τὴν ἠθικὴν πλατύτητα* [*secundum moralem latitudinem*], et *ἀγαθὰ λαλεῖν* [*bona loqui*] non de uno aut altero actu, sed de eo quod *ἐπιπολὺ* [*plerumque*] accidit, quod etiam subiecta ratio apertissime ostendit. Sic Ier. 13: 23, 1 Cor. 2: 14, Ioh. 8: 43 et 12: 39. Vide quae ad Marc. 6: 5.

Ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ ςόμα λαλεῖ, ex abundantia enim cordis os loquitur] Sicut ventriculus quod in se abundat evomit, ita et cor. *Περίσσευμα καρδίας* et postea *θησαυρὸν* [*thesaurum*] vocat *ἕξιν* [*affectionem inolitam*] ipsam: et quod de operibus in universum dixerat hic ad sermones aptat. Idem dicit Menander:

Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.

[*Ingenium cuique quale sit, sermo indicat.*]

Et Aristides: *Οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτος καὶ ὁ λόγος* [*Quale ingenium, talis sermo*]. Quintilianus lib. XI, 1: *Profert enim mores plerumque oratio, et animi secreta detegit. Nec sine causa Graeci prodiderunt, ut vivat quemque etiam dicere.*

36. *Ῥῆμα ἀργὸν, verbum vanum*] *Κενὸν λόγον*, ut Paulus loquitur Eph. 5: 6, Latine *sermonem vanum* dixerim. Puto autem non eum sermonem hic notari qui quoquo modo sit inutilis, sed eum qui veri soliditate careat; quomodo שוא Hebraeum usurpari supra diximus. Inest autem tacita a maiori argumentatio, si quodvis mendacium in iudicium deducetur, quanto magis calumnia?

Ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον, reddent de eo rationem] Locutio haec, qua et Paulus utitur Rom. 14: 12, translata est a dispensatoribus qui ad calculum vocantur. Significat

cat autem hoc loco *examen subire;* sicut vicissim in Iure Civili ἀνεξέταστοι vocantur quibus remissum est onus reddendarum rationum.

37. Ἐκ γὰρ τῶν λόγων σου δικαιωθήσῃ, *ex verbis enim tuis iustificaberis*] Proverbium hoc in iudiciis humanis frequentatum, ad Divinum iudicium, quod sub humani iudicii forma describi nobis solet, Christus refert, quasi dicat: Etiamsi facta alia non exstarent, ex solis sermonibus facile constabit probi an improbi sitis. Itaque καὶ quod sequitur vim habet disiunctivam, ut Exod. 21: 15, 17, Num. 30: 4, 5, 6.

38. Τότε ἀπεκρίθησάν τινες, *tunc responderunt ei quidam*] Ἀποκρίνεσθαι hic ut saepe est alloqui tantum. Ideo autem addidit τινες [*quidam*], ne putarentur iidem esse qui Christum magicae artis accusaverant. Nam hi non accusantium sed dubitantium speciem praeferebant. Ideo Lucas expressit, ἕτεροι δὲ πειράζοντες [*et alii tentantes*].

Σημεῖον, *signum*] Solent interdum apud Hellenistas promiscue usurpari σημεῖον, τέρας, δύναμις [*signum, prodigium, virtus*], sed saepe inter se distincta invenias σημεῖον et δύναμιν, saepe etiam tria ista δύναμιν, τέρας, σημεῖον, nempe voce σημεῖον modo laxius modo angustius usurpata. Hic σημεῖον opponitur δυνάμει. Nam vis quae in sanandis hominibus expellendisque Daemonibus ostenditur, proprie et stricte vocatur δύναμις. Huius generis prodigia cum satis multa essent a Christo edita, iis tamen satisfieri sibi Pharisaei isti et Legisperiti non patiebantur, sed, quasi ista res non Divini sed sui esset arbitratus, exigebant non δύναμιν sed σημεῖον, nec qualecunque σημεῖον sed, ut Lucas et alio loco Matthaeus exponit, σημεῖον ἀπ' οὐρανοῦ [*signum de coelo*], importune atque inverecunde, cum ipsa sanandi ratio qua Christus utebatur, aut nudo contactu aut voce sola, itemque doctrina Daemonum votis contraria Divinam virtutem aperte ostenderent. Sed Deus, qui in negotio pietatis ita cum hominibus agit ut malitiam revincat plenissime, non ut immoderatis hominum cupiditatibus inserviat, sciebat ea quae erant praestita abunde sufficere, nisi ipsi honorum aut commodorum aucupes undique incredulitati suae mantellum quaesissent. Adde quod Legis severitati con-

convenerant signa terribilia, Servatoris personae signa benefica.

39. *Μοιχαλίς*] Ad verbum *adultera*, sed magis est ut *adulterina soboles* hic significetur, quasi dicas *supposititia*, quae falso parentes iactat Abrahamum, Isaacum, Iacobum. Ita intellexit Syrus, qui ponit גריתא. Atque ut ita accipiam facit illud apud Ioh. 8: 41, ubi cum Christus negasset Iudaeos istos Abrahami esse sobolem, respondent: Ἡμεῖς ἐκ πορνείας οὐ γεγεννήμεθα [*Nos ex fornicatione non sumus nati*]. Erant quidem ex Abrahamo *κατὰ σάρκα* [*carnis ortu*], sed spiritu non minus ab illo alieni quam quos mater ex adulterio concipit.

Σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, signum non dabitur ei] Σημεῖον, ut dixi, opponitur *δυνάμει* [*virtuti*], quasi maius aliquod atque excellentius. Sensus ergo est, quasi dicat Christus: Nullum ostentum illis dabitur maius atque excellentius quam id quod dabitur non ex coelo, ut ipsi fastidiose postulant, sed contra ex ipsis terrae visceribus, non tam illis convertendis qui post tot *δυνάμεις* converti noluerunt, quam testandae innocentiae meae simulque ipsorum immanitati, ut qui in me innocentem odia sua ad mortem usque extenderint. Vide Ioh. 2: 18 et 16: 10, et Luc. 11: 29, 30. Quia autem signum hoc ratione maioris partis Pharisaeorum et Legis prudentium *ἐλεγκτικὸν* [*convincens*] magis erat quam *νουθετητικὸν* [*edocens*], ideo nulli eorum Christus post mortem redivivus apparuit. Satis enim datum erat illorum contumaciae.

40. *Ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς, in corde terrae*] Alludit Christus ad verba Ionae qui se proiectum dicit בלבב ימים *εἰς καρδίας θαλάσσης* [*in cor maris*], ut transferunt LXX. Sicut autem Ionas non fuit in meditullio maris praecise, ita nec Christus in meditullio terrae: sufficit enim ad huius locutionis veritatem, quod Christus intra terram in specu abditus fuerit. *Ionas* animae humanae imago Rabbinis.

Τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, tribus diebus et tribus noctibus] Hebraei quia voces componendi libertatem sua ipsis lingua non indulget, coguntur uti circumlocutionibus, quas sequuntur Hellenistae. Ita quod Moses dixit

ויהי

ויהי ערב ויהי בקר יום אחד [*factum est vespere et mane dies unus*] Gen. 1: 5, Graeci dicerent καὶ ἐγένετο τὸ νυχθήμερον πρῶτον [*transiit primum dienoctium*]. Daniel 8: 14 sine coniunctione dixit עד ערב בקר אלפים ושלש מאות [*ad vesperam mane mille et trecenta*], id est, ἕως νυχθημέρων δισχιλίων καὶ τριακοσίων [*usque ad dienoctia mille trecenta*]. Sic Paulus cum dixit se fuisse in profundo νυχθήμερον [*nocte et die*], 2 Cor. 11: 25, Graece expressit Hebraeum ערב בקר. Ita hic nihil aliud significatur quam futurum Christum in sepulchro τρισὶ νυχθημέροις [*per tria dienoctia*], cui sensui implendo sufficit eum sepultum fuisse tempore eo cuius partes ad τρία νυχθήμερα [*tria dienoctia*] pertingerent. Nam in temporis designatione Graeci discrimen quarti et tertii casus non rigide observant. Videtur autem mihi Latinus interpres vetus non imprudenter sextum casum elegisse. Neque omittendum hic, ubi Lex Mosis dierum numerum exprimit, ut in circumcisione, receptum apud Interpretes etiam semihoram unius νυχθημέρου diem facere; quia *dies legalis*, aiunt, *non computatur de tempore ad tempus.* Vide Abenesdram ad Lev. 12: 3. Porphyrius in Quaestionibus Homericis: Καὶ γὰρ ὁ ληγούσης ἡμέρας ἐποικήσας καὶ τῆς τρίτης ἕωθεν ἐξιὼν, τῇ τρίτῃ ἀποδημεῖν λέγεται [*Nam et qui vespere domum venit, mane autem diei tertiae exiit, dicitur tertia die iisse peregre*]. Cui similis est illa Romani Iuris locutio, de qua Paulus Iurisconsultus in L. *Mores*, D. de Feriis: *Quicquid in his viginti quatuor horis actum est, perinde est quasi quavis hora lucis actum esset.*

41. Ἀναστήσονται, *surgent*] Rursus iudicium Divinum ad humani iudicii formam describitur, in quo testes cum testimonium sunt dicturi surgere solent ex subselliis, quod ut apud Romanos ita et apud Iudaeos moris fuisse ostendit Marc. 14: 57. Adde Act. 6: 13. Praestant autem vicem testium Ninevitae, quia ostendunt suffecisse ad convertendos animos multo minora beneficia. Nam et barbari erant, et nulla Ionae miracula conspexerant, et pauca duntaxat verba audierant, cum se ad poenitentiam composuerunt.

Μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, cum generatione ista] Nam et rei stabant.

Κα-

Κατακρινοῦσιν αὐτήν, condemnabunt eam] Id est; efficient ut condemnetur; quomodo et supra dixit, *Iudices vestri erunt.* Ita Cicero a se Verrem, Tacitus a Domitio accusatore *condemnatam* ait Claudiam.

Μετενόησαν, poenitentiam egerunt] Non exspectato fine dierum quadraginta fecerunt quod isti neque nunc faciunt, neque facient exspectati per annos quadraginta.

Πλεῖον, plus] יותר. Plus vobis praestitum est quam illis in Iona. Non enim persona tantum personae, sed beneficia per eos praestita inter se comparantur.

42. *Ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς, a finibus terrae*] Ὑπερβολικὸν [*dictum per superiectionem*] pro eo quod est *e longinqua regione.* Habet autem hoc vim in comparatione, quia Christus ipse ad Iudaeos venit, ita ut nullum iter ipsius causa necesse esset suscipi, quod illa fecerat Regno relicto.

Ἀκοῦσαι τὴν σοφίαν Σολομῶνος, audire sapientiam Salomonis] Διὰ προβλημάτων [*per quaesita*], qui Regum inter se mos antiquissimus. Haec autem σοφία partim in historia naturali consistebat, cuius argumenti multos libros a Salomone scriptos legimus, partim in doctrina de officiis, de qua libri eius aut potius aliorum librorum ἐκλογαὶ [*excerpta*] etiam nunc exstant.

Πλεῖον, plus] Plenitudo Divinae sapientiae ad aeternam hominum salutem ultro se offerens.

43. *Ὅταν δὲ τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα, cum autem immundus spiritus*] Mihi videtur haec non esse παραβολὴ [*comparatio*], sed commune enuntiatum pictum multis translationum luminibus, quod deinde peculiariter Iudaeis applicatur. Universalis autem huius enuntiati hunc sensum esse arbitror, eos qui cum inquinamenta mundi semel effugerint, iisdem rursus implicantur, gravius quam ante ruere, contemtum gratiae suae Deo ulciscente. Cuius interpretationis fundum do Petrum, qui et ipsa Christi verba, *Fit novissima eorum conditio peior priore*, in hunc sensum usurpat Epist. II cap. 2 comm. 20. Illud interest, quod Petrus sui temporis habens rationem agit de his qui Christianismum sunt professi, cum Christi enuntiatum ad omnia se tempora extendat. Nec alio tendit illud a Christo dictum paralytico: *Sanatus es: vide ne pecces, ne quid pe-*

peius tibi eveniat, Ioh. 5: 14. Dici autem passim a spiritu maligno possideri eos qui mundo huic serviunt, adeo obvium est ut probationis non egeat. Sensus est huic persimilis apud Dionem Prusaeensem Oratione V: *Τῶν πολλῶν μὲν εἴπου τὶς ἐπεχείρησε καθᾶραι τὴν αὐτοῦ ψυχὴν, ὥσπερ ἄβατον καὶ μεςόν τινα θηρίων χαλεπῶν τόπον, ἐξελὼν δὲ καὶ ἀπολέσας τὸ τῶν ἐπιθυμιῶν γένος, εἶτ' ἐλπίσας ἀπηλλάχθαι καὶ διαπεφευγέναι, οὐκ ἰσχυρῶς ἀποδράσας, ὀλίγον ὕςερον ὑπὸ τῶν λειπομένων ἐπιθυμιῶν ἀπολέσθαι καὶ διαφθαρῆναι* [*Multis evenit, ut ubi coepere purgare animum suum, velut locum invium et feris animalibus plenum, iamque exemerunt et interfecerunt cupiditatum partem, postquam sperarunt se liberatos et extra periculum positos, cum tamen non strenue satis fugerint, paulo post a cupiditatum reliquiis evertantur ac pereant*].

Ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου] *Ex homine quovis:* quod pari ratione etiam ad populum applicatur, qui, per multas quamvis aetates continuata successione, unius hominis vice censetur. Vide Flori Breviarium et Iuris Romani auctores.

Ἀνύδρων τόπων, per loca arida] Id est, loca in quibus nemo libenter habitet, quales sunt *Libyae squallentis arenae*, Poëtarum versibus in hunc sensum celebratae. Talia autem sunt Daemoni loca omnia extra hominem, ut qui solus vitii sit capax. Applicat ad sensum moralem Christus quod apud Hebraeos receptum erat, Daemonas locis desertis gaudere, et ob id dici שעירים [*solitarios*]. Id vero ideo dictum quod illi spiritus inimici sunt humanorum coetuum ac civitatum, *ἀφρήτορες, ἀθέμιςοι, ἀνέςιοι* [*insociabiles, sine iure ac lare*].

Ἀνάπαυσιν, requiem] Id est, habitandi locum: ita enim Hebraei usurpant מנוח.

44. *Σχολάζοντα, σεσαρωμένον καὶ κεκοσμημένον, vacantem, scopis mundatam et ornatam*] Id est, possessionem non vacuam tantum sed et paratam. Quia homo *domus* hic dicitur, ideo a domo sumitur reliquum translationis. Tales Diabolo sunt homines qui ad vias suas non attendunt. Tales Hebraei sub Regibus post reditum e Babylone. Verbum *σαροῦν* minus puris accenset Phrynichus.

45.

45. *Ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα, septem alios spiritus*] Sicut ἑπτὰ πνεύματα in Divinis ministeriis dixit Iohannes Apoc. 1: 4. Vocatur ἑβδομὰς τελεσφόρος [*numerus septem perfectorius*], ut notat Philo. Ideo quicquid in suo genere ad plenam mensuram pervenit, eo numero significatur: ut 1 Sam. 2: 5, Es. 4: 1.

Καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ, sic et generationi huic pessimae] Videtur mihi Christus populum Hebraeum intueri ab eo tempore quo in Babyloniam adductus est ad Titi excidium. Ante deportationem gravia erant populi flagitia, quae videre est apud Prophetas; in ipso exsilio coeperunt se emendare plerique, atque ita Deo occasiones disponente in patriam redierunt. Sed Asmonaeorum temporibus rursum in vitia vel Barbaris pudenda prolapsi, adiecerunt his omnibus contemtum Messiae tantis cum miraculis tantaque cum clementia missi: quo facto, a Deo derelicti, evaserunt homines omnium sceleratissimi, quales eos Iosephus in ultimorum temporum historia describit.

46. *Ζητοῦντες αὐτῷ λαλῆσαι*] Latine, *conventum ipsum volentes:* nimirum quia intellectis Pharisaeorum adversus ipsum conspirationibus eum quovis modo periculo studebant subtrahere. Hoc enim series historiae et ea quae apud Marcum sunt indicare mihi videntur.

48. *Τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου, quaenam est mater mea*] Ostendens se in mandato sibi officio neque affectus neque consilia carnis sequi. Coniunge Luc. 2: 49, Ioh. 2: 4. Ita Petro de vita Domini sollicito respondet: *Οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων* [*Non sapis ea quae Dei sunt, sed quae hominum*], infra 16: 23.

49. *Ἐκτείνας τὴν χεῖρα αὐτοῦ, extendens manum*] Hoc est, *δακτυλοδεικτῶν* [*digito monstrans*], ut Graeci loquuntur.

Ἰδοὺ ἡ μήτηρ μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου, ecce mater mea et fratres mei] Ita Andromache Hectori apud Homerum:

——— *Σὺ μοι ἐσσὶ πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,*
Ἠδὲ κασίγνητοι.
[——— *Tu namque pater mihi, tu bona mater,*
Tu fratres.]

Quicum confer illud Cantici 8: 1. Significat Christus; quo quis Deo est obsequentior, ita et sibi esse propiorem: qui mysticus est sensus Cantici Canticorum. Neque ullo modo trahenda haec verba sunt ad sanctissimae matris iniuriam.

CAPUT XIII.

1. *Ἀπὸ τῆς οἰκίας, domo*] Quae angustior erat quam ut auditores capere posset, ut apparet supra 12: 46.

Ἐκάθητο, sedebat] Docentium more, ut supra 5: 1.

2. *Εἰς τὸ πλοῖον, in naviculam*] Quod vice suggesti, ut saepe colliculus.

3. *Ἐν παραβολαῖς, parabolis*] *Παραβολή*, cui respondet משל Hebraeum, latiore significatu (nam arctius definiunt Rhetores) est rerum differentium inter se comparatio, quae adhiberi solet *ἢ αὐξήσεως ἢ ἐνεργείας ἢ καὶ σαφηνείας χάριν* [*rei augendae aut efficacius exprimendae aut perspicuitatis gratia*], ut apud loquendi Magistros legimus: Cicero *collationem* dixit. Huius duae sunt partes, *παράθεσις καὶ ἀνταπόδοσις* [*positio et repositio*]. *Παράθεσις* aut a rebus veris aut a fictis petitur. Ad fictam *παράθεσιν* pertinent fabellae quas Graeci *αἴνους* vocant: qualis est illa apud Hesiodum de accipitre et luscinia, multoque antiquior in Iudicum historia 9: 7, et altera 2 Sam. 12, itemque alia in 2 Paral. 25: 18. Talis et illa fabella qua Menenius plebem Romanam Senatui reconciliavit, et qua Demosthenes evasit ne Alexandro dederetur, et qua Themistocles magistratuum mutationem dissuasit. Posterior aetas hos *ἀπολόγους* vocare coepit, in quo genere maximum nomen consecutus est Phryx ille fabulator. Saepe autem subticetur *ἀνταπόδοσις*, cuius moris hanc causam adfert Phaedrus in fabellis:

——— Servitus obnoxia
Quia quod volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit iocis.

Sed credibile est etiam maiestati orationis consultum a Sapientibus, et simul excitatam auditorum diligentiam:

αἶνος autem concisus [*fabula* concisa] vocatur *παροιμία* [*proverbium*], quale illud quod habuimus, *Margaritas porcis non obiiciendas;* ideo *fabellam breviorem* Quintilianus vocat. Sed Hebraei et *παραβολὴν* et *αἶνον* משל dixere; et latius, ut fieri solet, porrecto significatu, eadem voce appellarunt *πάντα λόγον ἐσχηματισμένον* [*omnem sermonem figuratum*], ut videre est tum alibi tum apud Ezech. 20: 49. Porro autem quia *γνῶμαι* [*sententiae*] solebant efferri tali sermone, ideo omnes *γνῶμαι* etiam quae figuram non continebant idem nomen acceperunt, ut videre est 1 Sam. 24: 14, et in titulo libri Salomonis qui multas continet *γνώμας ἀσχηματίστους* [*sententias non figuratas*]. Sic et Latini quasvis sententias *proverbia* dixere. Iudaei Hellenistae, qui ut vim Hebraicarum vocum quam proxime effingant ad Graeci sermonis proprietatem minus solent attendere, משל modo *παροιμίαν* modo *παραβολὴν* vertunt. Atque ita hos Christi *αἶνους* (nam paucae sunt plenae *παραβολαί*) caeteri Scriptores *παραβολάς*, Iohannes *παροιμίας* dixit: sicut vicissim *γνώμη* vocatur *παραβολή*, infra 15: 15. Familiare esse Syris et maxime Palaestinis uti parabolis, docet nos qui in illis locis vixit Hieronymus infra ad cap. 18. Seneca epistola LIX: *Illi qui simpliciter et demonstrandae rei causa eloquebantur, parabolis referti sunt; quas existimo necessarias, non ex eadem causa qua Poëtis, sed ut imbecillitatis nostrae adminicula sint, et ut discentem et audientem in rem praesentem adducant.*

Ὁ σπείρων] *Sator.* Nam Hebraeos linguae penuria coëgit pro verbalibus participia ponere. Deum autem satori comparare frequens Hebraeis. Philo De legum Allegoria: *Σπορὰν ἣν ὁ ποιητὴς ἐν ἀρετώσῃ χώρᾳ κατέσπειρε, λογικῇ ψυχῇ* [*Semen quod Opifex sevit in foecundo solo, anima ratione utente*]. Idem libro De Coloniis: *Τίκτομεν γὰρ καὶ πρὶν εἰσελθεῖν τινας ἐπινοίας ἀνθρώπων πρὸς ἡμᾶς, ἄνευ τῶν ἐξ ἔθους συνεργούντων, σπείροντος καὶ γεννῶντος Θεοῦ τὰ ἀστεῖα γεννήματα* [*Parimus saepe etiam antequam humani conceptus ad nos perveniant; Deo pulchram subolem gignente ac serente etiam sine eis quae cooperari solent*]. Et alibi saepe.

5. *Διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς, quia non habebant alti-*

 tu-

tudinem terrae] Quia deorsum penetrare non potest, vim sursum erigit; et quia a terrae superficie non longe abest statim se ostentat. Huic loco, nec minus ei qui infra est 21, intelligendo non inutilis hic Quintiliani: *Nam ut terra altius effossa generandis alendisque seminibus foecundior est, sic profectus non a summo petitus studiorum fructus effundit uberius, et fidelius continet. Nam sine hac quidem conscientia illa ipsa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit, et verba in labris nascentia. Illic radices, illic fundamenta sunt; illic opes velut sanctiore aerario reconditae, unde ad subitos quoque casus, cum res exiget, proferantur.* Nec illud omittendum ex declamatione Pasti cadaveribus, quae sub eodem Quintiliani exstat nomine: *Aut adstricta citra conatum sata sub ipsis tabuere sulcis, aut levi rore evocata radix in pulverem incurrit, aut perustis torrido sole herbis moribunda seges palluit.* Panegyristes Flaviensis in honorem Constantini: *Radices enim vitium quarum iam nescimus aetatem, millies replicando congestae, altitudinem debitam scrobibus excludunt, et ipsam propaginem non debita sede obtectam* (male editur, *non debitam, sed obtectam*) *perdunt imbribus eluendam et solibus perurendam.*

6. *'Ανατείλαντος*] *Fulgente sole*, ut זרח Hebraeum interdum accipitur.

'Εκαυματίσθη] *Torrefacta sunt*, ut Columella loquitur. Quae talia sunt, *ἡλιούμενα* vocat Aristoteles. Ovidius:

Et minus est in te quam summa pondus arista,
Quae levis assiduis solibus usta riget.

Aestus hic imago gravis vexationis, ut infra exponitur.

Διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν ἐξηράνθη, quia non habebant radicem aruerunt] *'Ανάλογον αἱ ῥίζαι τοῖς φύτοις καὶ τὸ καλούμενον ϛόμα τοῖς ζώοις, δι' οὗ τὴν τροφὴν, τὰ μὲν ἐκ τῆς γῆς λαμβάνει, τὰ δὲ δι' αὑτῶν* [*Respondent inter se radices in plantis et ora animantium: per haec enim nutriuntur illa ex terra, haec suapte opera*] inquit Aristoteles. Haec ergo semina, quia deorsum vergere non potuerunt, defecta sunt radice, ac propterea etiam humore qui ex terra per radicem bibitur. Humoris autem penuria, accedente calore externo, efficit ut exarescant. Aratus de Sirio: —— Οὐκ

——— Οὐκ ἔτι κεῖνον ἅμ' ἠελίῳ ἀνιόντα
Φυταλιαὶ ψεύδονται, ἀναλδέα φυλλιόωσαι·
Ῥεῖα γὰρ οὖν ἔκρινε διὰ ϛίχας ὀξὺς αἴξας,
Καὶ τὰ μὲν ἐῤῥίζωσεν, τὸν δὲ φλόον ὤλεσε πάντα.

Quae Marcus Tullius ita παραφράζει [*uberius explicat*].

Hic ubi se pariter cum sole in lumina coeli
Extulit, haud patitur foliorum tegmine frustra
Suspensos animos arbusta ornata tenere.
Nam quorum stirpes tellus amplexa prehendit,
Haec augens anima vitali flamine mulcet:
At quorum nequeunt radices findere terras,
Denudat foliis ramos et cortice truncos.

Seneca epistola LXXXVI: *Et ob hoc nascentes radices prodire patitur et solum apprehendere, quas necesse est teneras adhuc et precario haerentes levis quoque revellat agitatio.*

7. *Ἀνέβησαν αἱ ἄκανθαι, creverunt spinae*] Virgilius:

Carduus et spinis surgit paliuris acutis.

Ἀπέπνιξαν αὐτὰ, suffocaverunt ea] Calpurnius:

——— *Praefocata malignum*
Messis habet lolium.

8. *Τὴν καλὴν, bonam*] Cultam, aratam, sartam.

Ὃ μὲν, aliud] Ὃ cum accentu: ita enim optimi codices. Perseverat oratio in neutro genere; neque masculinum aliquod nomen hic subintelligendum est.

Ἑκατὸν, centesimum] Quod de Sybaritano agro a Varrone proditum, De re rustica; a Plinio de Byzacio et Babylonia.

9. *Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω, qui habet aures audiat*] Vide quae diximus ad cap. 11.

10. *Αὐτοῖς, eis*] Hoc est (ut Marcus explicat 4: 34): Nos quidem seorsim multa perspicue doces, apud turbam autem loqueris δι' αἴνων [*per fabulas*], qui, quia ἐπιμύθιον [*adfabulatio*] non accedit, habent aliquid αἰνιγματῶδες [*perplexum*]. Et hoc est quod Iosephus Albo imprimis legi Christianae obiicit, quod tradita sit δι' αἴνων, cum lex debeat esse perspicua. Sed quod sibi sumit longe a vero recedit. Nam ipsa credendi, sperandi, vivendique praecepta iam ante Christus tradiderat apertissimis verbis, ut apparet cap. 5, 6, 7 huius libri et apud

caeteros Novi Federis Scriptores. At illa sunt quae proprie legis habent rationem. Quae vero δι' αἴνων explicat sunt alterius generis, quae Christus ipse appellat μυςήρια τῆς βασιλείας [*mysteria Regni*]. In quibus partim explicatur dispensatio Divina admirabilis, partim quis futurus sit Euangelicae institutionis eventus tum in Iudaeis tum in Gentibus praedicitur. Solere autem vaticinia proponi verbis obscurioribus fatentur Iudaei. Finis enim praecipuus est, ut postea cum res evenit Divinae praescientiae certitudo appareat. Hinc προφητεία [*Prophetia*] saepe vocatur *liber signatus*.

11. Ὑμῖν δέδοται, *vobis datum est*] Τοῖς νηπίοις, τοῖς ταπεινοῖς [*parvulis, humilibus*], ut supra cap. 11 explicatum est; vobis qui praecepta illa apertissimis verbis proposita humili ac docili accepistis animo. Δέδοται autem, a Patre scilicet ad quem sua omnia Christus solet referre. Διδόναι γνῶναι [*dare scire*] est pro una voce Hebraea הודיע.

Ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται, *illis autem non est datum*] Qui sibi videntur σοφοὶ καὶ συνετοὶ [*sapientes et prudentes*], atque adeo praecepta illa ad humilitatem et mansuetudinem ducentia, quae omnis pietatis elementa sunt, fastidiose respuunt. Cum autem tales multi essent in turba, sufficiebat haec ratio cur ea quae utilia magis erant quam ad salutem necessaria obscurius proponerentur. Si qui erant discendi cupidi, poterant extra turbam Christum privatim accedere, et explicationem petere eorum quae per se non satis assequebantur: quod et Prophetarum temporibus factitatum alibi diximus. Iustinus: Ὅσα εἶπον καὶ ἐποίησαν οἱ προφῆται παραβολαῖς καὶ τύποις ἀπεκάλυψαν, ὡς μὴ ῥαδίως τὰ πλεῖςα ὑπὸ πάντων νοηθῆναι, κρύπτοντες τὴν ἐν αὐτοῖς ἀλήθειαν, ὡς καὶ πονέσαι τοὺς ζητοῦντας εὑρεῖν καὶ μαθεῖν [*Quae dixere et fecere Prophetae comparationibus et figuris occultarunt, ita ut non facile a quibusvis intelligerentur: ideo vero abdiderunt veritatem, ut eam quaerentes invenire et laborarent et discerent*]. Simile est illud Iamblichi de Pythagora: Συνεπικρύπτεσθαι αὐτὸν πολὺ τῶν λεγομένων, ὅπως οἱ μὲν καθαρῶς παιδευόμενοι σαφῶς αὐτῶν μεταλαμβάνωσιν· οἱ δὲ, ὥσπερ Ὅμηρός φησι τὸν Τάνταλον, λυπῶνται παρόντων αὐτῶν ἐν μέσῳ τῶν ἀκου-

ἀκουσμάτων, μηδὲν ἀπολαύοντας [Solitum eum multa occulte dicere, ut ii quidem qui ad puritatem erant instituti clare ea intelligerent, caeteri vero, ut de Tantalo Homerus refert, dolerent ex eo quod coram positis doctrinis frui nequirent].

12. *Ὅςις γὰρ ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ, qui enim habet, dabitur ei*] Aequitatem Divini consilii, cuius ipse praescriptum sequatur, ex tritissima inter ipsos sententia probat, qua et alibi in rem paulo diversam utitur, ut *ἐν γνώμαις [in sententiis]* fieri solet. Frequens autem est ut in sententiis eiusmodi vox eadem modo hoc modo alio sensu usurpetur; ut paulo post, *βλέποντες οὐ βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσι [videntes non vident, audientes non audiunt]*. Et Marc. 10: 14, 15. Sic hoc loco *ἔχειν* modo est *uti* modo simpliciter *accepisse*. Augustinus De doctrina Christiana I: *Ille enim ait, Qui habet, dabitur ei. Dabit ergo habentibus, id est, cum benignitate utentibus eo quod acceperunt, adimplebit atque cumulabit quod dedit.* Tale est illud Mimi:

Tam deest avaro quod habet quam quod non habet.

Deest quia non utitur. Sic *non habuisse* talentum infra dicitur, qui sub terram defoderat; *habuisse*, qui in foenore nummos posuerat. Et Aristoteli Nicomach. VII. 5 dicitur is, cui perturbatus animus, notitiam recti *ἔχειν πως καὶ μὴ ἔχειν [aliquatenus habere, aliquatenus non habere]*. Aristonymus: *Ὁμοίως γὰρ σπανιεῖ τροφῆς καὶ ἔχων ταύτην καὶ μὴ ἔχων· τί οὖν ὄφελος τὸ οὕτως ἔχειν; [Pari modo egebit victu sive habeat, sive non habeat; quid ergo prodest sic habere?* Columella ex Xenophonte: *Paupertatem certissimam esse, cum alicuius indigeas uti eo non posse. Dabitur autem*, inquit Tertullianus, *adauctio fidei vel intellectus vel salus ipsa.*

Καὶ περισσευθήσεται] *Ditescet datis.* Opponuntur apud Paulum *περισσεύειν καὶ ὑςερεῖσθαι [abundare et penuriam pati]*. Simile est illud Mimi:

Beneficia plura recipit qui scit reddere.

Philo: *Τοῖς ἀγαθοῖς ἀγαθὰς ὑπηχεῖν ἔοικε γνώμας ὁ Θεὸς δι' ὧν ὠφελοῦντες ὠφελήσονται [Bonis bonas cogitationes Deus subiicere solet, per quas aliis utiles se praestando: plura accipient].*

"Ο ἔχει] *Quod iam accepit*, atque eatenus *habere* dicitur: quanquam alio sensu apud Lucam dicitur *videri* potius *habere*. *Habere*, inquit Ulpianus, *dupliciter accipitur; nam et eum habere dicimus qui rei dominus est; et eum qui dominus quidem non est, sed tenet; denique habere rem apud nos depositam solemus dicere*. Itaque si cui aliquid datum est sub conditione, is habet, quia tenet; non habet sed habere videtur, quatenus non habet ius plenum. Caius Iurisconsultus: *Non videtur perfecte cuiusque id esse quod ex casu auferri potest*.

Ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ, auferetur ab eo] A maiori argumentum. Ingratis, aut qui non utuntur datis, quod datum est si iuste auferri potest, aut ex lege communi, aut ex pacto, auferri solet; tantum abest ut plura accipiant: aequum igitur non est ut istis, quamdiu pridem data et ad salutem necessaria fastidiose respuunt, alia ingeram. Quin tacite innuitur fore ut tandem etiam humana prudentia, qua superbiebant Iudaei, ipsis auferetur: quod et contigit.

13. *Ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι, quia videntes non vident*] Atqui Marcus Christum dicit hanc attulisse causam cur arcana Regni obscurius illis proponeret, *ἵνα βλέποντες βλέπωσι, καὶ μὴ ἴδωσι, καὶ ἀκούοντες ἀκούωσι καὶ μὴ συνιῶσι* [*ut videntes videant et non videant, et audientes audiant et non intelligant*], quod et apud Lucam est. Sed optime alterum alteri cohaeret. Ideo, inquit Christus, obscurius ad illos loquor, ne posteriora intelligant, qui priora clare proposita in animum admittere noluerunt. In Clementis Constitutionibus: *Διὸ ἤρθη ἀπ' αὐτῶν ἡ γνῶσις, ὅτι ἰδόντες παρεῖδον* [*Ob id ablata est illis scientia quod quae videbant praetervidebant*]. Fuisse autem adagium etiam apud Graecos receptum, *ὁρῶντας μὴ ὁρᾷν, καὶ ἀκούοντας μὴ ἀκούειν* [*videntes non videre, audientes non audire*], docet nos Demosthenes contra Aristogitonem.

Ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσι, audientes non audiunt] Heraclitus: *Ἀξύνετοι ἀκούσαντες κωφοῖς ἐοίκασι, φάτις αὐτοῖσι μαρτυρεῖ παρεόντας ἀπεῖναι* [*Imprudentes etiam cum audiunt surdis sunt similes: sermo adversus ipsos testatur, eos quamvis praesentes sunt abesse*]. Quem sensum et veteres illi versus exprimunt:

"Οταν

Ὅταν δ' ὁ νοῦς ᾖ μὴ καθεστηκὼς τινὶ,
Οὐκ ἔςʼ ἀκούειν οὐδὲν αὐτῷ, οὐδ' ὁρᾷν.
[Mens cuius est emota tranquillo e statu
Audire nihil is, contueri nil potest.]

Aristides: *Ὥσπερ ἐν μύθῳ τις ἀπόῤῥητος λόγος τοῖς μὲν ἀκούειν δυνατοῖς εἴρηται, σοὶ δὲ οὐδὲν μᾶλλον [Sermo hic, ut ea quae per fabulas occultantur, iis dictus sit qui audiendis talibus apti sunt, tibi vero nequaquam].* Sed Christus proprie hic agit de intellectu assentiente.

14. *Ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς, adimpletur in eis]* Dictum quidem apud Esaiam de hominibus sui temporis, ut et locus ostendit, et Paulus explicat Act. 28: 25, 26, sed ita ut illi horum gererent imaginem atque in his multo etiam plenius quam in illis eadem verba implerentur. Vide quae de voce *πληροῦσθαι* dicta sunt alibi. Videtur autem Christus de industria dixisse *ἀναπληροῦται*, non *ἀναπεπλήρωται [adimpleta est]*, quia istius dicti completio in Iudaeis tractum temporis habuit, ab adventu Christi usque excidium Templi, magis magisque crescente et apertius erumpente Iudaeorum malitia. Vide quem dixi in Actis locum.

Ἀκοῇ ἀκούσετε, auditu audietis] Quia et Matthaei, quisquis fuit, sanctissimus interpres, et Paulus, aut certe Lucas in Actis hoc in loco, quod alibi non semper faciunt, sequuntur LXX interpretes, ideo non dubito quin iudicarint ab iisdem LXX sensum Hebraicum optime expressum, quod et mihi videtur. Sicut autem iam vidimus in antecedenti oratione Christi, quae hoc vaticinio confirmatur, a Matthaeo culpam Iudaeorum exprimi ut causam impellentem, a Marco autem finem ipsum, cur Christus apud turbam obscurius loqueretur, poenam scilicet: ita utrumque horum in Esaiae verbis arbitror apparere, sed poenam prius, deinde causam poenae, *αἰτιολογικῶς [per subiectam rationem]*. In membro priore Esaias utitur verbis imperativis, LXX autem partim indicativo, partim subiunctivo; sed si quis animum advertat eodem res recidit: ea enim pars quae Graece indicativum futurum habet, concessionem significat; quae subiunctivum, comminationem. Utrumque autem solet etiam imperandi modo significari. Sed Interpretes LXX vitarunt *τὸ ἀμφίβολον*

[*ambiguum sermonem*], ut si dicam, *Audite auribus quantum lubet, nihil intelligetis; et intendite oculorum aciem, nihil conspicietis tamen*, idem valebit ac si dicam, *Audietis quidem, sed ita ut nihil intelligatis; intendetis aciem oculorum, sed ita ut conspiciatis nihil.*

15. *'Επαχύνθη γὰρ, incrassatum est enim*] Sequitur causa quae Deum movit cur eos ita compellari vellet tum Esaiae tum Christi temporibus, quia nimirum quae videre poterant et debebant videre noluerant. Obstat huic interpretationi apud multos, quod Deus apud Prophetam verbis videtur uti imperativis, perinde quasi praecipiat Prophetae ut ipse cor oblimet et oculos hebetet et aures aggravet, quomodo exposuit etiam apud Iudaeos Abrahamus Rabbinus. Quod quanquam accipere sensum quendam figuratum eumque non incommodum potest, nempe ut iubeatur Propheta facere id quod futurum praedicit, ut apud Ieremiam 1: 10, tamen cum Hebraicae voces non minus ad infinitivum modum quam ad imperativum referri possint, Iosepho Kimchi et plerisque aliis Hebraeorum Magistris assentiri malo ad infinitivum referentibus, ita scilicet ut subaudiatur particula על vel מן [*ob*] vel aliqua similis, quasi dicas *διὰ τὸ παχῦναι τὴν καρδίαν τοῦ λαοῦ τούτου* [*propter incrassescere cor populi huius*]*:* notum enim est in eiusmodi usu verba transitiva et passiva promiscue usurpari; ut mox *ἐπιςρέψωσι* [*convertant*]. Ita erit idem sensus qui est in Graeco LXX Interpretum, quique tum Christi tum Pauli in Actis Apostolicis proposito multo melius convenit quam alterum illud quod dixi. Nam quod apud Iohannem est: *Τετύφλωκεν αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν* [*Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum*], et Paulum ad Romanos: *῎Εδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν* [*Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant usque in hodiernum diem*], puto proprie circumlocutionem esse non huius commatis sed eius quod praecessit *ἀκοῇ ἀκούσετε* [*audiendo audietis*], quanquam Iohannes, ut et Marcus, partem istam priorem cum huius commatis posteriori membro contexuit, quippe reddito magis universo sensu quam ver-

verbis singulis, cum Matthaeo Pauloque in Actis propositum fuerit, ut palam videre est, ipsa verborum vestigia legere. Illud autem παχύνεσθαι καρδίαν non quamvis ἀπροσεξίαν [*incuriam*] significat, sed eam quae ex rebus secundis nascitur, ut videre est Deut. 32: 15. Sic Graeci dicunt:

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νοόν.

[*Nec ventre sensus tenuis a crasso venit.*]

Erant quidem Iudaei sub Romano imperio, sed ita ut moderate ac clementer satis regerentur, multa retinentes vestigia αὐτονομίας [*libertatis*], demta tantum rebellandi licentia. *Cor voluptatibus obstupefactum* dicit Trebellius.

Τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, auribus graviter audierunt] *Crassis auribus*, ait Apuleius. *Τοσούτῳ κηρῷ ἔβυσαν τὰ ὦτα* [*Tanta cerae copia aures tibi obturavere*], Lucianus.

Ἐκάμμυσαν] *Oculos sibi occlusere* aut *sugillavere*, *conniverunt*: nam id praeteritum in Latino sermone probat Priscianus. Totius biennii praedicatione nihilo facti erant meliores. Etiam Philo dixit τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα καμμύειν [*animi oculis connivere*].

Μήποτε ἴδωσι, ne quando videant] Cohaeret apud Prophetam et eius Interpretes cum posteriori sensu, qui non comminatur, sed comminationis causam reddit; quasi dicas: Hoc egerunt ne quid intelligerent. Neque male Marcus et Iohannes eadem ad poenam referunt: quia et Deus apud Prophetam et Christus hoc loco ostendunt poenam fore culpae similem. Ita apud Mosem legimus, *Induravit Pharao cor suum*, et, *Induravit Deus cor Pharaonis.*

Ἰάσομαι αὐτούς, et sanem eos] In Hebraeo ad verbum, *et medicetur ei*, aut, *et sanitas ei obveniat*, a me scilicet: nam Deus loquitur. Ideo recte verterunt LXX ἰάσομαι. Haec autem medicina, ut et David Kimchi exponit, est peccatorum venia. Ideo Marcus pro eodem posuit καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα [*et dimittantur eis peccata*]. Quod autem Marcus id ipsum, ut et quod praecessit, ad poenam refert, potest, ut Chrysostomo visum est, aut maximam difficultatem significare impetrandae veniae, aut etiam severitatem Divinam ad tempus aliquod duraturam. Nam et apud Esaiam comminatio

non

non ultra Babylonicum exsilium extenditur: et eorum de quibus agit Christus nonnullos post Christum crudeliter trucidatum cum acerrimo cordis morsu ad poenitentiam versos credibile est. Ita enim humanum est ingenium, bona obvia spernere, negata ardentius concupiscere:

——— *Virtutem incolumen odimus,*

Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

Sed et de sui temporis Iudaeis agens Paulus, cum dixisset eos *πωρωθῆναι* [*occaecatos*] et caecutiente spiritu teneri, addidit *ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας* [*usque in hodiernum diem*]. Neque male a Veteribus annotatum est, saepe ipsorum hominum interesse ut differantur remedia, quo magis quicquid intus impuri est se promat. Facile enim recrudescunt cito obducta vulnera. Non male in hanc sententiam Origenes *περὶ ἀρχῶν* [*De principiis*] III: *Ἐνίοτε τάχιον θεραπευθῆναι οὐ πρὸς καλοῦ γίνεται τοῖς θεραπευομένοις· εἴπερ ἑαυτοὺς χαλεποῖς περιπεσόντες εὐχερῶς ἀπαλλαγοῖεν τούτων οἷς περιπεπτώκασι· καταφρονοῦντες γὰρ ὡς εὐϊάτου τοῦ κακοῦ δεύτερον οὐ φυλαττόμενοι περιπεσεῖν αὐτῷ, ἐν αὐτῷ ἔσονται· διόπερ ἐπὶ τῶν τοιούτων ὁ Θεὸς ὁ αἰώνιος, ὁ τῶν κρύπτων γνώστης, ὁ εἰδὼς τὰ πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν, κατὰ τὴν χρηστότητα αὐτοῦ ὑπερτίθεται τὴν ταχυτέραν πρὸς αὐτοὺς βοήθειαν, καὶ, ἵν' οὕτως εἴπω, βοηθῶν αὐτοῖς οὐ βοηθεῖ* [*Saepe cito curari non e re est eorum qui curantur. Sic enim facile exsolverunt iis quibus se implicuerunt malis: ac sic contemnentes morbum ut levem, nec satis caventes sibi in posterum, eodem reciderent. Quapropter circa tales Deus aeternus, qui occulta novit et omnia videt priusquam fiant, pro sua bonitate celeri auxilio abstinet, et, ut sic loquar, non opitulando eis opitulatur*].

16. *Οἱ ὀφθαλμοὶ, ὅτι βλέπουσι· καὶ τὰ ὦτα ὑμῶν, ὅτι ἀκούει, oculi, quia vident; et aures vestrae, quia audiunt*] De oculis auribusque mentis hic agi non dubito. Nam de iisdem actum erat praecedenti commate. Itaque aliis verbis idem hic dicitur quod dictum erat supra comm. 11. Quod et connexio comm. 18 apertum facit.

17. *Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν ὅτι πολλοὶ προφῆται, profecto enim dico vobis, multos Prophetas*] Causam reddit cur Apostoli beatos se eo nomine, hoc est, peculiari a

Deo

Deo gratia affectos, aestimare deberent, quia multis Prophetis aliisque viris sanctis is honos non contigisset, nempe discendi tam multa arcana Divinae dispensationis, quae in Messiae tempora Deus servaverat, ut alibi a nobis dictum est. Ita ad submissionem animi Apostolos revocat, facile alioqui cogitaturos, quando ista patefactio Iudaeis aliis ob crimina denegaretur, sibi eam virtutum merito tribui. Huic errori Christus occurrens, Imo, inquit, meliores non estis Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Esaia, Ieremia aliisque Prophetis, quibus ea felicitas donata non est. Vide Es. 64: 4. Ergo quod Iudaeis aliis negatur, iustitiae est; quod vobis tribuitur, Divinae dispensationis et gratiae.

Καὶ οὐκ εἶδον, et non viderunt] Non ista omnia, neque tam clare, intellexerunt, ut docet Scriptor ad Hebr. 11: 13, et Petr. I, cap. 1: 10, 11, imo ne Angeli quidem, ut a Petro ibidem significari videtur.

19. *Τὸν λόγον, sermonem*] Optime λόγος semini comparatur. Nam et Latine *sermo* a *serendo* dici creditur; et Graeci dixerunt *ψεύδους καταβολήν* [*mendacii sationem*]. Aristoteles Nicomachiorum decimo: *Δεῖ προδιειργάσθαι τοῖς ἤθεσι τὴν τοῦ ἀκροατοῦ ψυχὴν πρὸς τὸ καλῶ χαίρειν, καὶ μισεῖν, ὥσπερ τὴν γῆν θρέψουσαν τὸ σπέρμα* [*Oportet prius excoli moribus animam auditoris ut quae oportet amet oderitque, velut terram ad fovendum semen*]. Cicero Tusculanarum II: *Philosophia praeparat animos ad satus accipiendos eaque mandat his, et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant.* Etiam Plutarchus *τὸν λόγον* vocat *semen.*

Μὴ συνιέντος, et non intelligit] Id est, *μὴ προσέχοντος* [*animum non advertit*], ut exponitur apud Homerum *σιγῇ νῦν ξυνίει* [*nunc attende silens*]. Ita in Ps. 41: 1, *ὁ συνιὼν ἐπὶ πτωχόν* [*qui intelligit super egenum*]. Non temere olim in sacris acclamatum: *Hoc age.*

Ἔρχεται ὁ πονηρὸς καὶ ἁρπάζει, venit malus et rapit] Hominum negligentia, ut supra vidimus, potestatem Diabolo in ipsos facit. Quod ergo homines cum audiunt contemnunt expendere, id ille etiam e memoria delet; ita fit, quemadmodum Lucas docet, ut non credant: unde discimus incredulitatis causam frequentissimam esse

τὴν

τὴν ἀπροσεξίαν [incuriam]. Quod autem avibus in parabola respondet in explicatione malus Daemon, apud Iudaeos novum non erat, qui soliti Daemonas *aves* appellare. Patet in libro Zoar et De morte Mosis. Pertinet ad hunc sensum Philonis illud libro De Gigantibus: *Ἀλλὰ γὰρ καὶ τοῖς ἐξαγίςοις ἐπιποτᾶται πολλάκις αἰφνίδιος ἡ τοῦ καλοῦ φαντασία, συλλαβεῖν δ' αὐτὴν καὶ φυλάξαι παρ' ἑαυτοῖς ἀδυνατοῦσιν* [*Etiam profanis advolat interdum subita quaedam honesti species, at concipere eam et apud se custodire non queunt*].

Οὗτός ἐςιν ὁ παρὰ τὸν ὁδὸν σπαρείς] Id est, *Qui talis est μεταφορικῶς* [*translate*] *dici potest iuxta viam consitus*. In his comparationibus totum complexum, quod vocant, complexo respondet, non minimae particulae particulis. Ideo Lucas homines semini comparat *συνεκδοχικῶς* [*per comprehensionem*] ex parte complexum denotans.

20. *Ὁ δὲ ἐπὶ τὰ πετρώδη σπαρείς*] Id est, *Qui μεταφορικῶς dici potest super saxosa consitus.*

Εὐθὺς μετὰ χαρᾶς λαμβάνων αὐτὸν, et continuo cum gaudio accipit illud] *Μετὰ χαρᾶς* est *libenter*, ut Hebr. 10: 34, *λαμβάνειν* seu *δέχεσθαι acceptare*. Cum vero hic opponatur *τῷ μὴ συνιέντι* [*ei qui non intelligit*], et infra positum sit *συνιὼν* [*intelligens*] pro eo quod hic est *μετὰ χαρᾶς λαμβάνων*, videmus hinc fieri vix posse ut qui ad verbum Dei animum diligenter advertat eidem non adhibeat assensum. Tertullianus Apologetico: *Qui audierit, inveniet Deum: qui etiam studuerit intelligere, cogetur et credere.*

21. *Οὐκ ἔχει δὲ ῥίζαν ἐν ἑαυτῷ, non habet autem in se radicem*] Optime cohaeret cum eo quod dixerat *εὐθὺς* [*continuo*]. Ita de praecoci ingenio dixit Quintilianus quod de praecoci et male cocto affectu Christus hic dicit: *Non multum praestat, sed cito; non subest vera vis, nec penitus immissis radicibus innititur.* Similis est illa Callidori comparatio in Pseudolo Plautina:

Quasi solstitialis herba paulisper fui:
Repente exortus sum, repentino occidi.

Radix igitur hic est bene meditatum rebus omnibus expensis propositum summi boni adipiscendi, spretis rebus aliis. Hoc ipsum τὸ *ςερέωμα τῆς πίςεως* [*firmamentum fi-*

fidei] Paulus vocare videtur Coloss. 2: 5, et qui id consecuti sunt *ἐῤῥιζωμένους ἐν ἀγάπῃ* [*radicatos in caritate*], Eph. 3: 18. Eadem similitudine usus Cicero virtutem dixit *altissimis defixam radicibus*.

Πρόσκαιρός ἐςι, est temporalis] Sicut Paulus *πρόσκαιρα* opponit *αἰωνίοις* [*aeternis*] 2 Cor. 4: 18, ita hic *πρόσκαιρος* opponitur stabili *καὶ ἐῤῥιζωμένῳ* [*et radicato*] id est, ei qui vim solidam atque durabilem in se continet. Constat is sibi dum res sunt satis prosperae, ut ad Lucam exponit Syrus. Seneca epistola IX: *Non quid dicat, sed quid sentiat refert; nec quid uno die sentiat, sed quid assidue. Λόγου ἐφήμερος γένεσις* [*Rationis ortus diarius*] Maximo Tyrio.

Θλίψεως ἢ διωγμοῦ, vexatione et persecutione] Sumitur et vox *διώκειν* [*persequi*] generaliter, ut alibi diximus, et *θλίψις* pro eo quod frequentius *διωγμὸν* dicimus, ut Act. 11: 19. Alioqui hoc in loco *θλίψιν* pro privata, *διωγμὸν* pro publica vexatione accipiendum arbitror. Sic Paulus distinxit *διωγμοὺς* et *παθήματα* [*passiones*], 2 Tim. 3: 2.

Εὐθὺς σκανδαλίζεται, repente offendit] מיד *repente*, ut repente verbum admiserat. Est autem hic *μετάληψις* [*transsumtio*] quae ex antecedenti consequens significat. Nam *ἐκ τοῦ σκανδαλίζεσθαι* vult intelligi *τὸ ἀφίςασθαι*, quod Lucas expressit, sicut qui viae salebris offenditur aliam sibi viam eligit. Causa defectionis ad instabilitatem animi refertur, quae ex securitate nascitur, securitas ferme ex nimia sui fiducia. Hinc Christus toties suos monet ut in tempore, et antequam periculum ingruat, vigilent ac precentur.

22. *Εἰς τὰς ἀκάνθας σπαρεὶς, qui autem seminatus est in spinis*] Etiam Poëtae curas spinis comparant.

Οὗτός ἐςιν ὁ τὸν λόγον ἀκούων, hic est qui verbum audit] Repete *ἐκ κοινοῦ, καὶ μετὰ χαρᾶς λαμβάνων* [*ex ante communiter dicto, et cum gaudio accipit*], aut, ut supra infraque dicitur *συνιὼν* [*qui intelligit*]. Quod autem sequitur *καὶ* Hebraeo more positum est vice relativi. Sensus enim est: Hic est qui audit et cum gaudio recipit, sed in quo curae ac sollicitudines huius aevi verbum suffocant.

'H

Ἡ μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου; sollicitudo seculi huius et fallacia divitiarum] *Μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου* dici hic videtur id quod Iohanni est *ἀλαζονεία τοῦ βίου* [*superbia vitae*] in Epistola I cap. 2 comm. 16, studium scilicet earum rerum quae in hac vita splendidissima videntur, in quo genere excellit honorum et gloriae cupido, quae sapientibus etiam novissime exuitur. Pro *divitiis* autem sapienter hic posuit Matthaeus *ἀπάτην τοῦ πλούτου*, ostendens esse quidem divitias in rerum mediarum numero, sed plerumque inescari earum dulcedine homines: qua de re insignia veterum dicta citavimus. Maxime huc pertinet Menandri illud:

——— *Ὁ δὲ πλοῦτος τυφλόν·*
Τυφλοὺς δ' ἐς αὐτὸν ἐμβλέποντας δεικνύει.
[——————— *Caeca res pecunia est;*
Quique aciem in se defigunt hos caecos facit.]

Quod imitatus Cicero dixit: *Non solum ipsa fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit caecos quos ipsa complexa est.* Mimus autem:

Fortuna nimium quos fovet stultos facit.

Est et eiusdem Menandri alterum:

Ὑπερήφανόν που γίνεθ' ἡ λίαν τρυφή·
Ὅτε πλοῦτος ἐξώκειλε τὸν κεκτημένον
Εἰς ἕτερον ἦθος, οὐκ ἐν ᾧ τὸ πρόσθεν ἦν.
[*Deliciae nimiae pariunt insolentiam,*
Pecuniaeque dominum traiiciunt suum
In mores alios quam quas induerat prius.]

Haec est Iohanni *ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν* [*concupiscentia oculorum*]. Caeterum cur tertiam causam quae itidem suffocare solet pietatis studium, voluptates scilicet corporis, quas Iohannes dixit *ἐπιθυμίαν σαρκὸς* [*concupiscentiam carnis*], Marcus hoc loco *τὰς περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίας* [*circa reliqua concupiscentias*], Lucas *ἡδονὰς τοῦ βίου* [*voluptates vitae*], Matthaeus omiserit, causam hanc fuisse suspicor, quod divitiis nominatis eas satis putaret intelligi, quia ferme propter voluptates corporis divitiae expetuntur.

Συμπνίγει τὸν λόγον, καὶ ἄκαρπος γίνεται; suffocat verbum, et sine fructu efficitur] Cum per gradus procedat com-

comparatio, videtur hic de iis agi qui maiores quam secundi illi profectus in pietate fecerant, atque adeo actis radicibus coeperant fructum non illaudabilem proferre, sed variis cupiditatibus, quas purgare neglexerant, obruti vim illam frugiferam perdunt; hoc enim est ἄκαρπος γίνεται, pro quo Lucas dixit οὐ τελεσφοροῦσι, hoc est, *ad messem usque frugem non perferunt*. Huius generis exemplum habemus in Dema, de quo Paulus: Δημᾶς με ἐγκατέλιπεν, ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα [*Demas me reliquit, diligens hoc seculum*], 2 Tim. 4: 10. *Strangulari ex copia* dixit et Seneca; et ἄγχεσθαι Plutarchus.

23. Ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλὴν, *in terram bonam*] Plane simili modo Philo libro De praemiis ἀρετῶσαν χώραν [*bonam terram*] vocat τὴν λογικὴν ψυχὴν [*animam rationalem*], quae a Deo sit consita. Sed et libro de Allegoriis verba Iacobi ad Rachelem mystice ita interpretatur: Οὐ γὰρ ἀντὶ Θεοῦ ἐγώ εἰμι τοῦ μόνου δυναμένου τὰς ψυχῶν μήτρας (male editur τὰ ψυχῶν μέτρα) ἀνοιγνῦναι καὶ σπείρειν ἐν αὐταῖς ἀρετὰς, καὶ ποιεῖν ἐγκύμονας καὶ τικτούσας τὰ καλά [*Non enim ego sum Dei vice, qui solus potest animarum uteros aperire ac virtutibus conserere, et sic efficere praegnantes et pulchri partus puerperas*]. Rursus libro de Caino: Ἀρεταῖς δὲ πολλὰ καὶ τέλεια τικτούσαις θέμις οὐκ ἔςιν ἀνδρὸς ἐπιλαχεῖν θνητοῦ· μὴ δεξάμεναι δὲ παρά τινος ἑτέρου ἐπιγονὴν ἐξ ἑαυτῶν μὲν μόνων οὐδέποτε κυήσουσι· τίς οὖν ὁ σπείρων ἐπ᾽ αὐταῖς τὰ καλὰ, πλὴν ὁ τῶν ὅλων πατὴρ, ὁ ἀγέννητος Θεὸς καὶ τὰ σύμπαντα γεννῶν; σπείρει μὲν οὖν οὗτος, τὸ δὲ γέννημα τὸ ἴδιον ὃ ἔσπειρε δωρεῖται· γεννᾷ γὰρ ὁ Θεὸς οὐδὲν αὑτῷ, χρεῖος ἅτε ὢν οὐδενὸς, πάντα δὲ τῷ λαβεῖν δεομένῳ [*Virtutibus quae et multa et perfecta pariunt nefas est dare maritum mortalem. At si ab alio genituram non acceperint ex se ipsis solis nunquam fient praegnantes. Quis ergo est qui pulchre in ipsis inserit, nisi Universi Pater, Deus non genitus et gignens omnia. Serit ergo hic; donat autem foetum suum quem sevit: nihil enim Deus sibi serit, ut qui nullius rei indigeat, sed omnia ei qui precatur ut accipiat*].

Ὃς δὴ καρποφορεῖ, *qui fructum fert*] Id est τελεσφορεῖ

[*perfert*], ut oppositionis ratio monstrat. Hoc est quod Lucas hic dicit *καρποφοροῦσιν ἐν ὑπομονῇ* [*fructum ferunt in patientia*]. Notum est in Apostolicis scriptis ὑπομονῆς voce plerumque significari *perseverantiam*, nec quamlibet, sed eam quae ad finem usque perdurat, iuxta illud Christi: *Ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται* [*Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*]. Ex quorum locorum collatione discimus hic *fructuum* nomine non praemia operum sed opera designari.

Ὁ μὲν ἑκατὸν, ὃ δὲ ἑξήκοντα, ὃ δὲ τριάκοντα, aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum]. Potest simpliciter intelligi significata fructuum diversitas pro vario soli ingenio et culturae industria. Neque tamen inepte fructum triplicem referas ad triplices, ut alibi diximus, Christianos, *παῖδας, νέους, πατέρας* [*Pueros, Adolescentes, Patres*]. Centuplus autem fructus pro summa ubertatis mensura ponitur Gen. 26: 12. Sed et apud Poetas. Meminit et Plinius *centesimae frugis*.

24. *Ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς, aliam parabolam proposuit illis*] משל המשל, ut loquitur Ezech. 12: 23.

Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ σπείροντι, Regnum coelorum homini qui seminavit] Tota narratio toti significato comparatur. Utrumque autem, ut diximus, *συνεκδοχικῶς* [*per comprehensionem*] indicatur particulis quibusdam saepe non directe respondentibus, quasi dicas: *Ita se habet res Euangelii, ac si quis eat satum* etc. quod clarius exprimit Marcus: *ἀνθρώπῳ* enim hic est *alicui*, more Hebraeo.

25. *Ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους, cum autem dormirent homines*] *Ἀνθρώπους* hic indefinitum est, non universale; quasi dicas *cum dormiretur*. Hoc autem nihil est aliud quam descriptio opportunitatis.

Ἔσπειρε ζιζάνια ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου] *Lolium in alienam segetem iniecit*, ut loquitur Celsus Iurisconsultus.

26. *Ὁ χόρτος, herba*] Quam late haec vox apud Hellenistas pateat, vide quae supra dicta sunt ad cap. 6.

Καὶ καρπὸν ἐποίησε, et fructum fecisset] Descriptio non messis, sed eius temporis quo apparere sata incipiunt.

Mar-

Marcus: *Ὅταν δὲ παραδῷ ὁ χόρτος* [*Cum exseruerit se fructus*], id est, תנח Cant. 2: 13.

27. *Προσελθόντες δὲ οἱ δοῦλοι, accedentes autem servi*] Haec allocutio non habet in Christi explicatione ullam specialem *ἀνταπόδοσιν* [*redditionem*]. Et multa sunt talia in istis aliisque apologis, quae non sunt ad vivum resecanda: adhibentur enim ad contextum narrationis. Servius ad illud Aeneidos I:

Exercet Diana Choros.

Hoc non ad descriptionem pertinet, sed est poeticae descriptionis evagatio. Postea: *Multi vituperant comparationem hanc, nescientes exempla vel parabolas vel comparationes non semper usquequaque congruere, sed interdum omni parte, interdum aliqua convenire.*

Οὐχὶ καλὸν σπέρμα ἔσπειρας ἐν τῷ σῷ ἀγρῷ, nonne bonum semen seminasti in agro tuo] Hebraismus, pro quo Latini dicerent: *Certe tu probum semen in agro severas.*

28. *Ἀπελθόντες, euntes*] *Παρέλκει* [*abundat*], ut *πορευόμενοι* [*euntes*] apud Luc. 8: 14 et, quod hic modo praecessit, *καὶ ἀπῆλθεν* [*et abiit*], quod semel dictum non est cur saepe repetatur.

29. *Ἐκριζώσητε ἅμα καὶ τὸν σῖτον, eradicetis simul et triticum*] Est enim lolii genus quod a tritico visu discerni vix potest.

30. *Ἄφετε συναυξάνεσθαι, sinite utraque crescere*] Similis locus in Bereschit Rabba.

31. *Ἄλλην παραβολὴν, aliam parabolam*] Duabus sequentibus comparationibus indicari puto exiguum numerum Iudaeorum qui in Christum erant crediturí, et incredibilem multitudinem quae istorum opera ex Gentibus ad veram religionem esset perducenda. Quam late enim quamque brevi tempore sparsum sit verbum salutare, quantosque sine ullis humanis praesidiis profectus fecerit, discimus ex Actis Apostolicis et Epistolis Pauli; quibus addi possunt illustria Scriptorum sequentis aevi loca. Tertullianus iis nationibus quarum nomina in scriptis Apostolicis exstant annumerat, ut iam sua aetate Christo subditas, *Getulorum varietates, Maurorum multos fines,*

Hispaniarum omnes terminos, Galliarum diversas nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytharum et abditarum multarum gentium et provinciarum et insularum multarum Romanis ignotarum. Scribebat autem Tertullianus circa annum a Dominico natali ducentesimum. Eo etiam vetustior Irenaeus lib. I cap. 3 Ecclesias nominat *Germaniarum, Galliarum, Hispaniarum, Orientis, Aegypti, Libyae, Meridiei.* Adde Origenem Homilia IV in Ezechielem, Arnobium lib. II, Athanasium epistola Synodica, quae apud Theodoretum historiarum IV. 3, Hieronymum epistola ad Euagrium, Chrysostomum sermone de Pentecoste, Theodoretum Therapeutico.

32. *Ὃ μικρότερον μέν ἐςι πάντων, quod minus quidem est omnibus*] Vide quae ad cap. 11: 11 dicta sunt. Fit autem comparatio ad eas herbas quae in Iudaea erant notiores. Ita infra 17: 20 *κόκκος σινάπεως* [*granum sinapis*] pro re minima dicitur.

Γίνεται δένδρον] *In arboris magnitudinem excrescit.*

Κατασκηνοῦν] Id est, *ut quasi habitent in ramis eius*; Ps. 104: 13. Neque enim de nidis tantum agitur. Respiciunt haec verba Nabuchodonosoris somnium apud Danielem 4: 9, ubi est ידרון [*habitabant*]. Vide et quod supra dictum est ad cap. 8. Christi Regnum inter caetera Nabuchodonosoris Regno comparat etiam Tertullianus dicto loco.

33. *Σάτα τρία, satis tribus*] Tantum enim simul misceri solebat; ut apparet Gen. 18: 6, Iud. 6: 19, 1 Sam. 1: 24.

34, *Ἐλάλησεν ἐν παραβολαῖς, locutus est parabolis*] Maior Salomone. Supra 12: 42.

35. *Ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου, ut impleretur quod dictum erat per Prophetam*] Ὅπως non significat propositum Asaphi (qui hic *προφήτης* generaliori notione dicitur) sed eventum talem cui verba illa excellentius, imo etiam magis proprie, congruerent. Nam Asaphus משל [*parabolam*] et חידות [*propositiones*] dixit pro *narratione sententiosa καταχρηςικῶς* [*per abusionem*], quae tamen ipsa narratio latentes rerum Messiae figuras continebat. Hic vero eo nomine indicantur *αἶνοι* [*scrupi*],

qui

qui proprie sunt חידות, et, si addatur ἀπόδοσις [*redditio*] משלים [*parabolae*]. Asapho מני קדם est *ab antiquo tempore*, cum proprie significet, ut et LXX transtulerunt, ἀπ' ἀρχῆς [*ab initio*], quod hic non tam explicando quam applicando dicitur ἀπὸ καταβολῆς κόσμου [*a constitutione mundi*]. Ita Paulus hoc ipsum de quo hic agit Christus vocat μυστήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον [*mysterium temporibus aeternis tacitum*], Rom. 16: 25, et alibi μυστήριον ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων [*mysterium quod absconditum fuit a seculis*], Col. 1: 26, alibi σοφίαν ἐν μυστηρίῳ ἀποκεκρυμμένην [*sapientiam mysterio absconditam*], 1 Cor. 2: 7. Participium autem κεκρυμμένα [*abscondita*] positum hic est vice nominis αἰνίγματα [*scrupi*], aut, ut LXX habent, προβλήματα [*propositiones*], quia quod sequitur ἀπὸ καταβολῆς κόσμου cum participio rectius cohaeret. Saepe autem ubi de Euangelii doctrina Deique circa eam dispensatione agitur, mentio fit creationis mundi, ut ostendatur iam tum hoc in Dei consilio fuisse agitatum, atque eo directa omnia. Vide dictum locum 1 Cor. 2: 7. *Καταβολὴν* autem κόσμου pro *mundi creatione*, translatum ab aedificiis loquendi genus, passim Euangeliorum Scriptores, sed et Paulus ad Ephesios, Petrus quoque, et Scriptor ad Hebraeos usurpant, et in Apocalypsi Iohannes, ut appareat receptissimam eorum temporum φράσιν [*locutionem*] fuisse.

Ἐρεύξομαι, eructabo] Ita Hebraeum אביעה exponunt Hebraei et LXX quoque aliis locis, ut Ps. 19: 3, quanquam hic posuerunt φθέγξομαι [*effabor*]. Significat haec vox orationem large erumpentem.

38. *Ὁ δὲ ἀγρός ἐστιν ὁ κόσμος, ager autem est mundus*] Ne putarent Discipuli in sola Iudaea, ut hactenus, spargendum id semen.

Τὸ δὲ καλὸν σπέρμα, οὗτοί εἰσιν οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας, bonum vero semen hi sunt filii Regni] Usu hic venit quod supra ex Luca observavimus in prima parabola. Nam ut ibi ille dixerat τὸ εἰς τὰς ἀκάνθας πεσὸν οὗτοί εἰσιν οἱ ἀκούσαντες [*quod autem in spinas cecidit hi sunt qui audierunt*], pro eo quod proprie magis Matthaeus dixerat ὁ εἰς ἀκάνθας σπαρεὶς οὗτός ἐστιν ὁ τὸν λόγον ἀκούων [*qui seminatus est in spinis hic est qui verbum audit*],

ita hic τὸ καλὸν σπέρμα pro toto complexo ponitur, cum alioqui dicendum fuisset οἱ τῷ καλῷ σπέρματι σπαρέντες [*qui bono semine sunt consiti*]. Crasse igitur Manichaei ex his et sequentibus verbis colligebant naturas ipsas bonas malasque a Deo et Diabolo seri.

Οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ, filii illius nequam] Non qualescunque mali homines per lolium denotantur, sed hi qui Christianismum profitentur. Hoc est quod dictum erat *lolium seri inter triticum*, et infra ἐκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ [*de Regno suo*]. Et mox in similis sensus comparatione τὰ καλὰ καὶ τὰ σαπρὰ [*bona et mala*] sunt in eodem everriculo. Sicut autem *filii Dei* dicuntur qui Divinam imitantur bonitatem, ut supra 5: 9 et 45, ita *filii Diaboli* qui Diaboli imitantur malitiam, Ioh. 8: 44.

39. *Σπείρας αὐτὰ, qui seminavit ea*] Magna vitiorum seges enascitur hominum somnolentia, Diaboli astu, Dei sapiente ac iusta permissione.

Συντέλεια τοῦ αἰῶνος, consummatio seculi] Scriptori ad Hebraeos συντέλεια τοῦ αἰῶνος est tempus destinatum Messiae adventui, Matthaeo tempus iudicii universalis. Ita Hebraeis *seculum futurum* modo est tempus Messiae, modo resurrectionis. Et *Regnum Dei* sive *Regnum coeleste* modo hoc, modo illud significat.

41. *Πάντα τὰ σκάνδαλα καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν, omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem*] In hoc tota vis est comparationis. Initio Christiana Ecclesia erat admirandae puritatis, ex hominibus constans plenis Spiritu sancto, aut certe Spiritum illum iam iam exspectantibus. Sed ubi prima illa dilectio refrixerat, iam ipsis Apostolorum temporibus, multoque magis postea, immiscere se Christianis coeperunt duo hominum vitiosorum genera, alii prava docentes, alii puram professionem vita turpi dehonestantes. Prioris generis homines σκάνδαλα hic vocantur. Neque enim ea vox factis tantum sed et hominibus tribuitur, ut infra 16: 23. Sicut autem Paulus alibi coniunxit διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν [*dissensiones et offendicula praeter doctrinam*] Rom. 16: 17, ita hic σκάνδαλα sunt οἱ διχοστατοῦντες, seorsim abeuntes a verae pietatis doctrina. Nam et quod Christus dixerat ἀνάγκη ἐστὶν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα [*ne-*

[*necesse est ut veniant scandala*], Paulus ita extulit, δεῖ αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι [*oportet haereses in vobis esse*], 1 Cor. 11: 19. Atque ita hanc vocem usurpare frequenter solebant Christiani veteres. Origenes quinto adversus Celsum: Ἀληθῶς δὲ τὸ τοῦ σκανδάλου ὄνομα πολὺ ἐν τοῖς γράμμασι τούτοις ἐςίν, ὅπερ εἰώθαμεν λέγειν περὶ τῶν διαςρεφόντων ἀπὸ τῆς ὑγιοῦς διδασκαλίας τοὺς ἁπλουςέρους καὶ εὐεξαπατήτους [*Certe scandali nomen frequens est in istis scriptis, quod usurpare solemus de iis qui simpliciores et falli faciles a sana doctrina avertunt*]. Tales praecipue fuerant Nicolaitae et Gnostici ac Carpocratitae, specialiter notati in Epistolis Petri et Iudae, qui sub specie libertatis Christianae docebant ἀδιάφορα [*in mediorum genere*] esse ea quae naturali honestati repugnant. — Alterum genus hominum sunt qui nihil quidem pravi docent, sed non ex regula Christiana vitam instituunt, ἀδελφοὶ ἀτάκτως περιπατοῦντες [*fratres ambulantes inordinate*], ut loquitur Paulus 2 Thess. 3: 6, 11. Cum utroque hoc hominum genere Apostolis eorumque successoribus multum fuit negotii. Neque dubium est quin si tales quales erant cum Christus haec loqueretur mansissent, Apostoli optaturi saepius fuerint ut ignis de coelo tales homines consumeret; quod illos aequissimum arbitratos in Samariae vicanis Christum non recipientibus, Lucas nos docet 9: 54. Adversus hanc vehementiam, non qua oportet lenitate temperatam, munit eos Christus, ostendens hoc suum consilium, pati in Christianismo probos improbis, prava docentes recta docentibus permixtos vivere, usque dum maturuisset universalis iudicii tempus. Tertullianus: *Qui semel aeternum iudicium destinavit post seculi finem, non praecipitat discretionem, quae est conditio iudicii, ante finem.* Cur autem sibi ita videatur, causas Christus hîc non exponit, nisi quod obscure innuisse eas videri potest cum dixit, cavendum ne cum lolio simul evellatur triticum. Sed ex aliis Sacrarum literarum locis eas colligere non usquequaque difficile est. Nam primum quod ad poenas generales attinet, quales sunt diluvia, incendia, aliaeque id genus pestes, cum non possint ita infligi ut solos improbos contingant, proborum etiam paucorum causa Deus aut

iis abstinet, aut certe eas temperat. Vide Gen. 18: 32 et id quod infra est 24: 22. Deinde inter prava docentes aut extra regulam viventes sunt alii aliis sanabiliores, quorum poenitentiam Deus patienter opperitur. Ob hanc causam dicit Petrus ultimum iudicii diem differri, quia Deus *patienter cum hominibus agat, nolens quenquam perire, sed omnes potius volens pervenire ad poenitentiam*, 2 Epist. cap. 3 comm. 9. Praeterea vero pravi doctores, et qui vitae sunt inemendatae bonis ac probis materiam praebent in qua constantiam suam et lenitatem exerceant; constantiam dum malis exemplis non patiuntur se abripi; lenitatem dum eos quovis modo student ad meliorem viam retrahere. Hoc est quod Paulus dicit, ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν [*ut qui probati sunt manifesti fiant in vobis*], 1 Cor. 11: 19, quod non incommode explicat Scriptor Responsionum ad Orthodoxos quaestione XXII.

Quanquam vero certissimum est, hoc Christi dicto neque Magistratibus publica iudicia adimi quae malos formidine poena coerceant, neque Ecclesiae ius segregandi a suis coetibus eos qui aut doctrinam adulterant, aut vitae turpitudine maculant nomen Christianum, tamen quin lenitas ac patientia Divina, aliqua saltem ratione, hominibus omnibus atque inter caeteros etiam Magistratibus et Ecclesiae praepositis imitanda proponatur, minime est dubitandum. Nam etiam in lenitate adversus malos Patris nostri bonitatem iubemur exprimere supra 5: 45. Et de clementia quidem in publicis iudiciis adhibenda supra aliquid diximus; quae sane tum praecipue locum habere debet cum aut apparet ingenium esse sanabile, aut propter multitudinem peccantium exerceri poena aliter nequit nisi ut sontibus insontes involvat; quod praecipue locum habet quoties delicti causa bella suscipiuntur. Sed et Ecclesiae iudicia magno cum temperamento ac lenitate exercenda esse passim docemur. Sunt enim et in dogmatibus errores eiusmodi in quibus locum habere debeat; Τὸν ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβάνεσθε, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν [*Infirmum in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum*]. Et abstineri quidem a familiari nimium convictu τῶν ἀτάκτων [*inordinatorum*] vult Paulus,

lus, ita tamen ut non habeantur pro deploratis, sed fraterne admoneantur. Iam vero quoties magnus erat peccantium numerus, atque inter eos, ut fit, multi excusabiliter prolapsi, remissum aliquid de rigore disciplinae multis exemplis probari potest. Et notae sunt Augustini in eam rem sententiae. Scriptor Quaestionum ad Orthodoxos, itemque Chrysostomus et Hieronymus hanc Christi parabolam de haereticis interpretantur; non male, cum ex collatione aliorum locorum, ut iam diximus, appareat σκανδάλων [*scandalorum*] vocem huc potissimum pertinere. Augustinus eandem secutus interpretationem diu eius fuit sententiae ut existimaret nullas omnino poenas usurpandas in eos qui vocantur Haeretici. Sed post multa cum Donatistis, hominibus satis pertinacibus, certamina hactenus sententiam mutavit, ut eas poenas non improbaret quae poenitentiae tempus relinquerent: capitalibus autem suppliciis intercessit saepissime. Si vetustioris Christianismi exquiramus sententiam, inveniemus sane argumenta quae ipsi ut validissima torquent adversus Paganos, id comprehendere quod adversus Haereticorum supplicia non minus recte possit usurpari. Neque enim contenti veritatem fidei suae defendere, probant, etiamsi graviter errarent, tamen eius causa poenas in se non esse exercendas. Constantinus Imperator cum primis edictis liberum debere esse omnibus ex animi sui sententia Dei cultum professus esset, postea, seu quod imperio ita conducere arbitraretur, seu quod Episcopi laborem quotidianae disputationis subterfugerent, poenas constituit in eos qui se a communione τῆς μεγάλης ἐκκλησίας [*magnae Ecclesiae*], separaverant, sed maxime pecuniarias. Inter segreges istos erant et Novatiani, homines, ut apparet, minime mali (non de sectae institutoribus sed de eorum posteris loquor) et in dogmatibus satis consentientes cum caeteris, cupidi tantum rigidioris cuiusdam disciplinae. Secuti Imperatores, ut expedire rebus suis iudicabant, ita aut coercuerunt aut dissimularunt conventus segreges, qui indies novi novique succrescebant, ita ut Christianarum sectarum inire numerum res sit difficillima. At poenae capitales adeo omnibus invisae erant, credo ob memoriam paganae saevitiae, ut in Gallia Epi-

scopi qui auctores Potestatibus fuerant ut in Priscillianistas, pravissimorum dogmatum auctores et vitae inquinatae homines, gladio animadverteretur, eam ob causam ab Ecclesiarum amoti sint communione, et in Oriente damnata Synodus quae in Bogomili exustionem consenserat. Certe Ario, Macedonio, Nestorio, Eutycheti, novarum sectarum principibus nihil durius relegatione evenit. Videntur Ariani Imperatores et eiusdem sectae in Africa Reges primi graviora supplicia instituisse, deinde etiam imbuisse manus dissidentium sanguine. Quae postea secuta sint tempora, nihil opus est referre. Non quaevis mors visa sufficere: sed in exquirendis suppliciis ingenium suum saevitia exercuit. Anathemata non in homines sed in populos pronuntiata; et, ne bruta haec essent fulmina, accensi Reges ut ferro flammaque provincias exscinderent, nullo aetatis, nullo sexus discrimine. Ita ubi solitudinem fecerant, pacem appellabant. Et his omnibus obtendi solet studium Divini nominis, sed plerumque obtendi tantum. Nam Deus dedignatur coacta servitia, nec placere illi potest quod vi humana exprimitur. Reipsa solent qui id faciunt, non nomini Divino, sed suis honoribus, suis commodis et tranquillitati consulere, quod scit ille qui mentes introspicit. Atque ita fit ut lolium evellatur cum tritico, innocentes cum nocentibus; imo ut triticum saepe sumatur pro lolio. Non enim tam bene agitur cum rebus humanis ut semper meliora pluribus aut validioribus placeant. Sed ut in grege taurus, ita inter homines qui viribus est editior, imbecilliorem caedit; et iidem saepe quae pati se querebantur mox in alios audent. At ita passim agere si fas est, non video cur nobis dicere non liceat, *militiae nostrae arma carnalia esse*, quod negat Paulus; non video quae futura sit Christianae patientiae exploratio, aut cur non inverti in partem alteram possit quod dictum est: *Ὁ κατὰ σάρκα γεννηθεὶς ἐδίωκε τὸν κατὰ πνεῦμα* [*Qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum qui secundum spiritum*], Gal. 4: 29. Sunt qui saevissima quaeque defendunt Iudaicae Legis exemplo. Ut iam nihil dicam de Legis Veteris Novaeque diverso spiritu, quos tandem ferit illa lex? nimirum eos qui malignissimo proposi-

si-

sito hoc agebant ut homines ab uno vero Deo abducerent, ab eo, inquam, Deo quem et Natura docebat et tot miracula apertissime testabantur. At Christianae religionis pleraque non natura nobis nota sunt, sed coelesti patefactione; et miracula quibus olim ea religio obsignata est ad summam doctrinae pertinebant, non ad singula capita quae in controversiam veniunt. Imo fatentur Veteres etiam apud eos quos vocabant Haereticos aut Schismaticos (saepe laxato nimium nomine, ut apud Epiphanium imprimis videre est) fieri miracula, Deo scilicet id curante, non in erroris confirmationem, sed in testimonium eius doctrinae quae diversis coetibus erat communis. Haec autem non eo dico animo quod iudicio eximere velim Gaulonitas et Theudas, qui mentito religionis nomine bella excitant, aut imperii statum concutiunt, aut Circumcelliones in Africa latrocinio grassantes, aut si quid est horum simile. Scelera enim manent scelera quocunque nomine commendentur, imo eo sunt exsecrabiliora quo speciosiorem sibi titulum induunt. Sed facta velim discerni ab opinationibus, ut quae non aeque sint ἐφ' ἡμῖν [*in nostra potestate*]. Opinationum autem ambitu simul ea comprehendo quae opinationes quasi necessario sequuntur. Sed et opinationum observari discrimen, tum ex ipsarum natura prout a vera pietate plus minusve abducunt, tum ex causa quae homines in errorem pellexit. In dubiis autem rebus semper eligi id quod est mitius leniusque, ne ille quem Dominum nostrum profitemur necesse habeat nobis dicere: *Nescitis quo spiritu ducamini.*

Ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν, eos qui faciunt iniquitatem] Intelligendum ut supra 7: 23.

42. *Εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός, in caminum ignis*] לגוא אתון נורא, ut est in Dan. 3: 6, quod hic secutus est Syrus. Lolium atque alia id genus in ignem coniici solere patet ex iis quae supra 3: 12, 6: 30 et alibi. Plutarchus ab Aedilibus quibusdam ait cautionem interpositam ne balneorum conductores ad ignem lolio uterentur. Simul autem alluditur ad supplicium vivicomburii, quod in Oriente erat usitatum.

Ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμός, ibi erit fletus] Vide supra 8: 12.

43.

communem sed definitum animo complecti cum *omne genus* dicimus. Ergo *σαπρὰ* sunt nugamenta et quisquiliae piscium, quod genus ut servatu indignum videmus a piscatoribus abiici. Arrianus: *Ῥίψον ἔξω, ἀδόκιμόν ἐςι, σαπρόν* [*Abiice, reiectaneum est et nullius pretii*].

48. *Ἀναβιβάσαντες, educentes*] Hoc est quod Romani Iurisprudentes vocant *retia e mari subducere*.

49. *Οὕτως ἔςαι, sic erit*] Idem *ἐπιμύθιον* [*interpretamentum fabulae*] quod in comparatione lolii et frumenti. Sunt ergo hic *οἱ πονηροὶ* [*mali*], ut supra *οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ* [*filii illius nequam*], illi qui in praedicatione Euangelica pertracti ad Christianismi professionem delectus tempore mali comperiuntur. Ultra enim extendi comparatio non debet, neque similium natura patitur ut minima quaeque eodem modo se habeant. Sententiam hac fabella indicatam ita exprimit Tertullianus Apologetico verbis quae iam ante adduximus: *Qui semel aeternum iudicium destinavit post seculi finem, non praecipitat discretionem, quae est conditio iudicii, ante seculi finem.*

52. *Πᾶς γραμματεὺς, omnis Scriba*] *Γραμματεῖς* proprie dicebantur adsessores Magistratuum, ut ad secundum caput vidimus; sed quia iidem erant Legisperiti (ut et apud Romanos Iurisconsultorum erat adsidere Magistratibus), ideo *γραμματεῖς* dicuntur qui alias *νομοδιδάσκαλοι* [*Legis doctores*] aut *νομικοί* [*Legisperiti*]. Ita Esdras vocatur סופר [*Scriba*] ab Artaxerxe. Mos autem est Christo, ut et Prophetis, nominibus apud Iudaeos receptis significare tum dona tum munia quae futura erant in Ecclesia Christiana. Vide Ioel. 2: 28, Act. 2: 17, Esai. 66: 21. Proprie autem *τοῖς γραμματεῦσιν* respondent ii qui in Ecclesia Christiana dicti sunt *διδάσκαλοι* [*doctores*], quod nomen in Actis et in Epistolis Pauli aliquoties legitur.

Μαθητευθεὶς, doctus] מחכם Ps. 58: 6 et Prov. 30: 24.

Εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ad Regnum coelorum] *Doctor*, inquit, *bene paratus atque eruditus ad tradenda praecepta Regni coelestis.* Sic Lucas dixit *εὔθετον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ* [*aptum Regno Dei*]. Quare non videtur hoc quidem loco *εἰς* pro *ἐν* positum.

Θησαυροῦ, thesaura] *Ἀποθήκης* [*reconditorio*], ut diximus ad cap. 3: 12. Bene autem ab aliis explicatum mihi vi-

videtur quod sequitur *vetera et nova*, ut significet omne genus edulia, tam quae servari solent quam quae servando servari non possunt. Hac autem similitudine monentur Apostoli ut ad exemplum a Christo datum studeant pietatis dogmata condire quadam tradendi varietate. Nam

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Ennius virum sapientem Catum Aelium Sextum describens dixerat:

— *Multa tenens antiqua, sepulta, vetusta,*
Quae faciunt mores veteresque novosque tenentem.

53. *Μετῆρεν*] נשא רגליו [*sustulit pedes suos*], ut Gen. 29: 1.

54. *Πατρίδα, in patriam*] Nazaretham intelligi ne dubium quidem est. *Patria* autem recte vocatur ex longe parentum incolatu. Credibile enim est ex quo vilescere, imo et suspecta esse imperantibus Davidis posteritas coeperat, Mariae eosdemque Iosephi maiores domicilium fixisse in loco obscuriore. Hinc Christus dicitur *ἀπὸ Ναζαρέτ*, Ioh. 1: 46, Act. 10: 38. Et discimus ex sequentibus cognatos eorum ibidem habitasse.

Ἐν τῇ συναγωγῇ, in synagoga] Id rectius puto quam quod Syrus et Latinus posuerunt *in synagogis*. Nam Nazaret urbs haud ampla facile contenta fuit una synagoga.

55. *Ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς, fabri filius*] Fabrum fuisse lignarium Iosephum cum Scriptor vetustissimus Iustinus tradat, ego non dubitem quin vox *τέκτονος* ita hic sit accipienda. Neque aliter sensisse Christianos veteres apparet ex dicto illius qui contumeliose a pagano interrogatus, *Quid faceret ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς*, respondit, *eum feretrum Iuliano fabricare*. Quin cum ipse etiam Christus a plebe Nazaretana, in cuius conspectu adoleverat, *τέκτων* vocetur apud Marcum, non audeam eis refragari qui Christum Iosepho adfuisse in fabrili opere tradunt et, ut Iustinus ait, aratra fecisse et iuga. Neque id indignum eo statu quem assumserat *ἑαυτὸν κενῶν* [*semet exinaniens*]. Nam praeterquam quod *ἔργον οὐδὲν ὄνειδος* [*non est turpe labor*], ut ab Hesiodo dictum est, mos sane laudabilis inter Hebraeos fuit ut etiam quibus res esset lautior adversus omnes fortunae casus opificium aliquod addiscerent; atque illi etiam qui sapientiae studiis operam dabant,

bant, quorum alios sutores, alios pistores, alios pelliones fuisse legimus. Aut memoria fefellit Origenem, aut Marci exemplaria eo tempore aliam habuerunt scripturam: diserte enim dicit: *Οὐδαμοῦ τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις φερομένων εὐαγγελίων τέκτων αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἀναγέγραπται* [*Nusquam in Euangeliis quae recipiunt Ecclesiae ipse Iesus faber scribitur*].

Οὐχὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ λέγεται Μαριάμ, nonne mater eius dicitur Maria] Etiam in matre offendebantur, quam χερνῆτιδα fuisse, id est, aut netricem aut alio manuum labore victum parantem, Christianis Celsus obiicit. Tertullianus libro de Spectaculis de Christo loquens: *Hic est ille fabri aut quaestuariae filius*, id est, χερνήτιδος. Sic impletur quod dixit Es. 49: 7.

Καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ Ἰάκωβος καὶ Ἰωσῆς καὶ Σίμων καὶ Ἰούδας, et fratres eius Iacobus et Ioses et Simon et Iudas] Pro certo ponit Epiphanius, quem Graeci sequuntur, fuisse hos omnes filios Iosephi ex priori matrimonio. Sed docet nos Origenes famam hanc initium sumsisse ex libris qui falso Petri et Iacobi nomen praeferebant. Quare rectius Hieronymo accedemus arbitranti hos omnes Domini nostri fuisse consobrinos. Negari enim videtur non posse quin eadem quae infra Matthaeo et similiter Marco dicitur *Maria mater Iacobi et Iose*, Iohanni dicatur *Maria soror matris Domini*, ut quae cum Domini matre et cum Magdalena cruci Christi adstiterit. Quod si ea est mater Iacobi et Iose, erit sane et Simonis et Iudae. Hic ergo est Iacobus quem *Iesu fratrem*, id est, consobrinum, loquendi genere etiam Graecis et Romanis noto, vocat non Paulus tantum sed et Iosephus in Iudaicis Annalibus: de quo quae fabulatus est Hegesippus neque recitare neque refutare est operae pretium. Lapidatum a populo fuisse Anano Pontifice idem Iosephus nos docet. Quod autem Iohannes in Euangelio narrat *ne ipsos quidem fratres Iesu in ipsum credidisse*, 7: 5, de remotioribus consanguineis, non de consobrinis istis, certe non de omnibus, intelligendum puto. Eos autem quos modo cum matre ad Iesum venisse legimus hos ipsos fuisse consobrinos, vero persimile est, ut qui Iosepho iam mortuo (neque enim in pas-

passionis historia ulla illius est mentio, et nisi mortuus is fuisset non transtulisset Iohannes Domini matrem in domicilium suum) Mariae rerum curam gerebant. *Ioses* autem nomen, ut alii annotarunt, idem est cum nomine *Ioseph*, sed abiecta, ut fieri solet etiam ab Hebraeis ipsis, litera ultima, deinde apposita terminatione Graecanica. Itaque tum de isto tum de Barnaba, cui idem fuit nominis, Syrus et Latinus modo *Iose* modo *Ioseph* nomen usurpant. Imo et hic quidam codices habent Ἰωσὴφ ex vetere haud dubie interpretamento.

56. *Καὶ αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ οὐχὶ πᾶσαι πρὸς ἡμᾶς εἰσι, et sorores eius nonne omnes apud nos sunt*] Has sorores Epiphanius et eum secutus Theophylactus *Mariam* et *Salomen* vocant. Consentit et in hoc cum Epiphanio Theophylactus quod Clopam facit Iosephi fratrem, sed addit Theophylactus Clopae mortui uxorem nupsisse Iosepho, atque inde natam Mariam, dictam *Clopae* ex lege, et *Salomen*. Sed, ut dixi, puto haec omnia esse ἐκ βιβλίων ψευδεπιγράφων [*ex falso inscriptis libris*], et ex non satis intellecta significatione vocis *fratrum* et *sororum*. Caeterum et has sorores, id est, consobrinas aut alioqui cognatas proximas, pauperculas fuisse apparet. Nam id quoque offendebat Nazarenos.

Πόθεν οὖν τούτῳ ταῦτα πάντα, unde ergo huic omnia ista] Cum neque antehac Nazareta abfuerit, neque domi a suis potuerit ista discere, ut quorum nemo sit literis supra plebem imbutus.

57. *Καὶ ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ, et offendebantur in eo*] Non puto eos tantae fuisse malitiae ut haec Christi opera Diabolo asscriberent, neque enim tale quid illis exprobrat Christus. Sed quominus admiratio in reverentiam transiret obstabat natalium sors illis cognita. Vide supra 11: 6. Erat autem hoc signum neque satis aequi neque de potentia Divina satis magnifice sentientis animi. Atqui erant in ore ipsis sententiae quae dicunt, *ex pulvere a Deo suscitari quos in procerum solio collocet*, et *felicem eum esse qui de homine contemtae sortis aeque iudicet.*

Οὐκ ἔϛι προφήτης ἄτιμος εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ, non est Propheta sine honore nisi in

patria sua et in domo sua] Adagium celebre inter Iudaeos, quod, ut de aliis sententiis diximus, cum comparatione intelligendum est, quasi dicas, nusquam magis quam inter populares suos contemni viros eximios, quales imprimis sunt Prophetae. Nimirum

Quicquid quaeritur, optimum videtur.

Et vitium est magnis parvisque civitatibus commune super ignorantiam recti invidia. Sententia est huic persimilis apud Aristiden: *Πᾶσι τοῖς φιλοσόφοις ἔδοξε χαλεπὸς ἐν τῇ πατρίδι ὁ βίος* [*Omnibus Philosophis dura visa est vita in patria*]. Nec abit illud quod Scopelianum Sophistam dixisse Philostratus memorat cum rogaretur ut in patria declamaret, *τὴν ἀηδόνα ἐν οἰκίσκῳ μὴ ᾄδειν* [*lusciniam in cavea non canere*]. Plinius de Protogene: *Sordebat ille suis, ut plerumque domestica.* Sic David a sua domo contemtus, 1 Sam. 16: 11, 17: 28.

58. *Διὰ τὴν ἀπιςίαν αὐτῶν, propter incredulitatem illorum*] Atqui de linguarum dono dixit Paulus datum esse ut signum sit *οὐ τοῖς πιςεύουσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀπίςοις* [*non fidelibus, sed infidelibus*]. Notandum igitur non dici hic *nulla fecisse Christum miracula Nazaretae*, sed *fecisse non multa*, quod et Marcus dicit. Fecit passim Christus miracula, ut hi quibus de ipso nihil constabat in ipsum crederent. Credere incipientibus alia addidit, quibus in fide iam inchoata confirmarentur. Prima spernentibus plura non ingessit, ne vilesceret Divina liberalitas. Ita solet Deus alternis beneficia praestare et officia exigere.